3 von 3

Achtung EJ 1749
wurde handschriftl.
überschrieben

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-837144-p0002-9

TM 1120

Theodor Mahlmann
25. Febr. 2008
Burgdorf/CH
*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-837144-p0003-5

TENTAMEN THEOLOGIÆ DOGMATICÆ,

METHODO

SCIENTIFICA

PERTRACTATÆ.

TOMUS III.

CUI

PRÆTER INDICES IN OMNES TRES TOMOS

ACCEDUNT:

THESES THEOLOGICÆ

ET

PRÆLECTIO INAUGURALIS.

1747.

1749

PRÆFATIO.

I. PRodit nunc tandem in lucem Tom. hujus Opuſculi mei tertius, cujus quidem retardationis longioris, quàm ipſe ab initio putaram, cauſas varias hîc enarrare ſuperſedeo; ſaltem inter eas [præterquàm quòd ſua edere Auctori multò majori conſtet labore ac impenſis unô locô quàm aliô] etiam fuit, ut ne feſtinanter compoſitus ac ſine adhibita lima prelo traderetur [cùm & jam ejus materiæ fuerint congeſtæ, antequam Tom. I. luci publicæ expoſitus, uti nunquam priores Operis alicujus partes edi deberent, antequàm poſteriores omnes eſſent conceptæ] proùt ferè hodiedum mos hicce obtinet, ubi &, qui ſcribere incipiunt, laboris, longioris moræ ac limam ulteriorem addendi impatientes, quæ primâ vice chartæ illeverunt, typographo ſecurè committunt, metuentes, ne Respublica literaria librorum inopiâ laboraret, aut ipſi gloriam polygraphorum non æquè ùt alii re-

portent ; hinc etiam postquàm vix tyrocinium egressi & ideas acquisiverunt, mox alios scribendo edocere sibi sumunt ; cùm è contrà præ animo habere deberent saluberrimum illud & cuivis Scriptori altâ mente reponendum Horatianum : *nonum prematur in annum, membranis intus positis* &c. quàm sæpè, qui sua altiorem ad indaginem intus reponunt, ea cum otio perlustrantes : plurima inveniunt emendanda, sibi mutuò meliùs conformanda ? quàm sæpè non, quæ quis primò quin diu pro veris ac certis habuit, dein, aut penitiori examine institutô, dubia, infirma, quin falsa reperit ? quid forent DEMOSTHENIS, VIRGILII, aliorumque immortalis gloriæ Scriptorum fætus ? nunquàm sanè Oratorum & Poëtarum per omnia Secula præstantissimorum admirationem excitassent, nisi tantâ curâ ac limâ ultimâ elaborati fuissent, nec ita ætatem ferrent, nisi tantum priùs temporis iis impensum fuisset. Longè aliter autem moderni Scriptores, sapientiores haud dubiè ! interim tùm libros suos rubricis ornant eò magis amatores conciliantibus, promittunt methodum, quæ animum de veritate convictum reddat, nonnisi demonstrationes offerunt,

offerunt, licèt propoſitiones inædificent talibus, quæ aut inſufficienter probatæ, aut nonniſi incidenter poſitæ, interim æquè citant, ac ſi fundamentum ſolidum præberent. Lectores interim plerique, uti non ſatis diſcernendo pares, aut feſtinanter ſua peragentes, pondera rerum, diſtinctiorem explicationem non perſpicientes, talibus acquieſcunt, abunde ſibi ſatisfactum gloriantur; inde quòd tam legentes quàm ſcribentes in culpa ſint, quòd Respublica literaria multitudine librorum non-ſufficienti curâ elaboratorum prematur, verè non minùs quàm eleganter oſtendit Cl. & literatiſſ. noſter LAUFFERUS in laud. *contra librorum malorum abundantiam* &c. *Diſſ.* Bernæ 1722. quod ſanè Viri judicioſiſſ. Scriptum mereretur Reipublicæ literar. dicari ſive ut Monitum ſive ut Præceptum ſequendum, inſcribi ac dedicari.

Tales lectores & in culpa ſunt, quòd Auctores ſcribendi genere utantur verboſò, inutiliter prolixa ſua Opera conficiant; cùm è contrà ex iis, quæ chartæ commiſſa, poſt plures curas, nonniſi ea ſint ſeligenda, ut typis mandentur, quæ ſufficiunt, ut tamen non minùs clarè, præcisè, nervosè ac diſtinctè mens experimatur, res tradantur, ſicque lector non inutiliter detineatur.

II. Æqui autem ac in lectores culpa hujus mali conjicitur in eos, qui libros recensent, Diaria conficiunt: dum hi festinanter Opera perlegunt, quorum notitiam suppeditare volunt, juxta apparentias de iis judicant; non respiciunt, utrùm Scriptum sit elaboratum, sibi æquale; qua in re differat ab aliis in hac materia Scriptis; num Auctor veritates illustret observationibus historicis, allegando Auctores, & num cum selectu, num sola ac nuda Auctorum nomina apponat, an verò rerum apud Auctores præstantiores occurrentium concinnam ac utilem notitiam suppeditet, ut in gratiam talium, quibus ejusmodi Opera comparare ac perlegere non licet, utilissima & ad rem facientia depromantur, & breviter exhibeantur; num Scriptor videatur in talibus & aliis propriis oculis usus. Sic & ubi ordinem accuratum, justam, brevem ac nervosam res exhibendi rationem non attendunt, non amant, confusæ rerum perceptioni inhærentes &c. etiam hîc cautela illa est necessaria: *fide, sed cui vide.*

III. Ad rem ipsam ut progrediamur, hôcce Tomô tertiô reliqua, quæ ad Statum

tum gratiæ pertinent, exhibentur, item Status hominis post hanc vitam; Status gratiæ scil. præter considerationem Auctoris hujus Statûs, seu Liberatoris [quo de Tom. II. Loc. VIII.] & considerationem Bonorum Statûs gratiæ [de quibus Loc. IX.] etiam conscientiam certitudinemque de Bonis hisce fert, qua de, quâtenus ab interno animi statu derivatur, hinc obsignationem internam facit, etiam jam Loc. IX. quâtenus verò à signis quibusdam externis [quæ verò internum animi statum semper præsupponunt] à Deo institutis derivatur, hinc *obsignationem externam* facit, de ea seu signis talibus, quæ sunt *Sacramenta*, To. hôcce tertiô', Loc. X. porrò Status gratiæ requirit etiam considerationem eorum, qui de Bonis illis fœderis participant, quâtenùs nimirum junctim considerantur, & quomodo omnibus temporibus ac diversô modô se habuerint, de quibus [*Ecclesiam* constituentibus] Loc. XI. horum spes *felicitas post hanc vitam*, quæ & ùt promissum fœderis considerari potest ac debet, uti ejus oppositum, *infelicitas post hanc vitam*, ùt comminatio fœderis, utraque cum iis, quæ præcedunt, morte, resurrectione, judicio; præter quæ [unà scil. cum iis,

quæ Tom. I. & II. de principio cognoscendi, de Deo ac statibus hominis considerantur] plura in Theologia dogmatica considerandа non veniunt nec cogitari possunt; conf. & quæ jam dicta præf. Tom. II. No. 1-3.

IV. Jam in materia hacce obsignationis externæ multum confusionis ac defectûs reperiri in libris theologicis & qui Religionem exhibent, ne novissimis quidem prorsus exceptis, sine temeritatis Nota asseri potest: non solùm enim Sacramentorum origo, id est ratio, quare sint ac esse debeant, non prorsùs rectè exhibetur, sed & vel maximè eorum natura, requisita, genuina notio. Origo eorum aut aliquando nulla talis ponitur, aut historica pro origine ab intrinseca rei ratione desumta ponitur, aut mox à vocabulo *Sacramenti* incipitur: cùm è contrà terminus Sacramenti prærequirat alia noscenda; & semper materia sequens cum priori sit naturaliter connectenda, seu ostendendum, quomodo ex ea sequatur.

Mox properatur ad Sacramenti definitionem accumulatam [ut ita dicam], ubi scil. accumulantur ea, quæ tùm nec omnia requiruntur, ut Sacramentum à reliquis

reliquis rebus, quæ in Religione occurrunt, dignoſcatur, nec etiam adhùcdum ab ipſis probantur vel legitimè deducuntur: mox in definitione Sacramenti ingeritur nomen *ſigilli*, *obſignationis*, *confirmationis*, quæ tamen ad notionem Sacramenti per ſe non requiruntur: cùm nonniſi fideles reſpiciant, tùm ibidem legitimô ordine nondum evoluta ſunt.

Hæc eò minùs approbanda, ubi prorſùs non probatur, quòd & quomodo Sacramenta ſint ac fiant ſigilla, quandonam confirment &c. verùm nonniſi juxta morem receptum hæc ita dicuntur, ac ſine perveſtigatione ulteriori ponuntur; nec etiam attenditur, num & quodnam alterô prius ſit concipiendum, ex altero deduci debeat ac poſſit, conſequenter quidnam *mediatè* aut verò *immediatè* ſint ac dici debeant Sacramenta.

V. Sacramentorum origo ſimpliciſſimè ac optimè è fœdere gratiæ deducitur, proùt fœdus id ac beneficia ejus ſe habent; jam fœdus gratiæ ſe habet reſpectu habitô vel ad poſtulata vel ad promiſſa, item beneficia Statûs vel fœderis gratiæ vel ſunt beneficia propriè talia & pura, vel & quæ ſimùl officiorum

rationem habent ; obſignatio externa non aliter efficitur niſi mediante poſtulatorum præſtatione vel obſignatione internâ. Jam & quid aliud tota Religio Chriſtiana in ſe continet ac homini proponit niſi obligationem ad Chriſto ſerviendum, qui nos redemerit, ſeu ut Ipſi ſerviamus, ubi gloriari velimus, quòd ſimus ex Ejus redemtis ; adeòque tùm ſanctitas tùm juſtificatio conſtituunt Summam Religionis Chriſtianæ, juſtificatio faceret doctrinam de redemtione, ſanctitas verò doctrinam de officiis erga Redemtorem & reliquis &c. vel ſi juxta Munera Chriſti rem velimus conſiderare, unum reſpectum haberet ad Munus Chriſti Sacerdotale [juſtificatio], alterum vero beneficium [ſanctitas] ad Munus Chriſti Regium ; Propheticum ſcil. præſupponitur tanquàm cognitio prærequiſita : quum & aliud nil reſpectu ejus agi poſſit. Sacramenta jam non poſſunt non talem habere reſpectum : quippe fatebitur quilibet, pertinere ea ad Religionem Chriſtianam, habere reſpectum ad fœdus gratiæ, hinc ejus contenta ſeu beneficia, hinc & ad Munera Redemtoris ; at quare tum non ita illa inde deducere, prout Opus redemtionis fert? quare non præcisè reſpectum illum indicare? &c.

VI.

VI. Porrò & in hoc peccatur, quòd utrique Sacramento eadem adaptetur definitio; id locum non habet nisi ubi de Sacramentis adhùc in genere, nondum indicatô Baptismô aut S. Cœnâ; at verò duo illi Religionis Christianæ articuli distinctè ac seorsim memorari debent, ut unum Sacramentum ad alterutrum ex illis articulis respectum suum habeat, unum officium nostrum, alterum beneficia nobis exhibita vel causam eorum meritoriam magis quàm alterum ac primariò innuat & repræsentet; hæc ratio, hæc notio est manifesta, palpabilis, tùm è natura Sacramentorum, tùm è natura Religionis, etiam reliquæ Sacramentorum affectiones inde commode deduci possunt: quid enim, an non Baptismus multò planiùs dicitur ceremonia, *quâ testatum damus, nos Christo nos devovere*, nosmet *in disciplinam Ipsius tradere*, *nomen Ipsi dare* [quod esset secundus Religionis articulus, vim autem suam habens ob primum, seu obedientia erga Christum ob hujus redemtionem] quàm verò ubi multa de communione cum Christo, participatione de beneficiis Ipsius, horum confirmatione, communione cum aliis Ecclesiæ membris dicuntur ac ingeruntur? quæ

quæ posteà demum è datis legitimè deduci possunt, si modò deducuntur &c.

an non Sacramentum S. Cœnæ planissimè exhibetur, ubi essentia ejus, notio originaria ponitur, quòd *in ea causæ meritoriæ beneficiorum fœderis gratiæ*, id est, *mortis Christi*, *memores simus*, unde & reliqua deduci possunt? vel an solidiùs termini sigilli, communionis cum Christo, nutritionis per corpus ac sanguinem ipsius ingeruntur? quorum primum & secundum nonnisi justis priùs positis fundamentis potest firmari, tertium verò est impropriè loqui, contra regulas definitionum &c. & tamen, qui etiam accuratiori ordine scribere profitentur, obsignandi vim definitioni Sacramenti utriusque indunt, nec explicant & probant, quomodo & quòd Sacramenta sigilla fiant &c.

VII. Hæc neutiquam carpendi studiô dicimus, absit! sed ut saltem notiones meliores de hisce ingenerentur, simùl perspicacioribus nostra probanda, examinanda demus; utrum scil. unum ex altero justè deduxerimus. Nimirum materia de Sacramentis in se demonstrationem admittit, interim ea confecta non est, si saltem per §. §. citationes

nes posteriora cum prioribus connectantur, nec verò citatio in probatione propositionem anteà probatam tangat [uti semper observari deberet] quæ ùt conclusio ratiocinii fit præmissa in sequenti ratiocinio, vel ubi probatio ita aut prolixè aut non satis ordinatè exhibetur, ut nesciatur, cuinam propositioni probandæ afferatur &c.

VIII. Per illam primariam de Sacramentis notionem non solùm reliqua, quæ de ijs prædicantur, justè deducuntur, sed & media, quæ circa ea tenenda est, via stabilitur: ut scil. ab una parte vitetur defectus quoad æstimium Sacramentorum contra Socin. Fanaticos &c. ab altera verò contra Pontificios excessus: siquidem ubi Sacramenta originariè juxta ipsam Christi institutionem sunt tùm testificationes ac professiones externæ, quòd quis in disciplinam ipsius se tradat, tanquam Redemtori per meritum infiniti pretij, tùm & recordationes externæ solennes hujus meriti per mortem ac sanguinem, inde & gratiam Dei ac meritum Christi, mediantibus quibusdam aliis, non solùm repræsentant confirmantque contra Socin. &c. obligationem etiam secum ferunt, sed

&

& Pontificiorum Opus operatum, vim gratiam conferendi profligant.

IX. Primum in baptismo (ut ad eum in specie progrediamur) est origo ipsius historica, scil. non solùm respectu institutionis Christi, sed & antea jam inter Judæos; ubi & historica allata.

Ex notione baptismi primaria reliqua dein deduxi, unum ex altero, quod facilè fit; sic ex natura ejus, quod sit testificatio, nosmet Christo nos devovere, commodè deducitur, esse *ceremoniam initiationis*, hinc & *infantibus impertiendam*; quam assertionem gravibus, uti notum est, ab Anabaptistis objectionibus impetitam, aliis adhùc argumentis stabilire operam dedimus. Inde itidem, quòd *repeti non debeat*, liquidè deduci potuit.

Porrò inde ordine deducitur, quomodo Christo quis se devoveat in baptismo, scil. devovet se ei, seu in disciplinam ejus tradit, qualis est, id est, ùt Prophetæ, Sacerdoti ac Regi; quod jam involvitur, ubi disciplinæ, quam Christus ùt Propheta instituit, quis se tradit. Quia etiam Christus unum est cum Patre ac Spir. S., inde quòd homo simùl se devoveat, consecretur Patri, Filio,

Filio & Spir. S., liquet; consequenter Votum [ideò *Votum baptismale* dictum] voveat, se velle servire Patri, Filio & Spir. S., Patri obedientiam filialem exhibendo, Filio, eum pro unico Redemtore, Domino, habendo, Spir. S., ei ac motibus ejus obediendo; & quia Votum id stare nequit cum peccati servitute, ideò quod peccato, Mundo, cupiditatibus &c. abrenunciet, patet.

Cùm jam ei, qui Deo tri-uni tale quid promisit, Deus vicissim repromittat, vel talem hominis Actum se Deo devovendi, sequatur Actus à parte Dei ei gratiam suam exhibendi, inde perspicitur, quòd, dum conditio præstanda [eadem quæ in fœdere gratiæ] exhibetur cum Promisso Dei, exhibeatur ac reipsâ habeatur fœdus gratiæ; consequenter intelligitur, quòd & quomodo Sacramenta sint *fœderis gratiæ signa*, nec, uti plerumque, solummodo dicitur, quòd sint; in specie quòd baptismus sit signum receptionis in fœdus gratiæ. Nec minus inde ostenditur, quomodo sint ac fiant homini sigilla, quandonam baptismus obsignandi vim nanciscatur [quod vix alicubi distinctè aperitur] scil. mediante præstatione Voti, quod homo vovit, ac vi fœderis

gratiæ,

gratiæ, vi cujus conditionibus præstitis Promissum reportatur. Nempe omnia hac in re ad fœdus gratiæ referenda, & Sacramenta sunt ejus sigilla: dum confirmant, verum esse, quod in eo promittitur, simùl sigillum *applicativum* homini, qui conditiones, postulata fœderis præstat.

Fœdus id quoque cùm in Verbo Dei exhibeatur, & in Evangelio contineantur, narrentur Facta illa, quibus Sacramenta proximè innituntur, scil. quòd Christus ùt Doctor Divinus disciplinam quandam tradiderit, quòd fuderit sanguinem, mortuus fuerit ad redemtionem nostram, inde liquidum fit, quare omnia in Sacramentis ad Verbum Dei sint referenda, aperitur, quòd & quomodo rectè dici possint sigilla [etiam hôcce, diversô à priori, sensu] appensa literis Verbi Divini, uti Instrumentis publicis sigilla appendi solent; sic & sigillum *historicum* Evangelii, Verbi Dei: dum dicunt, loquuntur, ingeminant, Christum vixisse, mortuum esse, & dum per omnia retrò Secula in usu fuisse reperiuntur, usquedum ascendendo perveniatur ad epocham, quâ Christus vixit; ut hâc ratione sint monumenta historica veritatis Factorum, quibus Religio Christiana innititur.

Ex

Ex iis & perspici potest, num & quid veri insit locutioni, ubi aqua dicitur notare sanguinem item obedientiam Christi, notare, obsignare ablutionem à peccatis, participationem de sepultura Christi, hinc morte Ipsius, adoptionem &c. scil. hæc omnia ad notionem originariam baptismi referri semper debuissent, & distinguere debuissent Doctores secundarium à primario, magis & minùs remotum à propinquo; nec tùm materia hæcce perplexa confusaque reddita fuisset &c.

X. Jam quod S. Cœnam eâdem ratione tentavi distinctiùs, quàm communiter fieri solet, exponere, quomodo fiat sigillum, quotuplici modô tale sit, porro unum ex altero aptè deducere; Pontificiorum crassos circa hocce Sacramentum errores validè prosternere curæ fuit, ex adverso contra Socin. ejus naturam, dignitatem, necessitatem munire, nec minus hancce dignitatem & necessitatem ita adstringere, ut Christiani eam convicti sentiant, ac ad quænam respectu S. Cœnæ & ob eam officia observanda obligati sint, sciant, quæ adeò practica sunt, è justis fundamentis, natura & scopo hujus Epuli deducendo;

quomodo item communionem ingerat hocce Sacramentum, totum se ad Verbum Dei referat, hinc ex hoc Vim suam obtineat. Indicavi quoque, quod vix aliquis, quantum scio, memoraverit, quare Christus magis obedientiæ suæ passivæ quàm verò activæ memoriale voluerit instituere, Ecclesiæque tradere.

XI. Totum autem huncce de Sacramentis Locum Observationibus historicis ex Philologia S., profana quoque, item præcipuè Historia eccleſiast. & alijs Virorum D. harum materiarum discussionibus illustrare pro parva penu allaboravimus, ut materiarum tractatio ac veritatum evolutio lectori difficilis tali modô intermixta grata fieret; dum scil. quidam conqueruntur de systematibus Theologicis & libris scientificam tractationem præ se ferentibus, esse siccos, insipidos, nil quod veritates nudas illustret, & §. §. citationes interspersis [in scholijs] leporibus philologicis ac Auctorum selectis allegationibus minùs molestas reddat. Ita & tyronibus, qui Auctores non noscunt, aut eos sibi comparare ac perlegere non licèt, vel in Usum convertere nesciunt, utilis fit per-

permagna, ubi in compendio talia ipsis congesta [res scil. ipsæ, nec nuda nomina] exhibentur.

Omnia autem eorum, qui æqui ac periti sunt, judicio submittimus.

XII. Obsignatione externâ beneficiorum fœderis gratiæ considerata occurrit ultimus de statu gratiæ articulus seu Caput: dum scil. non potest non quæri, quinam jam ij simùl & in universum sint, qui benficiorum illorum participes fiant, seu quomodo se habeant junctim considerati per omnia tempora, dispersi & per loca, interim conjuncti per aliquod vinculum, quænam variatio circumstantiarum, externæ gratiæ dispensationis obtinuerit.

Jam id constituit considerationem *Ecclesiæ*: hæc scil. est Societas per Religionem hujusque juxta certas regulas exercitium conjuncta; genesis inde Ecclesiæ *externæ* ac *internæ* & *affectiones* se offerunt, unde ex altera deducenda; & cùm vel maximè interfit, ut *vera* noscatur Ecclesia, inde de *Notis* genuinis agendum, quod ad ductum Virorum præstantissimorum factum. Hinc occasione veritatis doctrinæ tractatio devolvitur ad considerationem essentia-

lium in doctrina, circa quam de *fundamentalibus articulis* materiam allaboravi, ut plana fieret, per propositiones determinatas connexasque exhiberetur, ostendendo, quod ope syllogismorum, per quos doctrinæ salutis enunciantur, perspiciatur, quomodo & quid magis vel minus propè cum fundamento, Christo & fine, ob quem in Mundum venit, conjunctum sit; Duces autem egregij è recentissimis se hac in materia offerebant. Sponte se quoque hinc offerebat consideratio *hæresis*, & quæ hùc spectant, item *hostium* Ecclesiæ.

Hæcce de articulis fundamentalibus tractatio equidem exhiberi quoque potuisset in doctrina de Fide (Loc. IX.), at interim meliùs hùc ponitur: dum reliquorum fœderis beneficiorum item & Sacramentorum consideratio præcedere debebat, quò ita, quomodo error circa ea respici debeat, pronunciari posset, imò verò inde, si post materiam de præmijs pœnisque post hanc vitam demum locare conveniret, optimè tractari posset.

XIII. Considerationе Ecclesiæ generali ita institutâ, non potest non quæri, quandonam & ubi determinatô quôdam

dam modô jam talis Ecclesia extiterit; *dispensationes* igitur *beneficiorum fœderis* in Liberatore juxta diversas temporum periodos spectandas se exhibent, ubi, quod in se generale, jam certô modô per circumstantias determinatur, & ùt speciale vel singulare exhibetur; essentialibus semper manentibus, accessoria interim & circumstantiæ diversimode modificantur.

Ecclesiæ incunabula igitur non possunt non quæri, inveniuntur ea in paradiso, hîc agendum, ut *promissionis primæ* genuinus sensus eruatur ac firmetur contra Judæos, Socin. & Remonstr., quam in rem egregia suppeditant SHERLOCKIUS, SCHOETGENIUS; simùl inde reliquæ primâ hâcce ætate pijs factæ promissiones lustratæ; fons alius quoque cognitionis Messiæ exhibitus, nimirum *apparitiones* ejus ac *traditiones* Majorum, longævorum admodum ante diluvium &c. num ad propagandi doctrinam modum etiam pertinuerit *ars scribendi*, quæri potuit, inde inquisitio instituta de origine ac modo insignis hujus artis &c. *Cognitionem piorum* sequitur *Cultus*, ubi quoad quæstionem de *die peculiari hebdomadæ* Cultui Dei præ cæteris destinando forsan allata, quæ

ad quæstionem determinandam & dissensum quodammodo tollendum facere possunt, uti & ad *sacrificiorum originem* dignam rationabilemque pandendam; item quæ quoad *circumcisionem* [itidem Cultûs partem] hâcce ætate V. D. notant, inde porro [uti & ex alijs] ortam *de salute conscientiam*, advocata quædam, quæ V. D. è vetustis Hebræorum monumentis. Ecclesia cùm suos habeat hostes, inde de hisce, seu *serpentis semine* hâcce ætate, ad ductum Virorum eruditissimorum, qui antiquissimorum populorum res elucidare sumserunt, mentio facta; seminis hujus præcipuus character cùm sit *idolatria*, de hac generalia quædam allata ex Duûm-Viris Cel. CLERICO & MOSHEMIO, qui judicioſiùs cæteris de hacce materia egerunt, unde illa VOSSII, BOCHARTI, HÜETII præcipuè dijudicari possunt; quæ etsi ad Theologiam dogmaticam per se non pertineant, tamen ad rationem circumstantiarum Ecclesiæ noscendam faciunt. Eventus hôcce tempore maximè stupendus cùm fuerit *diluvium*, id sine consideratione prætermittere visum non fuit: quum & inde Ecclesia παλιγγενεσίαν subierit; quoad universalitatem ideò ejus rationes physicas,

cas, ex WHISTONIO præcipuè & quoque BÜRNETIO, item auctoribus eruditissim. *Historiæ* illius *universalis* allata quædam; item quoad quæstiones circa illud historicas quædam memorata.

Diluvii & aliorum Factorum hujus ætatis in Scriptura memoratorum cùm & apud Profanos Auctores mentio reperiatur, quô historiæ S. veritas confirmatur, hæc non planè silentiô prætermissa, quò & *Seculum* illud *aureum* dictum referendum, de quo quædam ex BÜRNETIO. Auctores ij cum deperditi sint [testimoniis ipsorum ad nos ùt fragmentis per citationes JOSEPHI, EUSEBII &c. translatis] interim ætatem ipsorum noscere etiam conducat, quantum id datur, ex Magni VOSSII *de Histor. græc.* Tract. de hisce quid memoratum.

XIV. Ad *secundam* Ecclesiæ *ætatem* (vel *Oeconomiam*) ordo temporis inde per se ducebat; circa quam non poterat non ante omnia quæri, qua in re differat à prima; id cùm præter alia fuerit Verbum scriptum, traditione orali cessante, inde de *nobili scribendi arte*, ejus *modo*, *perfectione*, *literarum alphabet.* admirabili inventione, insigni usu quæ-

dam commemorata è SHUCKFORDIO, H. HUGONE, ejusque amplificatore Clar. TROTZIO; quum hæc cognitu uti jucunda ita digna sint: eò quod aliâs Scriptura S. hinc revelationem intemeratam conservandi modus locum non inveniisset; rara etiam de hisce tractatio sit apud Auctores, qui in Studiosorum manus veniunt, exceptô memoratô modò SHUCKFORDIÔ.

In secunda hacce ætate idem quod in prima considerandum venit, scilicet cognitio doctrinæ salutis, Cultus &c. cùm per doctrinam & Cultum Ecclesia constituatur; agitur autem hîc quàm maximè, ut *Cognitionem de Messia* &c. contra Judæos, Socin. & Socinianizantes hujus temporis Ecclesiæ vindicemus; nil magis verò stringit, nisi ubi antiquissimorum Doctorum Hebræorum effatis, traditionibus, explicationibus locorum Scripturæ hîc pugnamus, talium scil. Theologorum Judæorum sub secundo Templo viventium sententiæ de talibus, explicationes locorum Biblicorum, prostant in libris quibusdam Judæorum antiquis congestæ, qualis præcipuè Liber ille celebris *Sohar*, uti & in paraphras. chald. collectiones ea quàmvis sint seriores, tamen effata ipsa æque antiquita-

tiquitatem ſuam habent, hinc teſtimonia de valore ſuo nil perdunt; magnum autem talibus è Judæorum libris myſticis ſeu Veteribus Rabbinis colligendis laborem impendit Vir uti in aliis haud mediocriter verſatus, ita in hiſce facilè Princeps, Cel. SCHOETGENIUS, è cujus divite ac docta penu quantum Theologiæ accedat, dici nequit: ſiquidem contra Judæos modernos & apparitiones in Scriptura memoratæ Meſſiæ vindicantur, loca Scripturæ inſignia, proùt in N. Teſt., & alia adhùc plurima, Meſſiæ applicantur, fidei capita porro ad mentem Scriptorum N. Teſt. proponuntur; ſine talibus argumentis (ab auctoritate ductis) nil contra Judæos proficitur, rident alia argumenta, ratiocinationes Chriſtianorum, explicationes noſtras vaticiniorum; optandum eſſet, ut id conſiderarent, qui controverſias, cum Judæis tractant, quàm ſiculnea ſi ſine talibus ſubſidiis controverſiarum cum hac Secta tractatio, quòd telis obtuſis, vel quæ facilè declinant, ipſos aliâs confodere velimus &c. Sed & contra Socin. hæc maximum habent robur: cùm ita probetur nos Scripturam V. T. explicare juxta ſenſum, quem antiqua genuina Eccleſia judaica ſub Templo ſecundo

cundo, quæ Prophetis succeſſit, ab his ſua hauſit, tenuit &c.

XV. Cognitioni de Deo ac Meſſia convenienter etiam obtinebat hôc tempore *Cultus*, itidem à Deo præſcriptus, præſtandus tùm per officia immutabilia, Decalogô injuncta, tum per ritus arbitriô Dei ſapienti præſcriptos; circa priora officia conveniebat etiam rationes adducere, quare à Deo hôc modô injuncta fuerint [nec ſolùm quòd ita fuerint] quomodo populo illi convenerint, cujuſnam generis officia continuerit *decalogus*, num cogentia, an humanitatis &c. item & SPENCERI ſententia rejecta, qui noluit decalogum eſſe legum naturalium ſummam.

Majorem autem conſiderationis materiam ſemper præbet Cultus *ritualis*, ejus natura ſeu partes, & præcipuè rationes: hæ quippe difficiles indagatu; partes Cultûs commemorandæ ſunt, ut noſcatur, quid Deus quoad externum à populo ſuo poſtulaverit; non autem nudè ſaltem partes Cultûs recenſere ſufficit, ſed inſuper rationes [nempe hujus vel illius ritûs ſpecialis, & rationes ſeu fines proximos] allegare, quantum quidem ſuppetebat, aliquantum curæ fuit;

fuit ; quod interim rarò fit ab antiquitatum vel compendiorum de his Conditoribus ; pulchrum autem esset, in quovis Antiquitatum genere rationes rituum institutorum, quantum quidem posset fieri, afferre ; pronum autem erat dubium tollere, quomodo rituum Judæis sub secundo præcipuè Templo usitatorum notitia fide digna è Talmude, quod longè recentius hauriri possit, item [adductâ alia Cl. SCHOETGENII, eâque præstantissima observatione] quomodo systema Antiquitatum hebraicarum perfectius adhuc concinnari possit.

Rationes autem adhuc alias generales rituum simùl spectatorum, seu Legis ritualis afferre rationabiles intererat, inter quas & vel maximè est typica, è genio gentis, natura rituum, testimonio Scriptorum N. Test., item & antiquorum Rabbinorum stabilita ; unde & fluebat, quod lex ea simùl ùt Prophetia se habuerit ; item quòd finis legis hujus in ac per se bonus fuerit, media autem ad eum aliter ordinari potuissent.

Non poterat autem non hîc se ingerere discussio hypotheseos SPENCERI, *legem. cerem.* in idolatriæ remedium datam, hinc partim idololatricis ejus ætatis Institutis quoad multa oppositam, partim

partim è contrâ à gentibus idolatris mutuò desumtam contendentis, item aliâs è Seculi genio derivandam esse; ubi tùm de valore testimoniorum, quæ Spencerus adducit, dictum, quod præcipuum, præeunte Theologo Franeq. WAYENÔ, tùm & præstantissimorum Criticorum, CLERICI, BERNARDI *ad Joseph.*, Auctorum item *de l'Hist. univers.* observata adducta, quibus Spenceri assertionum infirmitas ostenditur.

XVI. At præter Leges morales & ceremoniales aliæ adhuc erant, circa securitatem publicam, modum in judiciis servandum, subordinationem &c. quæ quali locô sint habendæ, an non etiam inter naturales referendæ sint, quæritur; præcipuè ut una ex altera deducatur, ut aptè perspiciantur connexæ, hoc Opus, hic labor est; si hæ Leges circa homicidium, adulterium, castitatem, obedientiam, honorem Superioribus exhibendum &c. versantur, an non æquè sunt morales? item si jura jubilæi, ânni Sabbathici, Goëlum per illas stabiliuntur, an non tùnc inter ceremoniales referendæ? Pauca hac de re, seu quæ satisfaciant, apud Auctores, qui aliâs de hisce legibus egerunt, occurrunt, saltem,

saltem, mihi videre contigit, præcipuè ubi ostendendum, quale medium ad finem quælibet lex fuerit, ut inde prudentia legislatoria Mosaica, seu Sapientia Divina in ijs legibus ostendatur, quomodo scil. per illas Bonum publicum seu salus populi, pro illorum temporum circumstantiis, optimè ac brevissimè promoveri potuerit; hinc & qui aptum harum legum systema exhibuerit, non occurrit. Operam dedimus, ut ante omnia recta illarum legum notio erueretur: dum scil. ùt adminicula, media legem moralem sartam tectam servandi, exequendi, considerari debent, vel ùt ejus elucidationes: siquidem Legislatores præcavent transgressiones [quod per *forense* factum] pœnas in diversis casibus diversas infligendas [etiam aliquando in ejusdem Legis transgressione] indicant, sic & Casus speciales sub Lege comprehensos. Ut Leges forenses tùm demum rectè concipiantur, ubi pro legibus auxiliaribus habentur, pro sepimento, munimento Legis moralis [præcipuè verò Tabulæ secundæ] etiam aliquâtenus ceremonialis, pro explicatione Legis moralis.

Hâc ratione non solùm necessitas earum patet, sed & quòd tamen & quomodo

modo non sint morales: dum scil. media Legem natur. immutabilem sartam tectam servandi requiruntur, interim media hæcce, modi exequendi aliter ordinari potuissent, etiam aliis temporibus locisque aliter ordinata fuissent, hinc variabilia, arbitraria dicenda.

Per exempla hæcce omnia ostensa quoad partes officiorum Legis naturæ, uti quoad officia erga Deum, ita præprimis quoad ea erga proximum [dum scil. potissimum ad tabulam secundam respectum suum habet lex forensis, hinc tabulæ secundæ appendix dici potest] quòd lex hæc obviam iverit tribus illis vitiis maximè Societati noxiis, avaritiæ, ambitioni & voluptati; quòd tranquillitatem publicam conservaverit, præcipuè per jura jubilæi; æquitatem, mansuetudinem erga servos, subjectos, peregrinos instillaverit & injunxerit, sic & misericordiam, beneficentiam erga pauperes; non minùs tamen auctoritati Superiorum suppetias tulerit; Societati ecclesiasticæ item & prospexerit, ac Societatis matrimonialis curam habuerit; præter hæc & in quibusdam Usum ac finem habuerit typicum &c. Præstantissimorum Virorum aliqua observata, quæ apposita, adduximus.

Idoneo-

Idoneorum & Ingenuorum judicio ſubmittimus, num hæcce materia in aliquali ſaltem majori, quàm hactenus, luce poſita fuerit.

XVII. Omnes Iſraëlitis præſcriptæ Leges, earum applicatio, executio, inflictio pœnarum, reſponſa Divina ſuper caſibus dubiis, quale conſtituerint regimen, Divinum ſcil., inde pronum erat deducere &c. inde ad ductum SPENCERI *Theocratia* Iſraëlitica breviter exhibita; unde & jura Eccleſiæ judaicæ fluebant, & quomodo à jure circa Sacra & eccleſiaſtico hodierno differant, perſpici poteſt.

Leges autem eæ ac earum ſtudium uti requirebatur, inſtitutio hinc in Cultu Divino, in Factis, quibus Cultus nitebatur, liberatione ex Ægypto &c. item iis, quæ cum Patriarchis ante- & poſt-diluvianis contigerunt, informatio in capitibus cognitionis de Meſſia, inde pronum erat quærere, quinam fuerit modus doctrinæ cognitionisque Capita inſtillandi, quinam Status Doctorum, quænam loca informationis, tempora; quæ & lex moralis ac civilis, Ratio Statûs ſeu ſalus publica & ſalus Eccleſiæ requirebant; de hiſce breviter ad ductum

V.D.

V. D. sub titulo *Scholarum Propheticarum*; ubi & de conservatione doctrinæ de Messia [materia, quæ maximè hîc spectanda, & amabilis] è laud. Celeb. SCHOETGENIO.

Jam porro quum præter illas triplicis generis Leges, quarum quædam [moralis scil.] sunt universales, cæteræ autem particulares, quidam intermedias adhùc statuant, quæ non sint naturales, verùm *positivæ*, interim tamen *universales*, hæc quæstio, etsi pauca de ea in systematibus, non videbatur prætermittenda, ad ductum præstantissimorum Virorum.

XVIII. Quia verò Leges illæ omnes cum beneficiis genti terram illam incolenti exhibitis materia vel fundamentum fuerunt fœderis, quod Deus cum Israële pangere voluit, inde quale *fœdus* tùm obtinuerit, quòd etiam omnino gratiæ fœdus [per cognitionem doctrinæ de Messia] quomodo quoad executionem fuerit fœdus, in se Testamentum quomodo Testamentum æternum fuerit executioni datum per V. Test., & hoc quomodo differat ab æterno, quomodo fœdus gratiæ per V. Test. seu Oeconomiam legalem fuerit modificatum, quomodo

fœdus

fœdus *Sinaiticum* se habuerit ad Patriarchale, & quomodo fœdus tum *temporale* [ob beneficia terrestria] tùm *spirituale* seu *æternum* hôcce tempore locum habuerit, ostendere è re erat.

De promissis seu Bonis fœderis gratiæ inde omnino quærendum erat, nam Israëlitæ eorum participes facti, qualis Liberator eorum respectu Christus fuerit; ubi egregia HUBERI cogitata commodè occurrebant; occasione horum beneficiorum quoad cognitionem salutis fidelium V. Test. præstantissima, quæ laud. SCHOETGENIUS λείψανα Catecheseos ipsorum eruit, exhibita. Imperfectio tamen hujus Oeconomiæ nihilominus non potest non se prodere, interim ut fortiter Socinianorum opinio [etiam jam per anteâ memorata] profligaretur, mutuò desumtis præter alia, quæ hanc in rem suppeditat Cl. Theologus Lausan. RÜCHATUS.

XIX. Fœdus & beneficia ducebant ad *Signa*, unde de harum discrimine, *Sacramentis* propriè talibus, eorum à sacrificiis differentia, origine Paschatis, natura, significatione, uti & circumcisionis, fine agere dignitas materiæ controversæ suadebat, ut SPENCERI de origine Paschatis

schatis opinio, adductis Virorum eruditiss. Observatis, everteretur; simùl quoque ut meliùs, quàm plerumque fit, quomodo duplicia Signa ad duplex fœdus se retulerint, quomodo nonnisi Pascha ùt propriè tale Sacramentum huic Oeconomiæ accesserit [circumcisione ex ætate priori translatâ] ostenderetur, simulque dubium demeretur, an non & sacrificia ejus ætatis Sacramenta sint habenda.

Conscientia salutis quoniam è Signis oriebatur, ea consideranda veniebat, ac quòd & ex typis provenerit, indicandum, ubi quoad *typos* egregia iterum eruditiss. SCHOETGENII è Veteri genuina Cabbala Observata adducta.

Extra Ecclesiam autem & oculi convertendi erant, uti itidem, proùt ad primam Ecclesiæ ætatem de *serpentis semine*, *idololatria* &c. actum. Etsi adeò hôcce Locô complura historica allata, tamen nemo dixerit, exhibere me locô Theologiæ dogmat. quandam Historiæ eccles. V. Test. speciem, aut exscripsisse talia Hist. eccles. V. Test. systemata; remitto iterum rem æquorum & idoneorum judicio.

XX. At interim variabilitas legum Mosai-

Mosaicarum & ratio Oeconomiæ hujus imperfectæ ac aliam expectantis cùm secum tulerit *perfectioris Oeconomiæ* Ortum per adventum Liberatoris prænunciati & præfigurati, inde quòd eò usque durare debuerit, ubi Christus comparuit, propriis Theologorum inter Judæos Veterum effatis, sententiis [iterùm à laud. SCHOETGENIO suppeditatis] contra Judæos recentiores obstrepentes adstruere magni intererat Hujus *novæ* Oeconomiæ igitur *prærogativæ* inquirendæ considerandæque erant, & quod hæ Veteribus Judæorum Theologis agnitæ fuerint, ostendendum, utpote quibus tanquam genuinis armis fides nostra contra ipsos demum firmatur; simul nomina hujus Oeconomiæ novæ apud Judæos obvia è Philologia memorata.

XXI. Jam cùm Auctor hujus Oeconomiæ, Christus Ecclesiam hâcce ætate juxta certas regulas observandas fundaverit: quænam hæ fuerint, quærere oportebat, adeòque de *jure ecclesiast.*, proùt id Christus & proùt Apostoli ordinarunt, aliquid dicere, suppeditante Cel. PFAFFIÔ; ab hacce ordinatione cùm Ecclesia Romana deflexerit, plurima immutaverit, inde quòd Ecclesia iterùm

fuerit *emendanda*, restituenda, & quòd id à *Reformatoribus* factum, contra Pontificios ostendere incumbebat.

Jam & quia finis uti cujusvis Ecclesiæ, ita & modernæ postulat adminicula quædam externa, quibus Cultus Dei facilius ac meliùs peragatur, hinc ut ordo in Ecclesia constituatur & conservetur [proùt hæc & Christi ac Apostolorum ordinatio fert] ideò & vel maximè de talibus Ecclesiæ externis, ordine in ea, agendum: quum sine his Ministerium ecclesiasticum sibi non constet, ad cognitionem Ministro necessariam hinc pertineat; hinc in Theologiæ systemate non prætermittendum [uti è contrà ferè fit, aut, si hæc tractentur, tamen non è genuinis principiis deducuntur, notiones non justæ traduntur, termini non præcisè determinantur] tantò magis quòd inde differentia Pontificios inter ac nos pateat, quibus ùt fortissimæ ac infensissimæ nobis Sectæ etiam fortissimè obviam eundum, & inde occasio nascatur, munimentum ipsorum, Hierarchiam scil. subruendi Inde ergò in hacce materia tum *potestas ecclesiast.*, tùm *libertas conscientiæ*, tùm *jus Majestaticum circa S.* justis limitibus sunt circumscribenda, ut ne alterutri quid derogetur; *jus collegiale*,

seu

seu quod Ecclesiæ originariè competit, benè est concipiendum, & quale inde in Ecclesia resultet regimen, quòd nonnisi *directio*, neutiquàm imperium [omnia è natura Religionis, cui natura Ecclesiæ innititur] quòd interim Ecclesiæ jura subsint S. Imperanti per inspectionem, ut ne quid, quod Societati civili præjudicet, subintroducatur, etiam cur & quomodo Ecclesia jus suum directionemque Magistratui tradere possit ac debeat, ut meliùs omnia fiant, unde in Ecclesia & ecclesiasticis quadammodo imperium, dum Magistratus auctoritatem suam interponere potest &c. Ita scil. *Jurisprudentia ecclesiastica universalis*; cujus principia justô ordine exhibita ac simùl Observationibus illustrata num & ubi exhibita fuerint, quantum ad Theologiæ systema, mihi sanè ignotum.

Ita clauditur Loc. XI., quem pulcherrimas ingredi materias historicas & alias Studioso Theologiæ cognitu non solùm utiles sed necessarias, ita ut inter bases Theologiæ poni possint, ego quidem existimaverim.

XXII. Statu gratiæ seu restitutô absolutô non potest non tandem quoque considerari Status quoad hominem ulti-

mus, quartus, *præstitutus:* siquidem ad hunc restitutus tendit, status gratiæ tendit ad *Statum gloriæ;* & Ecclesiæ vera membra Capiti Christo adhæserunt per omnes periodos, spe felicitatis promissæ ducti; qui verò ejus exsortes, gloriâ non solum privantur, sed & adhùc è contrà in statum infelicitatis, damnationis, incidunt; adeòque hôcce Locô devenitur ad ultima hominis, ejus exitum, præmia ac pœnas post hanc vitam, [& quæ conjuncta sunt vel præcedunt, mortem, resurrectionem, judicium] cujusmodi præmia & pœnas Religio omnis proponere debet, præcipuè revelata proponit: utpote in quo demum nervus Religionis consistit: quum sine Boni sperati promissique collatione & minarum inflictione tota Religio nonnisi umbra esset, igni depicto similis, effectu destituta, vanum terriculamentum; bonitas quoque & sapientia Divina non se manifestarent.

Gravissimæ & momentosissimæ adeò hôcce Locô tractandæ veniunt materiæ ac quæstiones; quod homini metum terroremque incutere potest ac debet, hîc unà occurrit! primùm autem occurrit mors hominis, ubi controversia haud levis circa *mortem fidelium*, an & quomodo cum bonitate justitiaque Divina,

na, cum plenaria Christi satisfactione consistat, ubi tùm à rationibus, quas Sapientia Divina, quia miracula evitat, sequitur, tùm ab aliis responsio petita, præcipuè quæ Cel. VITRINGA hanc in difficultatem.

XXIII. *Judicium* inde *particulare* mox post mortem stabiliendum occurrebat, ejusque consequens ingressus fidelium in felicitatem sine prævia purgatione Pontificiis credita, ubi quæ hanc spectant, ad ductum eruditissimi DALLÆI commemorata. Pòst, num aliqua sit speranda corporis restitutio, num ejus resuscitatio sit possibilis, quærendum obveniebat, num requiratur ejusdem corporis *resurrectio*, & quid sibi velit *idem* corpus, num possibile sit, ut idem numero resuscitetur, eidem menti uniatur, quomodo se habiturum sit corpus piorum & impiorum post resurrectionem; materia satis difficilis & involuta, circa quam, quæ hucusque in systematibus & libris theologicis reperiuntur, non satisfaciunt; nos autem ad mentem præstantissimi illius Auctoris, PFLUG appellati, qui linguâ vernaculâ egregium de possibilitate resurrectionis Tractatum Theologis communicavit, materiam hancce exposuimus.

Ad *judicium* dehinc *universale* deveniendum, articulum sanè gravissimum, & post ipsa præmia pœnasque momentosissimum totius Religionis; ibi, quæ SCHERLOCKIUS in præstantissimo ac omnibus legendo de hoc Tractatu suppeditat, in usum convertere curæ habui, ut materia hacce ad praxin accommodata vel maximè fieret. Magná ac percellentia in hac materia dicenda se offerunt de fine Mundi, interitu terræ, adventu Judicis, ubi egregia quædam ac magnifica exhibent BÜRNETIUS, WHISTONUS; quæstionem illam de *millennio* non omisimus. Videant idonei Judices, non solùm repetendo ac dicendo, qualia & quomodo communiter in libris & systematibus de hisce, [uti mox plerumque fert] vel & ordinem mutando, meliorem spondendo, de hisce uti & aliis verba fecerimus.

XXIV. Ipsa tandem & *felicitas* & *infelicitas æterna* consideranda venit, articulus omnium gravissimus, ubi tùm psychologiæ principia, tùm Scripturarum investigatio, uti & Virorum D. elucidationes requiruntur; accersere talia hanc in rem curæ fuit, quantum cognitionis parva penus suppetebat, quædam v. gr.

quæ

quæ hùc inſervientia apud WINDETUM, Cl. EWALDUM, Auctorem Anglum libelli *de felicitate vitæ futuræ* [in quo haud pauca præſtantiſſima cogitata de cognitione cœlitum] & alia; ſic & SWINDENII [cujus Tractatus aliâs quædam non rejicienda habet, & pietatem ſpirat] hypotheſis paulum paradoxa de loco inferni commemorata &c. Hinc inde quoque per huncce Locum quædam ex iis, quas Cel. MOSHEMIUS doctè ac judicioſè profert, Veterum opinionum elucidationes adductæ, ſic & Cl. SCHOETGENII, nec non aliquando Cl. ELSNERI [quemadmodum & Locô jam X. ac XI.] locorum Scripturæ egregiæ elucidationes.

Videant & perluſtrent, quibus operæ pretium ac volupe eſt, ipſum librum, plura ideò quoad huncce Locum non addimus, quæ aliâs deduci ac addi poſſent; tùm quia non pauci aliâs talia vanam nonniſi jactantiam interpretari voluerint [cùm è contrà nonniſi ſcopum ac ſcribendi rationem, quod neceſſe, lectori indicent] tùm quia alii præfationes prolixiores inutiles pronunciant: cùm è contrà aut rationes agendi non indicandæ ſint, aut in præfatione id fieri debeat; quippe etſi in Opere hîc illîc indicentur,

inde tamen nemo satis cognoverit: quum aliâs totum priùs perlegere oporteret, & talia simùl exhiberi debeant; qui proinde præfationes prolixiores rejiciunt, indicant, se rationes allegare non posse, quare in scribendo ita & non aliter instituerint, sine certis finibus præfixis ac repræsentatis se Opus suscepisse [non cogitantes, quare ita versari velint] è contrà in eventum quasi fortuitum &c. & si rationes eædem ipsis communesque sunt cum reliquis omnibus, qui scribunt vel scripserunt de talibus, scripserunt sine necessitate suadente; at num id laudandum & sequendum sit, ipsi dicant &c.

XXV. Moneo adhùc quoad Locum huncce XII., etsi ultimum ac finis sit Scripti hujus, tamen in eo me neutiquam festinanter egisse, qui aliâs ferè mos Scriptorum, ut versus finem pervenientes, properent, lassi, fastidientes laborem exantlatum, optantes, ab eo tandem liberatos esse, hinc faciles in talibus prelo committendis &c. cùm è contrà totum Locum ter denuò totum composuerim, aliquas materias plùs adhuc, quod magis adhùc de Loco, præsertim XI. dixerim.

Circa quas Loci XI. materias cùm me paulum diffundere posse videretur, ac spatium quasi me extendendi obtinere,

re, eò quòd nonnisi tres Loci hôcce Tomô ultimô contineantur & incumbant, ut & Virorum Doctorum Observationes ipsis aliquando eorum egregiis verbis apponi possint, inde prolixior paulò, quàm putavi, devenit; ubi cùm dein, quod primò non cogitaram, Indices prolixiores, & Theses theolog. ac Prælectio inaug. accederent, spissius inde paulò hocce Volumen quàm duo priora factum.

Indices accurati nemini, ùt credo, displicebunt, eos conficiendi laborem benignè in se suscepit Amicus, qui & thesium annexarum socius adscriptus Auctor, Vir non minus pietate, vigilantiâ in munere pastorali, aliisque Ministrum ornantibus virtutibus, quàm doctrinæ, cum judicio conjunctæ, penu laude honoresque se dignum reddens, majori quoque Theatrô dignus.

Theses dictas subnectere visum fuit, quòd eæ aliquam totius Theologiæ brevem generalemque ideam continere viderentur.

Prælectio inauguralis ob materiæ affinitatem hunc locum obtinere posse videbatur, nec verò quòd modô materiâ dignô conscripta sit: simplicitas nonnisi & veritas ipsa nuda curæ habita; etiam non ùt propria cogitata, quæ in ea posita,

sita, omnia vendito: dum præter Auctores ibid. duos in fine allegatos, etiam quæ Cel. WOLFIUS *Hor. subsec.* præcipuè *de volupt. è cognit. verit. revel. haur. Ann.* 1729. p. 359. seq. in usum meum converti.

XXVI. Fratrum concordiam, sine omni tamen res colorandi aut prætermittendi studio curæ ita & sincerè habui, prout decet, ubi veritatis studium cum amore aliorum animum occupat. Hæc tamen me neutiquam postposuisse credo, ubi quædam modestè ad ea reponere constitui, quæ Cl. SCHUBERTUS contra me [magis autem contra Reformatos in genere] scribere dignatus fuit *de voluntate Dei.* Dolemus etiam Philosophos, qui interiora perscrutantur, & pacis studiô magis ducuntur, lites potiùs serere quàm componere inter Fratres! interim omnia suas habent rationes sufficientes, quas Cl. Vir optimè hac in re noverit; pauca contra ipsum monere visum fuit, eò quòd tempus in nulla re minùs bene collocetur quàm in eristicis, & melius perituræ parcatur chartæ; eò minùs necesse fuit prolixum esse in reponendo, eò quòd doctè quoad quasdam materias id factum fuerit ab EDMUNDO Candid. Reg. Berol., cujus hac de re Scri-

Scriptum apologeticum habetur *in Symbol. liter. Brem. P. I.* cui propterea & gratias debitas hîc persolvimus.

XXVII. Quoad huncce Tomum tertium etiam monendum habeo, quòd dùm paulò magis in eo me diffundere obtigerit, inde & aliquando loca Scripturæ [si non verbotenus, saltem quoad sensum & rem ipsam] exhibere potuerim, magis quàm in prioribus Tomis; præscribitur aliâs scil. & ad methodum Theologiam scientificè tractandi, ut loca Scripturæ in §. §. apponantur, etiam quoad verba, ac inde [seu è plurimum locorum collatione seu ex uno] propositio determinata efformetur; proùt & Cel. WOLFIUS *Hor. subsec.* Ann. 1731. p. 483. seq. Theologiam tractandam præcipit. Talis scil. pertractatio majus jam multò spatium occupasset, cùm è contrà quoad hoc parcum esse in prioribus Tomis oportuerit, scopus etiam fuerit nonnisi præcipuè curæ habere, quæ in Theologia desiderabatur, veritatum distinctam evolutionem & aptam connexionem, atque loca Scripturæ facilè addi posse videretur; ut taceam, citata saltem fuisse in §. §., hermeneutica autem explicatio aliquando in Schol. exhibita. Forsan inde ansam sumserunt quidam [uti ille Diarii germanici,

nici, *Novellarum ex Orbe erudito* inscripti Auctor] dicendi, me nonnisi ope definitionum nominalium, arbitrariarum, res explicare, dogmata & loca Scripturæ inflectere; optarim id non dixisset, interim refutatio facilis est, legatur vel solùm Scriptum meum &c. forsan indidem factum, quòd alii dixerint, ad tractandam hâc ratione Theologiam Scripturâ opùs non esse, & quòd sine ea potuissem vel quis posset omnes meas propositiones stabilire; at num quæso ita potest judicari, ubi præmissæ è Scriptura hauriuntur, & dein nihilominus conclusioni è præmissis deductæ loca Scripturæ apponuntur &c.? Probationes itaque semper è præcedentibus veritatibus [quas Scriptura nunquam non suppeditat] deduxi per totum Opusculum, semper ita planè, præcisè ac breviter [licet aliquando plus unâ allata] quantum licuit; num demonstrationum nomen sustinere possint, judicent, qui talia callent; utique rectè dicitur Majestas in voce demonstrationis latere, & sanè sæpe nimis liberales multi sunt cum hocce titulo, probationes suas insufficientes, aut regulis parùm conformes, eô insigniendo, persuadere volentes, ejusmodi, quæ statum perceptionum ordinatarum non adesse indicant,

cùm

cùm ad palatum talium sint, demum rectas esse, eò quòd difficili regulis astringendi methodo sint exemtæ; cùm è contrà dici debeat, regulas has non solum cum naturali cogitandi modo, si distinctè evolvatur, convenire, sed & probationes, in quibus regulæ eæ non observantur, ei, qui in Statu præceptionum ordinatarum habitum acquisivit, infirmitatum suam mox ostendere, iis verò, qui in tali statu cogitationum non versantur, imponere; equidem & in communibus ac receptis antehâc Systematibus probationes afferuntur, quæ & sufficientis, at interim pro demonstrationibus vix agnoscent, qui probationes suas hôcce nomine insigniunt.

XXVIII. Curæ habui quoque, ut Scholia non citentur in propositionum probationibus seu §. §., saltem non sola Scholia, adeòque probatio non nitatur Scholiâ; hinc ut propositiones absque Scholiis cohæreant; licèt forsan aliquando eam regulam prioribus Tomis non prorsus observare potuerim. Sic & curæ fuit, ut §. §. vel probationibus non insererentur nisi veritatem nudam spectantia, nullæ Auctorum citationes, allegationes historicæ ibi ponerentur: cùm meliùs ac magis ordinatè mihi fieri videretur, & convenire, si talia, quæ historica sunt, Scholiis insererentur. Circa citationes verò Auctorum & allegationes locorum

rûm ex iis propriis semper usus sum oculis, ipsos Auctores pervolvendo, excutiendo, ut, quæ maximè appositа ac utilia apud illos deprehenderentur & extarent, inde desumi possent.

Marginalia ita ponere [quod etiam accuratam ac utilem scribendi rationem pertinet] curæ habui, ut exprimerent, quod aliàs è propositione aliquando non statim prima vice lector præsentiscere & perspicere potuerit.

Iis Doctis Auctoribus, qui Opusculum meum recensere dignati sunt, habeo, cur gratias agam, etiam ob ea, quæ meliora edocuerunt, licèt aliquando & institutum ac mentem non prorsùs perceperint; apud quosdam desideraretur, ut judicium apposuissent circa omnia, quæ in Scripto observanda occurrunt.

XXIX. Itaque auxiliante Deo T. O. M., cui in solidum omnia tribuo, absolvi hancce de Theologia dogmatica tractationem; nil inde magis optaverim, nisi ut tenuis hicce labor ita se haberet, ut alii, tyrones inde in Theologia proficere possent, porrò & per veritatum vivam cognitionem internæ Ecclesiæ membra, ac tandem gloriæ sanctis destinatæ participes fierent; lucrum id Auctor reputaverit maximum, quod Bibliopolarum agendi ratio non præripuerit, quem in finem &, ut Scriptum id ab amatoribus haberi posset, lucrum etiam justum postponens, tamen efficere non potuit, ut æquis conditionibus haberetur &c. custodiat autem nos Deus ἐν ὁσιότητι τῆς ἀληθείας, Ei sit laus sempiterna Amen.

LOCUS

LOCUS X.

DE

SIGNIS AC SIGILLIS FOEDERIS GRATIÆ.

1226. BEneficia Christi erga nos quum ad gratitudinem obstringant (§. 1157. 1160.), Ipseque sit Rex ac Dominus noster (§. 971.), *Ipsi & servire & beneficia Ejus recordari debemus*: sine recordatione beneficiorum enim gratitudo locum non habet (*Met.* §. 470.), uti nec sine determinatione actionum ad præscriptum alterius (§. 1158.); quod ipsum est *servire*. *Ob beneficia Christi quid agendum sit.*

Quod hic *servire* dicitur, alias respectu Dei dicitur *colere*; ac ita & (§. 53.).

1227. Propositum Christo serviendi appellatur *se Ei dicare* vel *devovere*; *id* autem *& externe*, *peculiari quôdam modô*, *ac solenniter testificandum est*: namque quod adeò momentosum est, etiam externè ostendi debet; actu externô quoque ac solenni interna Mentis intentio corroboratur (per Leg. psych.), hinc animo stimulus additur. *Porrò.*

Sch. 1. Externa quippe in genere impressionem faciunt in mentem: vid. (*Met.* ex. gr. §. 226. 778. 846. *Mor.* §. 745.).

Sch. 2. Ut τὸ se Christo devovere non inefficax maneat, omnia impendenda sunt, at eò etiam facit, si quis dein recordetur, se id solenni modò fecisse; porro per nostram externam ac solennem testificationem alii quoque ad idem excitantur; noscunt item inde, cuinam simus devoti. Officium Christo se devovendi adeòque obligatio ad id etiam è munere Ipsius prophetico resultat: nam ut ei, qui solus doctrinam nobis necessariam plenè indicavit ac confirmavit (§. 910-920.), nos devoveamus, justissimum omnino est.

Externum quid ad id requiritur.

1228. Externa testificatio requirit signum aliquod, consequenter visibile, uti & ad recordationem beneficiorum signis rememorativis opùs est: cùm aliàs facilè oblivioni mandentur; ergò *si quis Christo se devovere, beneficiaque Ejus recordari vult ac debet, per signa externa, visibilia, id fieri oportet.*

Adeòque ceremoniæ.

1229. Quare cùm per signa talia menti cogitatio instituti cujusdam, seu certæ rei, ingeri debeat, & talia dicantur *ceremoniæ* (*Mor.* §. 176.), *ceremoniis eam in rem opùs est.*

Sch. 1. Definitionem ceremoniæ vide etiam apud CANZIUM *us. to.* 1. *Cap.* 12. §. 1. (ubi & exemplum suppeditat) & §. 6.

Sch. 2. Ceremoniæ autem tales (quod nemo non videt) concernunt articulos Fidei puros (§. 188.), ac Regnum gratiæ (§. 667.).

Quid præcipuè repræsentare debeant

1230. *Ceremoniæ* autem *hæ ut in memoriam revocent causam meritoriam beneficiorum Christi erga nos, convenit:* nam cùm sine illa beneficia nobis non obtigissent, & Christus in illa, ùt acerbissima, amorem ostenderit ineffabilem (§. 970.); ut ceremonia, seu signum, quò opùs est ad recordationem

tionem beneficiorum Christi, causam eorum meritoriam repræsentet, æquum est.

Sch. 1. Repræsentet nempe primariò, cum & ipsa beneficia inde provenientia secundariò ac mediatè repræsentet, quo de in seq. Nec refert, quòd actus Christo se devovendi propriè repræsentari non possit: nam signis arbitrariis, nec aliter, ejusmodi res peragi possunt; ubi verò signa talia simùl similitudinem quandam habent cum re repræsentata, eò meliùs res se habet.

Sch. 2. Causa beneficiorum meritoria, seu obedientia Christi etiam meliùs per signa externa ac commodiùs repræsentari potest, quàm possunt ipsa beneficia; & ob hanc rationem obedientia passiva repræsentanda fuit, quo de in seq.

1231. Ejusmodi ceremoniæ, per *Nomen eaquas* tùm externè ac solenniter testa- *rum.* tum fit, nos Christo devoveri, tùm causa meritoria beneficiorum Ipsius repræsentatur, *Sacramenta* audiunt.

Sch. 1. Finis ac natura Sacramentorum hinc adeò se ostendit; unde dijudicari possunt ac debent, quæ de eorum vi ac operatione disputantur: è fine enim, in quem res instituta est, intelligitur, cur hôcce & non aliô modô comparata esse debeat. Definitio generalis quoque Sacramentorum (§. 752.) tradita & hîc adhuc salva relinquitur: nonnisi inflectitur ad Opus redemtionis, quod ibi adhùc ignorabatur: cùm Sacramenta, de quibus nunc, ad Opus hocce omnem suam habeant relationem.

Sch. 2. Vox *Sacramenti*, (ùt nemo nescit), non est ἔγγραφος: [in Scriptura enim nonnisi σημεῖον, σφραγὶς occurrit, Rom. 4: 11.] Veteribus Latinis in usu erat, notans juramentum, quòd eô homo sacretur ad certam rem, ùt ad militiam, Imperatori item aut Reipublicæ; vid. MARTINIUS *Lex. philolog.* ad illam vocem, ubi & (vi hujus significationis) de aliis significatibus metonym. Apprimè autem hîc ad rem facit locus eruditiss. VAN DALE [*hist. baptis. &c. p.* 354.] quem ideò adscribere juvat, ubi ita V. D. „ Vox Sa„ cramentum à militia desumta Christianis fuit: ita

„ namque SERVIUS ad *Virgil.* 2. ----- *legitima erat* „ *militia, quâ singuli jurabant, se pro Republica factu-* „ *ros, nec discedere nisi completis stipendiis, id est,* „ *militiæ temporibus, & id Sacramentum vocabatur;* „ etenim jurabant sic in nomen sui Ducis seu Impe- „ ratoris: unde TACITUS *Lib.* 1. [*Annal.* p. m. 8.] „ *addebat Messala Valerius renovandum per annos Sa-* „ *cramentum in nomen Tiberii.* Græci utebantur vo- „ cabulô ὅρκῳ, unde HERODIANUS *Lib.* 2. [*Cap.* „ 2. p. m. 68.] de Pertinace, εἰς τε τὸ ἐκεῖνε ὄνομα „ τὰς συνήθεις ὅρκες ὀμόσαντες ---- hincque TERTUL- „ LIANUS ad Martyres: *Vocati sumus ad militiam* „ *Dei vivi, jam tunc, cùm in Sacramenti verba spon-* „ *dimus.* Quid quòd & ipsi Gentiles ---- Sacramen- „ tum suum militare etiam mysterium appellarint? ita „ enim HERODIANUS *Lib.* 8. [*Cap.* 7. p. m. 356.] „ de Maximino: τὸν στρατιωτικὸν ὅρκον, ὃς ἐστι τῆς ῥω- „ μαίων ἀρχῆς σεμνὸν μυστήριον; porrò Apostolum „ PAULUM Christianam disciplinam appellare plus se- „ mel militiam, notius est, quàm quòd id operosè „ ostendatur; „ hactenus V. D. Notamus adhuc POLI- TIANUM etiam in egregia sua Herodiani Versione verba μιάναντες τὸν ὅρκον *Lib.* 2. *Cap.* 9. p. 96. reddere per *Sacramentum militare polluere*; & ἐπιόρκως *Lib.* 6. *Cap.* 9. per *neglectô Sacramento militari.* Transiit adeò vox hæcce in Ecclesiam, uti in græcam vox μυστήριον, è Gentilismo etiam desumta, ubi notabat arcanum ad Sacra pertinens, profanis non vulgandum; vid. idem MARTINIUS in hanc vocem; præter quam Patribus Græcis quoque dicuntur σύμβολα, vid. SUICERUS *thes. eccles. to.* 2. p. 382. 383. 1082. 1083.

Sunt partes Cultûs Divini.

1232. *Pertinent Sacramenta ad Cultum Dei.* Cùm enim repræsentent beneficia Christi, adeòque Dei, & inde orientem obligationem nostram testentur (§. 1226. 1232.), consistunt in actionibus, quæ suscipiuntur intuitu perfectionum Divinarum: quippe beneficia illa & obligatio bonitatem Dei ac justitiam, imò & reliquas perfectiones involvunt; jam verò actiones tali intuitu

tu susceptæ constituunt Cultum Divinum (*Mor.* §. 757.).

Quare interim de iis, cùm de Cultu Divino agat pars Theologiæ practica (prol. §. 12.), parte theoreticâ (ib. §. 11.) agatur, pòst dicetur; uti & de quolibet Sacramento speciatim in seq. patebit, quòd sit pars Cultûs publici.

Deum requirunt Auctorem.

1233. *A solo ideò Deo instituti possunt:* nam Cultum ipsum ordinare solius est Dei: cùm sit officium è perfectionibus Ipsius resultans; ad homines hinc non pertinet ipsisque est relictum nisi determinare modum peragendi Cultum Divinum ac circumstantias; porrò cùm Sacramentorum usus omnibus, qui doctrinam Christi profitentur, incumbat (§. 1226. seq.), adeòque sint instituta, quæ universaliter, hinc & semper valere debeant, etiam eadem omnibus recipi, uti & doctrina eadem, oportet Deum habeant Auctorem: quoniam nulla Societas gaudet jure institutum quoddam pro omnibus ac semper sanciendi.

Sch. 1. Sufficienter id quoque à posteriori seu è Scriptura probatur, quo de post, nempè quòd Deum Auctorem habeant; ob quam rationem & (inter alias) audiunt *sancta* vel *sacra*, uti & quia τὸ Christo se devovere, quod per Sacramentum fit, non differt à sanctitate (§. 1160.). Ob eundem Divinum Auctorem, qui positivè tales externas ceremonias consecravit, sunt pars Cultûs Christiani præcipua, uti & quia ab omnibus omni tempore Christianis recipienda sunt.

Sch. 2. Sacramenta dum ab institutione proveniunt, ideò sunt signa arbitraria (*Met.* §. 294.); hinc extra usum, seu ubi non adhibentur eum in finem, quò institutio tendit, non sunt Sacramenta, non ampliùs id manent, adeòque esse eorum formale seu essentia nonnisi in usu illorum quâ talium situm est.

Convenientia illorum cum Verbo Dei ac Fœdere gratiæ.

1234. *Sacramenta cum Verbo Dei ac Fœdere Gratiæ non possunt non convenire, & ad eundem tendere scopum:* eundem enim habent auctorem Deum; & Verbum Dei ac Fœdus gratiæ beneficiorum Christi considerationem orientemque inde obligationem injungunt (§. 992. 993.), quò & Sacramenta spectant (§. 1231.)

Differunt autem, uti præter alia [quo de pòst] ita in hocce, quòd Sacramenta visu percipiantur (§. 1228.), Verbum ac Fœdus gratiæ verò auditu (sch. 1. §. 1010.),

Cognitio ad ea necessaria.

1235. *Prærequirunt cognitionem:* Cultus enim talem postulat: cùm non possit erga alterum quid agi ex intuitu perfectionum Ejus, nisi Ipse & perfectiones ipsius noscantur; idem & è notione ceremoniæ (§. 1229.) probatur: cum sine cognitione instituti memoria seu cogitatio ejus animum subire non possit.

Eunuchus ideò non sine prævia cognitionis exploratione Sacramenti particeps fiebat, Actor. 8: 35 - - 38. Prærequiritur nempe cognitio, nisi aliæ sint rationes, ob quas cognitio acquirenda expectari nequit; ubi tum Sacramentum antecapi potest ac debet, etsi aliâs Verbum Dei naturâ præcedere debeat.

Professionem secum ferunt.

1236. Quòd si quis coram aliis ceremoniâ quâdam utatur, is, cùm ea institutum quoddam repræsentet (§. 1229.), testatum facit, se pro vero habere id, cujus gratiâ ceremonia est; igitur *Sacramentis utendo quis coram aliis testatur ac profitetur, quòd pro vero habeat, quæ per ea indigitantur,* seu *professionem edit fidei suæ.*

Sch. 1. Nempe iterum & semper, si cum prærequisita cognitione (§. 1235.) suscipiantur.

Sch. 2.

Sch. 2. Inde Sacramenta faciunt ad sociandos eos, qui iisdem utuntur, seu ad Societatem Christianorum sanciendam. Hùc facit, quod CANZIUS *Discipl. moral.* &c. de *Jurispr. eccles.* §. 2476. »Sacramenta generatim, »prout —— Jus publicum universale ecclesiasticum »considerat, sunt devoti animi, sociatis viribus testi»ficandi, signa vel adjumenta; & §. 2697. Sacramen»tis competit facultas distinguendi Ecclesias; —— »Sacramenta sunt veluti signa & vexilla Ecclesiarum, »quibus agnoscuntur; quisquis igitur ipsô usu hæc signa »sua facit, is cœtui ipsi semet aggregasse censetur.

1237. *Sacramenta sunt ac rectè dicuntur signa fœderis gratiæ:* cùm enim sint signa & ceremoniæ, quæ beneficia Christi, causamque præcipuè meritoriam eorum & orientem inde obligationem nostram Christo serviendi Ipsique nos devovendi notant ac menti ingerunt (§. 1230. 1231.), beneficia autem ea cum causâ eorum meritoria & inde veniente obligatione nostra sint promissa, postulata, fœderis gratiæ, cum fundamentô hujus (§. 992. 993. 1000.), Sacramenta indigitant, quod fœdere gratiæ continetur. *Indigitant Fœdus gratiæ.*

Sch. 1. Etiam ob hanc rationem *sancta* vel *sacra* dicenda sunt, dici quoque possunt & sunt *signa hieroclyphica* s., simplicia in se, at multum significationis habentia, seu ponderosa, quâtenus iis, quæ primariò indigitant, multa alia involvuntur, quæ per priora determinantur, hinc evolvenda; undè græcis μυστήρια dicta, uti notatur (sch. 2. §. 1231.). Interim notio eorum originalis ac primaria semper est id, quod definitio illorum fert (§. 1231.).

Sch. 2. Inde & jam numerus Sacramentorum (quo de ad finem hujus Loci) determinatur: cùm in fœdere gratiæ non occurrant nisi hæc duo, nempe 1. promissa: 2. postulata; fundamentum enim fœderis non ut contentum hujus consideratur, &c. vid. autem (§. 988. 992. 993. 1000.).

Sch. 3. Ob hanc rationem quoque requiruntur Sacramenta, quia nempe ad fœdus gratiæ pertinent; nàm cùm interſit, ut promiſſorum fœderis participes fiamus per poſtulatorum præſtationem, ideò & fœdus ipſum repræſentandum eſt.

Et obſignant. 1238. Quum verò juxta fœdus gratiæ, qui poſtulata ejus implet, etiam particeps fiat promiſſorum ejus (§. 988. 992. 993.), inde hominem fide ſanctitateque fœderi gratiæ adſtipulantem (§. 1010.) Sacramenta confirmant, quòd beneficia Chriſti, quæ Deus cum cauſa meritoria per illa ùt ſigna notari voluit (§. 1231. 1233. 1237.), & ad ſe pertineant; cujuſmodi ſignum, quod ita confirmat, cùm ſit ac dicatur *Sigillum*, ſequitur, *Sacramenta eſſe ac rectè dici ſigilla fœderis gratiæ.*

Sch. 1. Atque hæc eſt ratio, uti & illa (§. 1237.), ob quas de Sacramentis rectè Parte Theologiæ theoret. exponitur [ùt præmonitum] (ſch. §. 1232.): conſiderantur enim præcipuè ùt res, quæ ad ſtatum ac fœdus gratiæ pertinent, ùt appendices beneficiorum ejus, quæ hæc ſignent & obſignent; cùm aliæ ceremoniæ & partes Cultûs talem connexionem cum opere redemtionis non habeant uti Sacramenta, quæ ideò ad id pertinent, quippe & à Redemtore inſtituta.

Sch. 2. De obſignando aliquid dictum (§. 1202. & ſch.). » Eſt autem *ſignare*, (ſunt verba KORNMANNI *tract. de annulo triplici, uſitato, ſponſalitio, ſignatorio*, ſubjuncto Kirchmann. de ann.) » ſignis impreſſis pa» cta conventaque cuſtodire &c. p. 45. eam in rem annulus adhibebatur, cujus » uſus (ſunt verba ejuſd. V. D. ib.) »antiquiſſimus creditur, ſtatim cum contra» ctibus inter homines ortus, ut confirmationem —— » adderet: cùm enim vita hominis caduca ſit, nę » cum ipſa morte omnes ejus actus perirent, ſed poſt » mortem etiam de ipſius rebus geſtis & voluntate » conſtaret —— ſigillum inventum fuit. » Ejus appellatione notatur ſignaculum illud ad epiſtolas aliaque obſignanda adhiberi ſolitum, ſive annulus ſit ſive non, vid. GEORG. LONGI *tract. de annul. ſignator. antiq.*

tiq. Cap. 1. p. 14. qui & *Cap.* 10. p. 94. notat, tabulas contractuum omnes olim obſignari ſolitas fuiſſe. Idem hoc & notat KIRCHMANNVS *de annulis;* vid. ex. gr. *Cap.* 5. ubi etiam de ſponſionibus & Teſtamentis obſignari ſolitis; item *Cap.* 18. ubi monet, annulos arrhæ loco ac in pignus dari ſolitos eſſe, in teſtimonium ac pignus v. g. ſponſionis inter Sponſum Sponſamque &c. Hæc omnia jam egregiè ac facilè ad Sacramenta applicari poſſe quivis perſpiciet, ut rectè dicantur ſigilla, pignora &c. uti circumciſio Abrahamo erat ſigillum juris vitæ per fidem, Rom. 4. 9. 11.

Verbum Dei poteſt comparari cum literis fœdus exhibentibus, Sacramenta cum ſigillo, quod literis illis imprimitur, ſeu appenditur, & quô muniuntur confirmanturque, ad certitudinem ingenerandam ei, in cujus manibus ſunt, non ſolùm vera eſſe, quæ iis continentur, ſed & ad ſe pertinere; adeòque confirmat non tantùm veritatem promiſſi, ſed & participationem de eodem. Sigilli nempe voce hac ratione (uti & in aliis inconſtantia in loquendo fert) non ſignaculum, quô mediante nota ſeu ſignum imprimitur, verùm ipſa nota impreſſa indigitatur. Malè propterea quidam, uti v. g. ferè Armin. [inter quos & LIBERIUS ille de S. AMORE ſeu J. CLERICUS *epiſt. theol.* 7. p. 234. 235.] voces *Sacramenti*, *ſigilli fœderis*, *obſignationis*, ùt alias in Theologia receptas ac ab Eccleſia, ferre nolunt; quaſi verò in ſcientiis non liceret terminis uti aptis ac determinatæ notionis &c.?

1239. Signa ideò ſunt equidem omnibus, qui iis utuntur, ſigilla verò, quæ participationem de beneficiis Chriſti confirment, nonniſi fidelibus, ſeu talibus, qui fœderis gratiæ conditiones implent. *Mediante fide.*

Reliquis ſunt nonniſi hôc modô ſigilla, quòd confirment veritatem fœderis gratiæ; non communionem cum bonis ejus, verùm cum comminationibus in eo repetitis (§. 1005.); hæ quippe iis incumbunt, qui fœderi illi per reſipiſcentiam fidemque non adſtipulantur (§. 993. & ſch. 1. ib. §. 1005.); & cum Sacramenta veritatem fœderis confirment [ùt à Deo pro ſignis data] (§. 1233. 1237.), etiam veritatem com-

minationum confirmant, iisque, qui fœdus non recipiunt, inflictionem comminationum, ut talibus sint sigilla iræ Divinæ. Potest id comparari cum negotio, ubi Rex subditis contra Rebelles pugnantibus declarat, se iis, qui fortiter pugnaverint, gratiosum exhibiturum, bona ingentia conferendo; qui verò pugnam aut detrectaverint aut fugam capessiverint, in eos se iram manifestaturum; ponatur declaratio hæcce scriptô publicata ac sigillô Regiô munita. Est ea signum omnibus, quòd Rex velit gratiam & bona conferre; sigillum autem & certificatio quô quis certus fiat de gratia Regis erga se, est ac fit tantùm ei, qui actu postulatum Regis adimpleverit: tùnc demùm enim exoritur stipulatio. Nimirum si promissio Regis generalis cuidam debeat fieri obsignatoria, ut jus habeat eam petendi ac sibi applicandi, debet certitudinem de hocce in se ipso quærere, quòd fortiter pugnaverit &c. Applicentur jam hæc ad fœdus gratiæ scriptô consignatum in Evangelio, ac obsignatum per Sacramenta, simile benè procedere intelligetur.

Requisita Sacramenti. 1240. Ex hactenus dictis etiam patet, in Sacramentis præcipuè hæc quatuor spectanda esse, ac ad ea requiri: 1. Externum, seu ceremoniam nudam; 2. Id, quod ceremonia repræsentat, seu rem significatam, quæ per externum animo ingeritur, & cujus gratiâ id est; 3. Institutionem Divinam; 4. Promissionem à parte Dei & obsignationem pro fidelibus.

Sub primo etiam comprehenduntur actiones de signis seu elemento usitatæ; sub secundo etiam consecratio ad Christo serviendum; & sub utroque convenientia inter signum & signatum. Illud est quasi cortex, hoc verò ut nucleus; illud quasi speculum, hoc verò ut quod in speculo repræsentatur. Absque hoc & cujus attenta consideratione Sacramenta ideò manent quasi mente cassa, velùt ubi quis voces loquitur, quarum nullam habet ideam (*Log. C. 2. §. 5. 9.*), & quæ ipsi nil significant. Res signata eâpropter præcipuè attenditur, nec in signo subsistitur; quin ob id signo nomen rei signi-

significatæ tribuere convenit, item prædicatum quoddam, & vice versâ; cujusmodi *locutio Sacramentalis* audit; quæ hinc in Scriptura obtinent: vid. Matth. 26: 26. 28. 1. Cor. 10: 4. ubi signo datur nomen rei significatæ, seu de signo prædicatur res signata; 1. Cor. 5: 7. ubi vice versâ; Act. 22: 16. Tit. 3: 5. ubi de signo prædicatur attributum & effectus rei significatæ; 1. Cor. 11: 24. ubi vice versâ. Fundamentum harum locutionum dicitur *unio Sacramentalis*.

1241. *Sunt* porro *Sacramenta etiam sigillum historicum Verbi Dei* [quale appellatur monumentum, quod veritatem facti seu historiæ confirmat] cùm enim repræsentent id, quô Christus beneficia nobis meritus est, quod est Factum (§. 947.), & indicent, quòd nos Christo ùt Redemtori devoveamus (§. 1231.), confirmant, verum esse, quod in Evangelio de Christo narratur: quippe dum signa, quæ se eò referunt, per omnia retrò secula in usu fuisse comperitur, originem suam tandem ascendendo sumsisse oportet ab ipso facto, quò se referunt. *Obsignant veritatem Evangelii.*

Monumentum nempe tale vim 'probandi habet, ubi factum ipsum aliâs ùt verum se probat', ubi contigit tempore notô & aliis historiis signatô; Ita Pascha monumentum erat confirmans veritatem facti illius, in cujus gratiam institutum dicebatur, quo de aliquid (sch. 3. §. 118. p. 109.). Sacramenta hinc obstant corruptioni & oblivioni præcipui Christianæ Religionis articuli de Christo pro nobis mortuo (§. 926.). Undè porro liquet, Sacramenta posse comparari cum sigillo, quod instrumento publico, quô pro authentico declaretur, appenditur, uti instrumentum ipsum esset Evangelium, quod hinc benè sub instrumenti publici (*Testamenti*) nomine venit.

1242. E dictis & patet, Sacramenta conscientiam salutis clariorem firmioremque reddere per (§. 1238. 1239. 1241.). *Quid porrò faciant.*

Ut

Ut res, quæ conscientiam salutis clariorem firmioremque reddant, Sacramenta præcipuè considerat Cl. GÜRTLERUS *instit. theol. Cap.* 33. §. 101. seq. Sacramenta repræsentant amorem Christi erga nos [hic enim fuit causa impulsiva obedientiæ Ipsius] vid. (§. 970.), inde instigant, ut id, in quod ob amorem illum nos devovimus, actu præstemus, consequenter sanctitati studeamus; at è sanctitate conscientia salutis arcessitur (§. 1204. seq.)

Quamnam obsignationem ferant.

1243. Porro patet, *Sacramenta obsignationem externam efficere:* quippe conscientia salutis, quam clariorem reddunt (§. 1242.), est præcipuus obsignationis articulus (§. 1202.); & quia sunt signa externa ac sigilla (§. 1231. 1237. 1238.), obsignant externè.

Sch. 1. Cum Verbo nempe [quo cum conveniunt (§. 1234.), & à quo vim suam quodammodo nanciscuntur, quia illud præcedere debet ob cognitionem inde hauriendam (§. 1235. & sch.), cui ut sigilla literis appensa sunt] (sch. 2. §. 1238.) efficiunt obsignationem, quæ externa est, uti illa (§. 1202.) est interna. Obsignatio hæc etiam [unà cum repræsentatione] jam memorabatur in notione Sacramentorum generaliter tradita (§. 752.).

Sch. 2. Sacramenta ideò & ad applicationem salutis externam faciunt [quod etiam antecedenter ad illa iterùm facit Verbum promissiones continens] uti applicatio interna in fœdere gratiæ fit à Spir. S. (sch. 1. §. 1003. & §. 1021.); aliud autem est facere ad applicationem salutis, & aliud τὸ applicare ipsum seu per se applicationem efficere; ab utroque verò differt, ubi per medium quoddam (cùmprimis proximum) quid applicari dicitur.

Vis eorum quoad fidem.

1244. *Sacramenta* ideò *fidem jam antea præsentem corroborant, at eam, ubi nondum adest, neutiquam operari possunt:* prius patet ex eo, quòd per illa, uti institutum Divinum (§. 1233.) persuasio animo ingeneretur

generetur (§. 1238. 1239.); posterius probatur è natura eorum, natura fidei, & dispositione hominis naturali: natura quippe illorum est, quòd sint ceremoniæ (§. 1231.), ceremonia autem nulla unqàm talem producere potest effectum, cùm fidei natura requirat operationem supernaturalem (§. 1030. 1073. & sch. 3.), ob hominis dispositionem naturalem (§. 1045. seq.).

Sch. 1. Experientia sat superque testatur, quòd Sacramenta fidem non operentur: cùm è magno eorum numero: qui illis utuntur, tàm pauci, eheu! ad fidem perducantur; equidem major pars illis, proh dolor! non rectè utuntur, at facultas ipsa illis rectè utendi jam arguit gratiæ ac fidei semina vel desiderium; ad quæ Sacramenta equidem medium aliquod esse possunt, uti Verbum Dei, quod verò fidem operari non potest & non dicitur: cùm adhuc vis alia requiratur, vid. (§. 1019. seq.).

Sch. 2. Sacramenta ideò benè compatari possunt v. g. cum vestimentis, quæ calorem corpori propriè non impertiunt: cùm corpus ipsum calore prorsus destitutum nunquàm calorem concipere possit; verùm si saltem aliqualis adhùc corpori insit, tùm eum fovent, conservant, augent; vel & cum perspicillis, quæ nullum usum, nullam videndi facultatem conferre possunt homini visu planè destituto, verùm si aliqualis saltem adsit, hebetudini oculorum tum succurrunt, Visum corroborant. Sic & Sacramenta quoad fidem, licèt dein & per fidem sigilla fiant (§. 1239), uti quoque vestis calorem conservans & ipsa calefit contactu corporis.

Sch. 3. Quoniam adeò Sacramenta fidem præsupponunt, ac postulant, ideò & in Eunucho, qui Sacramenti cupiebat particeps fieri, fides postulabatur, Actor. 8: 36-38. id est, & assensus, & conatus inde oriens salutem in Christo quærendi. Obsignationem hinc externam non afferunt, si absit interna per fidem.

1245. *Gratiam* hinc *homini conferre non possunt:* ea enim [id est *Quoad beneficia gratiæ.*

natus

ſtatus gratiæ] homini confertur, ubi particeps ſit bonorum fœderis gratiæ (§. 987. 1224. ſch. 2.), at ea Sacramenta impertire nequeunt; vid. (§. 1239. 1244.).

Sacramentorum vis ideò non eſt niſi moralis; ſunt inſtrumenta & media moralia ad gratiæ participationem. *Morale* nempe hîc non deſignat, quod ſupra (§. 64.), verùm quod ſit efficax ac operatur mediante diſpoſitione hominis ac ejus voluntate.

Communicanda iis à Spir. S.

1246. Sacramenta ideò à Spir. S. perinde ac Verbum (1019. 1020.) efficacia reddi opùs habent.

Duo propterea extrema tanquàm devia quoad æſtimium Sacramentorum diligenter ſunt vitanda: unum eorum, qui in exceſſu peccant, nimium iis tribuendo, ùt ſit à Pontificiis, qui Sacramentis tribuunt vim phyſicam fidem operandi & gratiam conferendi [qualis etiam vis eſt, ſi Spir. S. operatio iis per ſe & ſemper ſit annexa, uti intelligi poteſt Bossuetus, ſi modò ſatis intelligi voluit, qui *Cap.* 9. illa non ſigna tantùm & ſigilla eſſe dicit gratiæ, verùm Spir. S. inſtrumenta, quibus gratia conferatur, modò non obicem ponamus] alterum eorum, qui nimis parum illis tribuunt, quod ſit præcipuè à Fanaticis, qui externa omnia rejiciunt, nonniſi interna crepantes. Socin. quoque Sacramenta non poſſunt habere pro ſignis ac ſigillis beneficiorum ob Chriſti meritum impertiendorum: cùm meritum hocce tollant (§. 927. & ſch. 3. §. 952.), nec pro mediis, queis Spir. S. utatur in fide corroboranda: cùm operationes haſce Spir. S. non admittant (ſch. §. 1019. coll. §. 1021.).

Externus eorum uſus in ſe eſt inefficax.

1247. Opus operatum propterea, quod vocant, in Uſu Sacramentorum locum habere nequit.

Nempe *Opus operatum* eſt, ubi res exiſtimatur uſui eſſe ac fructum ferre, dummodo ſaltem quôcunque demum modô externè ſit peracta. Id verò cum natura Cultûs conſiſtere non poſſe quilibet perſpicit: Cultus enim involvit actus internos, Intellectum Voluntatemque: cùm aliàs ex intuitu perfectionum vel beneficiorum

ficiorum alterius ſuſcipi ac agi quid non poſſit, quod tamen pet Sacramenta fit, vid. (§. 1232.); imò Cultus externus ſine interno nequidem eſt Cultus (per defin. *Mor.* §. 757.), & non eſt ac debet eſſe niſi Cultûs interni ſignum (ib. §. 759.). Quare Deus tàm graviter Judæis exprobrabat, quòd cortici ſolùm inhærerent, Eſ. 1: 11. ſeq. Amos 5: 21. ſeq. vid. de hiſce quædam apud CANZIUM *uſ. to.* 1. *Cap.* 12. §. 6. 7. 11. 12. de opere operato autem Pontific. in uſu Sacramentorum GÜRTLERUS *inſtit. theol. Cap.* 33. §. 335.--347.

Vis Sacramentorum non pendet ab intentione conficientis.

1248. Porrò cùm Sacramenta à Spir. S. efficacia reddi opùs habeant (§. 1246.), natura eorum in ſignificando poſita ſit (§. 1231. 1237.), efficacia eorum in obſignando (§. 1238.), & corroborando fidem, quæ ad id priùs adeſſe debet (§. 1244.), *efficatia illorum minimè impediri nec promoveri poteſt reſpectu aliorum hominum per intentionem & bonas qualitates adminiſtrantis.*

Pontificios intendi quivis videt, licèt non ſatis ſe explicent, utrum nonniſi abſentiam poſitivè contrariæ requirant in conficiente Sacramentum, an verò actualem ipſam intentionem [forſan quia ipſi inter ſe hac ſuper re non ſatis concordant] ſaltem requirunt intentionem faciendi id, quod Eccleſia facit: leg. v. g. BELLARMINUS *de Sacrament. in genere Cap.* 27. 28. COSTERUS *enchir. controv. Cap.* 8. p. 333. ſeq. Interim hocce placitum dignitatem Cleri admodum evehere nemo non videt, ac ſimùl, quòd vera ſint Eccleſiæ membra, quòd verè Sacramentum acceperint, dubium prorſus reddere, hinc ſolatium mentibus adimere: quis enim ſciverit, Sacerdotem tùm, ubi Sacramentum aliis adminiſtravit, habuiſſe intentionem, quam debuit &c.? at tùm hi nudum quid, omni efficaciâ deſtitutum, acceperunt; imò forſan & ipſe Sacerdos malè initiatus fuit, unde omnes, quibus dein conferre vult Sacramentum, tale tamen non accipiant; eheu! ut ſententia, quæ ab una parte Clerum evehit, ab altera eum proſternat, ac, qui ei ſubſunt. Interim ſententia illa

illa vix est refutatione digna: quis enim dixerit, per intentionem unius, etsi positivè contraria esset, cùm tamen nonnisi intùs maneat, posse impediri in altero mutationem? cùm hôc modô unius mentem alterius voluntati subesse, aut Deum ipsum ad intentionem unius in altero operari oporteret, quod verò & absurdum & in Dei bonitatem injurium.

Usus eorum quomodo necessarius.

1249. Tandem, quia Sacramenta homini gratiam conferre non possunt (§. 1245.), *ad salutem necessaria non sunt*; interim quià sunt institutionis divinæ (§. 1233.), *omissio eorum petulans ac contemtus salute excludit*: arguit quippe contemtum directum instituti Divini.

Quoad prius Pontificii non possunt non contrarium tenere: cùm Sacramentis nimium tribuant (sch. §. 1246.). Distinguitur autem benè inter necessitatem *præcepti* dictam & necessitatem *medii*; necessaria sunt Sacramenta non ût medium & in se, verùm quia Deus usum eorum præcepit; qui ergò ea voluntariè negligit, & tamen pro præceptis Divinis tenet, is ob præcepti hujus neglectum condemnabilis est; qui verò præter culpam suam iis caret, is nec culpam luet.

Baptismus quid sit.

1250. Sacramentum, per quod testatum fit, quòd quis Christo se devoveat, ad Cultum Ipsius ac servitium consecretur, & ablutio, quæ aquâ fit, quam Christus ipse instituit, Matth. 28: 19. ac *baptismus* dicitur, uti τὸ consecrari ad Illi serviendum, *in nomen Christi baptizari*, Act. 2: 38. 19: 5. vel *in Christum*, Rom. 6: 3.

Sch. 1. Baptismus nimirum priùs jam obtinebat apud Judæos, unde Servator [qui jam ante glorificationem suam per discipulos baptizabat Joh. 4: 1. 2. ac priùs ipsemet 3: 22.] eum in disciplinam suam transtulit, licèt id nolit Cl. DEYLINGIUS, hypothesi litans, *Dissert. de orig. Euchar.* Lipsiæ 1734. §. 4. 5. portentu n opinionis appellans; erat scil. baptismus vel *pollutorum* (טבורת

(טבילת נדה) quô immundi jùxta legem cerem. ablutione purificari debebant, vel *proselytorum* (טבילת גרות) vid. de hoc præcipuè eruditiss. DANZIUS *diatr. baptismus proselytorum Judaicus* in *Meuschenii N. T.* p. 233-286. Ritus autem hisce circa proselytos non erat ecclesiasticus [cùm non ad Sacerdotes pertinuerit, nec Sabbatô aut die Festô peragendus] verùm civilis ac forensis: cùm proselyti à Triumviris [quod Fori genus erat, sive ex auctoritate publica, sive velut è compromisso selectum] baptizarentur, monente hæc J. SELDENO *Jur. N. G. Lib.* 3. *C.* 2. p. 149.

Huncce Judæorum morem suum faciebat Johannes Baptista Matth. 3: 6. verùm ut divinitus sibi injunctum Matth. 21: 25. [per cœlum (שמים) scil., ubi contradistinguebatur hominibus, Judæis solenne erat Deum indigitare, vid. SCHOETGENIUS in h. l.] Joh. 1: 33. licèt complures, inter quos & LIBERIUS de S. AMORE *epist. theol.* 7. p. 211. baptismum Joh. nonnisi pro ceremonia Judaica habeant; vid. autem præter alios de eo BÜRMANNUS *Synops. Theol. Lib.* 7. *Cap.* 6.

Patrum [qui non omnes parem ei virtutem dignitatemque tribuebant] de illo sententias exhibet SURCERUS *thes. eccles. to.* 1. p. 625.--627. Benè potest dici, sicuti Munus Johannis fuerit præparatorium ad Christum, ita & baptismum illius debuisse præparare ad Christum & ad baptismum in Hunc, undè in resipiscentiam baptizavit, nondum expresè in Christi ipsius nomen, minus in proprium nomen, vid. Matth. 3: 2. seq. Notandum autem quoad Johannem baptizantem, Senatum in eo non examinasse baptismi naturam ceu novi quid Joh. 1: 25. [uti obtendunt, qui novitatem ejus propugnant, hinc nolunt baptismi Christiani originem à Judaico esse repetendam, sicùt Rever. DEYLINGIUS *Diss.* cit. §. 5.] verùm auctoritatem titulumque, quô mediante baptizet, cùm aliàs ad Triumviros pertineret; ideò Johannes missionem Divinam monstrare debebat, tantò magis, quòd aliàs Prophetæ titulum renueret; uti & Nicodemum non obstupuisse ad injectam regenerationis mentionem, tanquam rem inauditam, Joh. 3: 9. verùm ad regenerationem è Spiritu, cùm non aliam nisi ex aqua & circumcisione noscere;

ceret; prout hæc monet DANZIUS *antiq. baptism.* &c. §. 85--87. Quoad originem baptismi judaici ut verbum addamus, sunt, qui illam sibi deprehendisse videntur Mosis ætate, ubi ad montem Sinai populum vestimenta lavare oportuit, Exod. 19: 10. 14. quin Jacobi ætate Gen. 35: 2. imitati adhuc priorum exempla fidelium, &c. ita RHENFERDIUS *Orat. de antiq. baptism. Opp. philolog.* p. 948. 949. seq. vid. quoque eruditiss. DANZIUS *antiq. baptism. initiat. Israël. vindic.* in *Meuschenii N. T.* p. 287.---307. ANT. autem VAN DALE solidâ ratione baptismum ex Eremo deduci non posse tener, *Hist. baptism.* p. 339.--342. Baptismus Judæis quoque in usu erat in Sacerdotum inauguratione: aquâ namque lavabantur Exod. 29: 4. Christus ideò, dùm baptizabatur trigesimô ætatis annô Luc. 3: 21. 23. muneri suo sacerdotali (§. 930.) ad modum Sacerdotum V. T. [typorum] inaugurabatur. Varii itaque baptismi cùm sub V. T. obtinuerint, ideò & ùt complures innuuntur à PAULO Heb. 9: 10. At etiam Gentilibus in usu valdè erant ablutiones, tùm ut aliâs digni essent Sacra tractare volentes, vid. ex. gr. DE NIEDEK *de popul. Vet. ac recent. adorat.* Amstel. 1731. *Cap.* 12. & amplissimè eruditiss. LOMEIERUS *de lustration. Gentilium.* Liquet è dictis, baptismum respectu Religionum, in quibus obtinebat, benè distingui posse in judaicum, gentilem & christianum, uti facit BÜRMANNUS *syn. Lib.* 7. *Cap.* 6. §. 1. de *baptismo Hebræorum ac Christianorum* Tractatum suum inscripsit eruditiss. VAN DALE.

Sch. 2. Phrasin. in nomen alicujus baptizari, egregiè ac amplè pro more suo illustrat Cel. VITRINGA *Observ. S. Lib.* 3. *Cap.* 22. *de germano sensu dictionis baptizari in rem.* Occurrit autem, βαπτίζειν εἰς τὸ ὄνομα Matth. 28: 19. Act. 19: 5. ἐπὶ τῷ ὀνόματι Act. 2: 38. ἐν τῷ ὀνόματι 10: 48. εἰς Χριστὸν Rom. 6: 3. Gal. 3: 27. εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ Rom. 6: 3. εἰς μετάνοιαν Matth. 3: 11. Judice Virô Doctô idem dicunt βαπτισθῆναι εἰς τίνα & εἰς ὄνομα τινὸς: cùm promiscuè sumantur, ac notare: consecrari, ut nomen ejus tanquàm Domini, Patroni &c. quis colat; uti ἐν ὀνόματι esse: jussu ac authoritate ejus baptismum suscipere; conf. etiam eruditiss. SCHOETGENIUS in Matth. 28: 19. & in 1. Cor.

1. Cor. 7: 2. ubi ad illum locum probat, Judæis phrasin *in nomine* alicujus notare auctoritate ejusdem, locum egregium è plurimis, qui proferri possent, apponit; ad h. verò l. probat, eam illis idem sibi velle ac ex institutione, jussu cujusdam; v. g. לשם שמים *in Nomine Dei*, Monet porro laud. VITRINGA, usum & constructionem particulæ εἰς cum τὸ βαπτίζεσθαι illustrari per phrasin Rabbinicam טבל לשם *in nomen baptizari*; idque construi vel cum abstracto לשם עבדות *ad servitutem*, לשם גירות *ad Proselytismum*, vel cum concreto, לשם עבד, לשם גר *ad servum, ad proselytum*, [de quibus formulis & SELDENUS J. N. G. &c. p. m. 149. 150.]; priori modò si adhibeatur τὸ לשם, optimè verti per *ad*, & notare finem, propter quem quis baptizatur, aut statum, ad quem quis per baptismum transit, ac illustrare phrasin N. T., ubi sermo de baptismo in beneficium quoddam, v. g. remissionem peccatorum, mortem Christi; posteriori modò notare titulum aut qualitatem, quâ baptizatus considerari debeat. Notetur adhuc, in nomine seu per nomen Christi promitti remissionem peccatorum Luc. 24: 47. 1. Joh. 2: 12. invocandum esse Patrem Joh. 14: 13. 15: 16. 16: 23. 26. gentes benedicendas Ps. 72: 17. ac nomen Christi designare & doctrinam Ipsius, vid. ex. gr. Actor. 5: 28. 40.

1251. Externum itaque in hocce *Signum & Sacramento* est ablutio per aquam *signatum in* [ubi aqua est ac dicitur *elementum*, *eo*, ablutio verò *actio circa elementum*] res significata autem, ob quam signum externum suscipitur, est consecratio ad Christo serviendum.

Sch. 1. Aqua etiam dicitur *materia baptismi*; aquam Apostoli adhibebant, ut satis constat, vid. Act. 8: 36. 38. 10: 47. Sanguinis usu sub N. Test. prorsus cessante. Aquam Christus instituit pro elemento, tùm quia facillimè ubivis terrarum haberi poterat [facilitate nempe & simplicitate Cultum Christianum sublevare voluit] tùm quia jam ante ablutiones ejusmodi per aquam Judæis ac Ethnicis in usu erant, uti dictum modò (sch.

1. §. 1250.); tùm &, quià [uti in seq. videbitur] benè convenit cum effectu fineque baptismi. Actio circa elementum hocce, Apostolis usitata, erat immersio, quæ in zona calidiore facilè obtinere poterat; alluditur eò Rom. 6 : 4. Col. 2 : 12.

Sch. 2. Quoad ritus in Ecclesia Veteri circa baptismum ut aliquid memoretur, notandum v. g., aquam baptismi consecratam fuisse certâ precum formulâ, ubi etiam adhibebatur signum crucis; vid. BINGHAM *antiq. eccles. Lib.* 11. *Cap.* 10. §. 1--3. Immersio plerumque totius corporis fiebat immersione; vestibus nimirum priùs exuebantur baptizandi, tàm infantes, quàm adulti, & hi tàm Mares quàm Fœminæ; cavebatur interim sollicitè, ne indecens quid in tali actione sancta se proderet; unde baptisteria in duo plerumque erant divisa conclavia, Virorum alterum, alterum Fœminarum; Fœminis etiam assistebant Diaconissæ. Aspersio autem permittebatur: 1. Si quis ægrotaret, vel in extremo Vitæ periculo versaretur, atque adeò quoad clinicos, qui indè & quòvis tempore baptismô tingebantur; 2. ubi difficilibus temporibus non sat aquarum pro immersione haberi poterat, ut si quis Martyr in carcere esset baptizandus, vid. idem BINGHAM *Lib.* 11. *Cap.* 11. tot.

Unctio tùm præcedebat, quâ baptizandi ad baptismum præparabantur, dicta χρίσις μυστικὴ ἐλαίᾳ; tùm & sequebatur [licèt ceremonia unctionis non pro essentiali, verùm pro tali, quæ omitti poterat, reputata fuerit] quâ baptismus confirmabatur, dicta χρίσις μύρῳ vel χρίσμα, vid. idem V. D. *Cap.* 9. §. 4--6. nimirum immersionis actui statim jungebatur, si Episcopus adesset, confirmatio, tàm quoad infantes, quàm adultos; ubi cùm ex aqua ascendissent, Episcopi benedictionem recipiebant, quæ solennis erat precatio pro descensu Spir. S. in baptizatum; cui precationi juncta erat tùm secunda illa unctio, tùm impositio manuum ac signum crucis; undè tota actio sæpe audiebat χρίσμα, χειροθεσία, σφραγὶς; quæ nomina multò erant, quam confirmatio, notiora. Confirmatio ideò non proprium & peculiare erat Sacramentum, ne tùm quidem, ubi à baptismo erat separata, uti in baptismo hæreticorum, notante Virô laud. *Lib.* 12. *Cap.* 1. qui & *Cap.* 2. 3. exponit, quamnam Presbyteri habuerint potestatem

testatem confirmationem dandi, nec non de ceremoniis in confirmatione & earum origine. Ceremoniæ hæ uti institutionis sunt humanæ, ita obligatio nulla ad eas observandas, meliùsque fuisset perstare in simplicitate ab Apostolis tradita.

Sch. 3. Pontificios baptismo complures addere ritus notum est; ante tinctionem nimirum signum crucis in fronte & pectore, exorcismum, exsufflationem, narium & aurium è saliva contactum cum epphetah, salis gustationem, unctionem oleô in pectore & scapulis; ad ipsam tinctionem: aquæ consecrationem; post tinctionem: unctionem chrismatis in vertice, cereum accensum, qui neophyto gestandus datur, vestis candidæ indumentum; vid., qui vanitatem horum rituum eruditè, ùt solet, ex antiquitate ecclesiastica ostendit JOH. DALLÆUS *de cultibus Latinorum religiosis Lib.* 1. tot, ubi probat, nullam harum ceremoniarum cognitam usitatamque fuisse ante annum Christi 160mum; Seculô demùm secundô exeunte baptizatos cœpisse ungi, verùm oleô merô; cæteras ceremonias omnes post Seculum tertium esse exortas, inde paulatim receptas licèt magna cum diversitate, pro locis ac temporibus diversis.

1252. Cùm baptismum suscipiendo quis se Christo devoveat, ac solenniter profiteatur, se Christo velle servire (§. 1250.); idque sit postulatum fœderis gratiæ (§. 993. coll. 1160.), quodlibet autem fœdus tum demum recipiatur, seu quis id ineat, ubi, quod in eo postulatur, præstare suscipit, sequitur, *baptismum esse Sacramentum receptionis in fœdus gratiæ*, ideòque *initiationis*. *Initiatio in eo qualis fiat.*

Sch. 1. Idem est, quod aliâs dicitur, hominem per baptismum recipi pro membro Ecclesiæ [quod verò hîc nondum est dicendi locus, nondum traditâ Ecclesiæ definitione] uti & Hebræorum Magistris Proselyti [nempe גרי צדק, qui non solùm erant תושבים seu גרי שער] per circumcisionem ac baptismum di-

cuntur introire לקהל ישראל *in Catum Israëlis*, intrare תחת כנפי השכינה *sub alas Divina Majestatis*, [conf. locutio Matth. 23: 37. quam egregiè è Veteribus Rabbinis, ùt solet, illustrat eruditiss. SCHOETGENIUS *hor.* in h. l.] id est, recipi in fœdus cum Deo [quo de *differt.* mox citanda §. 14. 27.] ac proselytus - talis ipsis & audit בן ברית *filius fœderis*, vid. SELDENUS J. N. G. &c. *Lib.* 2. *Cap.* 2. p. 139. 143. 144. Etiam fœminæ per baptismum in fœdus Dei recipiebantur, seu proselytissæ fiebant, idem V. D. p. 142. Puellulæ autem tàm Hebræorum quàm proselytorum [id est, quarum Parentes jam ante proselyti facti] adeòque quæ erant genitæ in sanctitate (זרועות בקדושה) non suscipiebant propriè & expressè initiationis signum, baptismum, uti masculi circumcisionem, verùm jam in parentibus baptizatæ reputabantur, baptismô in iis non repetitô; vid. lectu digna hac de re *Diss.* Rev. ac eruditiss. J. ROD. SALCHLINI *de initiatione puellarum hebr. in fœdus Dei*, Bernæ 1741. præcipuè §. 26 --- 31. nec non quoad initiationem puellularum secundum hodiernum Judæorum morem §. 33. 34. 41. 44. Ob receptionem ideò in fœdus Dei baptismum esse debere ac injunctum fuisse ùt ceremoniam continuandam in omnibus ac singulis, seu quemlibet, etsi Parentibus jam baptizatis natum, baptizari debere clarum est, Ecclesiæ praxi suffragante; ut non sit necesse longius id probare; contra Socinian., qui volunt, baptismum non ùt ceremoniam perpetuam permanere debuisse, sed æque ac baptismum Judaicum in primitùs baptizatis desiisse, disputat ac objectiones eorum diluit VAN DALE *hist. baptism.* [annexa *diss. super Aristea*] p. 350--370.

Sch. 2. Receptio per baptismum in unam eandemque societatem reapse jam habetur 1. Cor. 12: 13. corpus enim, quod ibi memoratur, morale esse per se clarum est, adeòque esse Societatem hominum. Ob hanc receptionem in societatem cum iis, qui & ipsi in eam jam ante intrarunt, convenit, ut publicè id administretur: cùm in genere & aliâs, qui in societatem quandam recipitur ac recipi vult, coram ipsa hacce societate & in conspectu id agere teneatur; quod

quod & requiritur ob ipsa jam societatis membra, ut admoneantur, quid fecerint olim, quis usus ac finis ceremoniarum (per princ. mor.); in Ecclesia antiqua id ob persecutiones non semper publicè fieri potuit. O eandem rationem [quòd receptio per baptismum publicè peragenda] etiam convenit, ut à personis publicis, sacrorum Ministris, peragatur; inde Laicis in Ecclesia antiqua interdictum erat in ordinariis casibus baptizare, nonnisi extra ordinem aliquando erat iis permissum, docente BINGHAMO *hist. scholast. baptism. Laicorum*, *Part.* 1. *Cap.* 1. §. 7. 8. seq. baptismus autem mulierum [id est, quem Mulieres conferrent] prorsus non admittebatur, §. 17. 18. præterimus hac in re praxin Ecclesiarum protestantium, diversarumque inter eas partium [qua de idem V. D. ibid. *Cap.* 3.] uti & quæstionem: num Sacerdotes hæretici & schismatici, item gradu dejecti Clerici, validum possint conferre baptismum, ib. §. 19--22. quam prolixiùs dein discutit *Part. poster.* eamque negat, ubi & *Cap.* 1. historiam sex priorum Conciliorum generalium pro sua sententia adducit. Quòd verò circumcisio in Vet. Test. à Patribus-familiâs & privatim administrata fuerit, in causa fuit, quia dùm diei præcisè octavo erat alligata Gen. 17: 12. non statim semper & ubivis Sacerdos haberi poterat, transportatio verò infantum ita vulneratorum valetudini infirmæ admodum fuisset noxia ac vitæ periculosa. Pontificii ideò malè etiam Laicis aliquando mulieribusque & in locis privatis baptizare concedunt, licèt aliâs strenui dignitatis sacerdotalis assertores, casus necessitatis nempe obtendentes è πρῶτο ψεύδει, quo de pòst. Historiam aliâs materiæ, quinam baptizare debeant, num solus Episcopus, vel num Presbyteri ab Episcopo nonnisi ordinati, & num etiam Laici, item an hi in Vet. Ecclesia etiam baptizarint, exhibet Cel. PFAFFIUS *Orig. Jur. Eccles. Cap.* 3. ad §. 2. not. 1. p. 215-221. historiam item certaminis de Jure Laicorum Sacerdotali, p. 174--176.

1253. Inde rectè concluditur, *etiam ad infantes baptismum pertinere*, seu, *hos esse omnino baptizandos*: *Num omni ætati communicandus.*

rationes quippe hîc adsunt, quæ non sinunt eos sine baptismo relinquere, [etsi careant cognitione, ad Sacramenta aliàs requisitâ] (§ 1235.), nimirum necessitas hominem Servatori suo consecrandi, quod verò ab initio vitæ faciendum: tota quippe hominis vita Christo debetur (per princ. §. 971. 1160.), & absque initiatione hominem relinquere planè non conveniret, cùm tùnc extra fœdus gratiæ esset.

Sch. 1. Anabaptistas hîc vehementer insurgere notum est, baptismum infantum ridiculam ceremoniam [è nostris, ut putant, princip.] (§. 1235.) dicentes: vid. SEYLERI *Anabapt. Larv.* P. 2. *art.* 16. p. 421. ubi & in seq. contra eos disputat. Præter allatas rationes autem pædobaptismus stabilitur, 1. ex analogia Sacramenti initiationis in Vet. Test., ubi Deus infantes masculos, nullius planè adhuc cognitionis capaces de fœdere, in quod recipiebantur, tamen in id per circumcisionem recipi voluit, Gen. 17: 10. 12. Deut. 29: 10 -- 12. 2. Quòd Apostoli leguntur integras baptizasse familias, Act. 10: 48. coll. 11: 14. 16: 15. 31. 33. sic & Paulus Stephanæ familiam 1. Cor. 1: 16. quis jam dixerit, nullos inibi fuisse infantes? ut frustrà argumentum id aliaque adhuc infringere conetur ANT. VAN DALE pædobaptismi auctoritati non satis favens *Hist. baptis.* p. 375 -- 400. 3. E praxi Ecclesiæ trium primorum seculorum, quibus pædo-baptismus obtinebat, nec demum pòst introductus fuit, vid., quid id probat, Vir harum rerum longè peritissimus BINGHAMUS *antiq. Eccles. Lib.* 11. *Cap.* 4. §. 6 - - - 12. ubi hanc in rem advocat CLEMENTEM Romanum, HERMAM Pastorem, JUSTINUM Martyrem, IRENÆUM, TERTULLIANUM, ORIGINEM, CYPRIANUM. *Historia pædobaptismi* etiam in 4. primis seculis concinnè exhibetur in *Diss.* de ea Jen. 1739. per BELIUM Hung., è qua etiam intelligitur, non omnia Scriptorum illorum loca æque esse clara, unde fuêre Eruditi, qui pædo-baptismum auctoritatis Apostolicæ esse

esse negarunt, uti LUD. VIVES, CLAUD. SALMASIUS, sub *Simplicii Verini* nomine, COLOMESIUS, & alii, quibus Sec. 9no præivit WALAFRIDUS STRABO, vid. diss. cit. §. 8. speciatim quoad TERTULLIANUM objicitur, quòd voluerit cum baptismo cunctandum atque ad adolescentiæ annos usque eum differendum, consequenter baptismum infantum non habuerit pro instituto Apostolico; respondetur autem, ipsum solùm loqui de infantibus, qui vitæ periculô carent; præterquam quòd auctoritas ipsius non tanta esset, ut aliorum Patrum effata inde infirmarentur: cùm non in omnibus & prorsus ita probatus sit: Montanistarum quippe castra secutus; ib. §. 5. Porro quoad JUSTINUM Martyr. objicitur, quòd si ejus ætate pædo-baptismus ut institutum Apostolorum obtinuisset, ipsum non omissurum fuisse illius mentionem facere in loco, ubi aliâs de baptismo loquitur, ac eum cum circumcisione comparat (*Dial. cum Tryph.*), præsertim cùm alibi promiserit ordine recensere, quomodo alii Christianæ disciplinæ adscribantur; at respondetur ad scopum ipsius id necesse non fuisse; cùm nonnisi quoad adultos [qui pagani priùs Christianam dein Religionem amplectabantur] calumniæ gentilium, quòd Christiani malis artibus ad sacra sua propaganda utantur, occurrere opùs habuerit, *Diss.* cit. §. 6. Idem & quoad Patrum horum loca breviter respondetur *Diss.* mox dein citanda §. 35., uti & ad id, quòd serâ nonnisi ætate sæpè homines fuerint baptizati [è cujusmodi exemplis DALIUS tract. cit. p. 384-386. Imperatores Constantinum ac Theodosium memorat] responsio datur: ob disciplinæ Eccles. rigorem, cui baptizati suberant, id factum esse; præterquàm quòd aliâs sæpè remissior institutorum Apostolicorum fuerit usus, uti vel quoad S. Cœnam factum. Quarti Sec. Doctores pædobaptismum omninò approbarunt, vid. cit. BELII *Diss.* §. 15. 16. ubi CHRYSOSTOMI, CYRILLI Hierosol., AUGUSTINI, HIERONYMI &c. proferuntur loca clara. Alias rationes suppeditat Cel. VITRINGA *Observat. S. Lib.* 2. *Cap.* 6. nimirum è baptismo proselytorum apud Judæos, ubi [quod è *Talmude* ac MAYMONIDE apparet] & minorennes baptizabantur; porrò quòd

PAULUS 1. Cor. 10: 2. transitum per mare rubrum faciat emblema [typum dicit] baptismi, jam verò & minorennes mare transierunt; item quià censentur in Parentibus. quorum pars sunt, unde in Parentibus jam sancti sunt 1. Cor. 7: 14. [sanctitate nimirum fœderis externâ, quod Parentes amplexi] quod omnino est Judæorum זרועים בקדושה, quo de LIGTFOOTUS ad dict. loc. & consensus liberorum propterea rectè præsumitur in doctrinam Parentum, donec dissensum expresse ostendant, quod illustratur per dicta supra (sch. 2. §. 837.); imò & aliquando suô modô consentiunt; dum motuum gratiæ Divinæ pro ætatis ratione non prorsus sunt expertes: vid. egregia sub præsidio eximii Theologi Sig. Jac. BAUMGARTEN habita *Diss. exhibens pædobaptismi demonstrationem ac vindicias contra Auctorem* der unschuldigen Wahrheiten, Halæ 1739. §. 5 --- 8. ubi adstruitur, statum perceptionum obscurarum [qualis apud infantes obtinet] quocum & conatus continuus novas producendi perceptiones [unde appetitus etiam] conjunctus, admittere posse, mediante scil. gratiæ operatione, fidem, licèt non qualis apud adultos; interim nos baptismo vim eam producendi non tribuimus, quo de in seq. Pro infantibus ideò Parentes spondent, ac rectè possunt: cùm beneficia pro liberis non accipere malè actum esset, & beneficium etiam pro ac ab inscio accipi possit; unde è contra parentum infidelium liberi baptizandi non sunt. Porrò gratia Dei omnibus in Adamo lapsis necessaria est ac annuncianda; uti v. gr. Rex, qui Urbi jure belli totalem promeritæ excisionem gratiam faciens etiam infantibus in ea omnino gratiam facit.

Eleganter etiam Cl. WITSIUS *Miscell. S. tom. 2. exerc. 19. de efficacia baptismi in infant. §. 59.* dicit infanti baptismum idem præstare, quod præstaretur infanti Regio in cunis vagienti, si ipsi à Regni Proceribus porrigerentur Sceptrum, Corona, &c. quæ, etsi ab infante tali non intelligantur, tamen non sint cassa rerum signa, verùm maximæ dignitatis haud fallaces tesseræ; sic & baptismum non desinere esse tesseram, etsi ignoranti. Quæ aliàs pro pædobaptismo & contra eum antiquioribus ac recentiori-

centioribus temporibus scripta sunt, commemorat [curiosè non minùs quàm gratè] Cel. PFAFFIUS *orig. Jur. Eccles. Cap.* 2. p. 127 -- 133.

Sch. 2. Omnes ideò Christianorum infantes baptizandi sunt; spurii, nothi aut aliâ natalium labe, Parentum item vitiis notabiles excludi propterea haud debent. Quoad monstra autem, infantes mente motos, dæmoniacos &c. prudenter procedendum: monstrositas si Rationem humanam seu animam rationalem tamen admittat, inde nec baptismô excludere debet; contrà verò &c. Liberos verò Parentum aliûs Religionis [quam diu nempe eidem vitæ instituto inhærent] aut hisce invitis baptizari non posse nec debere, multò minùs liberos vi eripiendos esse ad baptizandum [quod aliquando in & ab Ecclesia Romana fit] patet ex eo, quod modo dictum de consensu liberorum præsumto in Religionem Parentum, ob quem liberi possunt baptizari: Sacramenta enim cùm sint pars Cultûs Dei (§. 1232.), hinc Religionis, nemini invito unquam obtrudi possunt; repugnat id naturæ Religionis, genio Evangelii, praxi Ecclesiæ; Religio in genere namque spontaneitatem postulat; conf. præter alios GROTIUS J. B. P. *Lib.* 2. *Cap.* 20. ubi *de pœnis* §. 47 -- 49.

Sch. 3. Quoad tempus, quô baptismus infantibus conferebatur; non semper & ubivis idem obtinebat: in Ecclesia v. g. Africana erant, qui baptismum octavo præcisè diei, juxta morem circumcisionis, alligatum volebant, quibus autem obviam ibant Cyprianus & Concilium Carthaginense; vid. BINGHAMUS *Antiq. Eccles. Vol.* 4. seu *Lib.* 11. *Cap.* 4. §. 13. in aliis nonnullis Ecclesiis, uti Gallicanis ac Hispanicis baptismus infantum differebatur ad appropinquantis cujusdam festivitatis tempus, idem §. 14. Baptismus adulrorum autem ordinariè alligabatur tempori Paschatis, Pentecostes, [tempore inter utrumque simùl comprehensô] & Epiphaniæ; quâ ultimâ Christus baptizatus credebatur, vid. idem *Cap.* 6. in casibus autem necessitatis tempora hæcce non expectabantur.

Quoad locum, ubi baptismum conferre licebat, qui temporibus Apostolorum pro lubitu quilibet erat, is ad baptisteria sequentibus temporibus adstringebatur; exceptô, si in casibus singularibus Episcopus

veniam

veniam in contrarium dedisset; vid. idem Vir. erud. loc. cit. §. 11--13.

Semel factus sufficit. 1254. Porro cùm baptismus sit Sacramentum initiationis (§. 1252.) sequitur, *eum repetendum non esse*, seu *homines semel ritè baptizatos denuò baptizari non debere*: quippe sufficit, si unicâ vice quis solenniter profiteatur, quòd Christo se consecret, uti unicâ vice solenniter fœdus iniri sufficit pro toto tempore, in quod initur; nec requiritur, nisi ut pluribus actibus & omni tempore fœderis iniri conditiones quis adimplere satagat.

Sch. 1. Baptismus nullibi iterari jubetur, nec ubi Christus eum instituisse legitur [qui esset locus proprius] nec alibi; uti è contrà alterum Sacramentum iterari constanter jubetur, ùt in seq. memorabitur; porrò inter tòt exempla baptizatorum, quæ in Scriptura occurrunt, tamen nullus rebaptizatus comperitur, sic Corinthios Galatasque in rectam equidem viam revocabat Apostolus, rebaptizandi autem quòd essent, minimè commemorat, uti hæc notat BUDDEUS *Theol. dogm.* p. 1140. Apud Judæos baptismus [proselytorum] nequidem in posteris eorum masculis unquàm repetebatur, uti inter alios monet SELDENUS J. N. G. *Lib.* 2. *Cap.* 2. p. 142. Eò minùs necesse est baptismum repetere, quià actus se consecrandi per eum factus (§. 1250. 1251.) semper dein de novo reperitur ac confirmatur per aliud Sacramentum, quo de in seq. (§. 1285.)

Sch. 2. Non frustrà dicimus, baptismum NB. ritè peractum iterari non debere; si enim non ritè factus esset, id est, ùt essentialia baptismi non haberet: consecrationem Deo tri-uni, qua de post, aut non Christo ùt Deo [ab homine Filii Deitatem negante] perinde ac nullus esset, & tùm homo baptizari deberet; quod verò non esset baptismum repetere.

Vetus Ecclesia ideò &, quàmvis rebaptizantes legibus ecclesiasticis & civilibus coërceret, tamen eos, qui minùs legitimè, in hæresi vel schismate baptizati erant, baptizari dein legitimè volebat; pro iteratione baptismi

baptismi quoque non habebatur, ubi [in casibus dubiis] nesciebatur, num quis baptizatus fuerit, cùm testes fide digni non adessent, aut infante in captivitatem ab Ethnicis abductò, vid. BINGHAM *Lib.* 12. *Cap.* 5.

Sch. 3. Objicitur hîc autem ipsum Pauli Apostoli exemplum contrarium Actor. 19: 3. 5. ad quod Viri docti varia respondent, quæ allegari nostri non est instituti, vid. autem BENNER *Diss. de baptismo Ephesiorum* &c. Giss. 1733. Saltem eam solutionem, quâ verba vers. 5. non LUCÆ, res gestas Pauli narrantis habentur, coactam nimis judicamus; item, quâ exponuntur, ut sensus esset: *Johannes quidem baptismô resipiscentiæ imbuit homines, hortatus, ut in eum, qui sibi succederet, crederent; sed qui eum hæc inculcantem audiebant, ab ipso in Jesu nomen baptizabantur*, ingeniosam quidem & compluribus probatam, quam verò idem BENNER *Cap.* 2. per contextum admitti non posse pluribus ostendit rationibus. Facilis & plana est responsio, discipulos illos non sat ritè baptizatos fuisse, nempe non in Christum, sed Johannem, ab aliquo forsan hujus discipulorum: his quippe de Magistro suo nimis magnificè sentientibus, Christo eum ferè æquiparantibus, Joh. 3: 25. 26. item quòd dona Spir. S. per Johannis baptismum [quo de etiam] (sch. 1. §. 1250.) communicata non fuerint: Christô nondum glorificato, Joh. 7: 39. Unde & ex ipsis Orthodoxis sunt Viri gravissimi non dubitantes asserere, baptismum Johannis, etsi auctoritate Divinâ & cum approbatione Christi collatum tamen omninò ut complementô opùs habuisse confirmari baptismô in Christum jam triumphantem, nobili Sacrô ita ab illustriori tamen adhûc discretô [quod & ferè indigitat locus Act. 18: 25.] actu ita factum esse cum ratione teneri; dùm è magna illa hominum multitudine ab Apostolis baptizatorum Actor. 2: 41. complures jam haud dubiè à Johanne baptizati fuerint. Ita agnosci aliam Oeconomiam Regni Christi nascentis, & aliam adultioris; ac baptismum Johannis ut Sacramentum aliquod medium inter Vetus Novumque Testamentum; uti hæcce commemorat idem BENNER *Diss.* cit. *Cap.* 1. ad §. 5. & *Cap.* 2. ad §. 11.

Per eum Chriſtus ut Doctor recipitur.

1255. *Qui Chriſto ſe conſecrat ſeu devovet, is eò ipsò ſimùl diſciplinæ ſeu doctrinæ Illius initiatur:* quippe τὸ Chriſto ſervire ac obligatio ad id, quod primariò per baptiſmum teſtatum fit, & quis in ſe ſuſcipit (§. 1250.), per doctrinam Ejus ac in ea manifeſtatur, notumque fit.

Sch. 1. Obligatio nempe ad Chriſto ſerviendum oritur è beneficiis Ipſius in nos collatis, ob quæ gratitudo debetur (§. 1157. 1160.), beneficia hæcce autem itidem per doctrinam Ejus nobis nota fiunt (§. 910.); in nomen Chriſti baptizari ideò & per ſe benè poteſt notare: doctrinæ Ipſius per baptiſmum initiari, quià nomen Jeſu etiam alicubi doctrinam Ejus notat, vid. Joh. 15: 21. Actor. 4: 18. 5: 28. 40. 9: 15. 16. Doctrinæ Chriſti homo non poteſt non initiari ac debet, quià eſt cognitio, quæ ſola homini neceſſaria (§. 910. ſeq.), ac apud Chriſtum ſolum invenitur (§. 123.), & quidem non tantùm ut Miniſtrum vel internuntium (§. 868. ſch.), qui doctrinam non ſuam propriè, verùm alterius nonniſi annunciaverit, & nomine non ſuò, verùm alterius nonniſi locutus ſit, uti Moſes, in quem ideò hôc ſenſu Iſraëlitæ baptizati dicuntur 1. Cor. 10: 2.

Sch. 2. Ita proſelyti apud Judæos per baptiſmum initiabantur doctrinæ Judaicæ: quippe dum ad legem etiam ceremonialem, præter præcepta *Noachidarum* dicta [& quæ amplè exponit Vir longè eruditiſſ. J. SELDENUS de J. N. G. *juxt. diſcipl. hebr. Lib.* 2 - - 7.] גרי צדק dicti ſe obſtringerent, hæ autem Leges & præcepta in doctrina Moſis & Judæorum continebantur, ac per eam manifeſtabantur, ipſam doctrinam ideò ſe recipere teſtabantur, hinc doctrinæ erroneæ & Cultui inde pendenti (עבודת זרה) renunciare; baptiſmus iis erat ritus ac teſſera profeſſionis, ſic & Chriſtianis eſt talis teſſera, verùm non ſola, ſed aliud adhùc: ut beneficia Chriſti & inde oriens ſervitium oſtendunt.

Sch. 3. Ob initiationem in doctrinam Chriſti per baptiſmum in Vet. Eccleſia ideò à baptizandis requirebatur profeſſio

professio fidei, usitatis Symboli verbis edenda; quæ publicè & solenniter fiebat, manibus & oculis ad cœlum sublatis; vid. antiquitatis Eccles. promus & condus eruditiss. BINGHAMUS *Vol.* 4. *Lib.* 11. *Cap.* 7. §. 8--10.

1256. *Christo* itaque *homo in baptismo se devovet ac dicat ùt Prophetæ & Regi, quin & ùt Sacerdoti:* ùt Prophetæ, quia profitetur per baptismum se assumere doctrinam Christi (§. 1255.); ùt Regi dum se Ei servire velle solenniter profitetur (§. 1250.); hinc & ùt Sacerdoti, eò quod in doctrina Christi præcipuum est Sacerdotium Ipsius (§. 910. coll. 939.), & hoc fundamentum est, ob quod Christo serviendum (§. 971. 975.), uti & beneficia, quæ ob Eo ùt Sacerdote proveniunt (§. 952. 955.), & quæ itidem præcipuum doctrinæ Illius articulum constituunt (§. 115. 910). *Etiam ùt Rex ac Sacerdos.*

Sch. 1. Hinc & confirmatur, quod modò probatum ivimus (§. 1255.), per baptismum hominem etiam doctrinæ Christi initiari: præcepta namque Christi ùt Regis ab ipso ùt Propheta proponuntur, & respectu muneris Ipsius prophetici sunt doctrinæ; vid. (§. 914. & sch. 2. §. 978.), hinc & servitium Ipsi præstandum, ad quod per baptismum homo se obstringit, consequenter homo per baptismum eò ipsò etiam doctrinæ Christi initiatur.

Sch. 2. Baptismus itaque cùm sit ritus professionis ac tessera, ùt dictum (sch. 2. §. 1255.), est talis tessera, quâ profitemur ac promittimus, nos velle peculium esse Christi ùt Sacerdotis, Regis, in Ejus doctrina & Sacerdotio nos salutem quærere, hinc ùt perfecti Redemtoris peculium velle esse. Sponsio & stipulatio obedientiæ Christo præstandæ ergò hic est; quæ ideò & in Vet. Ecclesia [abtenunciatione factâ, de qua mox] requirebatur; Græcis audiebat συντασσεσθαι Χριστῷ, unde in professione fidei ipsorum usitata erat formula: συντάττομαι σοι Χριστε, *in tuorum militum*

militum numerum adscribor Christe ; fiebat vultu Orientem versùs versô, BINGHAM *Lib.* 11. *Cap.* 7. §. 6. 7. Etiam in signum, quòd baptizati in posterum Christo velint servire, vitam puram sanctamque agere, induebantur iis eò ipsô tempore, quô unctio & confirmatio iis conferebatur, vestes albæ [in Ecclesia latina proximè ante confirmationem id factum, in græca autem post eam, ut videtur] vnde vocabantur λευχειμονέντες *in albis incedentes*, item, *grex Christi candidus ac niveus*, vestes ipsæ dicebantur *indumentum Christi, indumentum mysticum ;* cui rei præcipuè erat destinata Dominica post Pascha, ideò, ut creditur, *Dominica in albis* dicta ; portabantur vestes eæ per octo dies, in vestiarium dein Ecclesiæ reponendæ, & ibi custodiendæ. Ceremoniæ vestes gerendi albas addebatur & illa [licèt non ita universalis ut prior] manibus candelas gestandi ardentes, unde nomen baptismi φωτισμὸς, φώτισμα [de qua baptismi appellatione SUICERUS *thes. Eccles. Tom.* 2. p. 1492. 1493.] natum videtur ; osculum pacis etiam dabatur neophytis. Cùm jam per vestes albas baptismus fuerit novæ nativitatis signum, ideò neophytis particula mellis & lactis gustanda dabatur ; uti de hisce exponit idem Vir eruditiss. *Lib.* 12. *Cap.* 4.

Baptizatus consecratur Deo tri-uni.

1257. *Qui Christo se devovet, is non potest non simul se devovere Patri ac Sp. S.:* quippe hi omnes unum sunt (§. 359.), & in opere redemtionis neuter sine altero venit ac agit (§. 453. & sch. 3. §. 860.); dicitur jam illud, *baptizari in nomen Patris, Filii, & Sp. S.* Matth. 28: 19.

Sch. 1. Ideò & trina immersio vel aspersio rectè adhibetur, & in Vet. Ecclesia trinam obtinuisse immersionem praxi universali per aliquòt Secula docet BINGHAM *ant. Eccl. Lib.* 11. *C.* 11. etiam formula ea erat usitata : *In Nomine Patris, Filii & Sp. S.;* & Patres Orthodoxi unanimiter tenebant, esse eam in baptismo necessariò adhibendam ; ut nonnisi URSINUS quidam Monachus Africanus & AMBROSIUS contrarium sensisse reperiantur, docente eôdem V. D. *Cap.* 3. §. 1 - 3. Formulam illam corruperunt Tritheitæ

theïtæ & Priscillianistæ, in nomine trium Principiorum, nonnunquam etiam trium Patrum, trium Filiorum, trium Spirituum S. baptizantes; porrò Menander cum Sectatoribus, denegantes salutem, nisi quis in nomine suo [Menandri] baptizatus esset; sic & Eunomiani nonnisi in mortem Christi baptizari volentes, rejectâ trinâ immersione; vid. Vir. laud. loc. cit. §. 4 —— 10.

Sch. 2. In nomen Patris homò baptizari nequit, nisi per & ob Filium: cùm Christus jus, Eum vocandi Patrem, comparaverit (sch. 2. §. 1145.); unde in Vet. Ecclesia neophyti post ascensionem ex aqua Orationem Dominicam dicere jussi, & antea Deum Patrem suum vocare iis haud licebat, BINGHAM *Lib.* 12. *Cap.* 4. CHRISTUS adeò in nomen Patris, Filii &c. baptizari jubens ostendit baptismum esse honorem Divinum: uti id & jam indicat τὸ baptizari in illum ut Sacerdotem ac Regem (§. 1256.), item genesis ac notio Sacramentorum primatia (§. 1226. seq.), & præsuppositum fuit (sch. §. 350.); idem quoque tacite innuit PAULUS 1. Cor. 1: 13.

Nec contrariatur, quòd idem Apostolus Israëlis in Mosen baptizatos scribit 1. Cor. 10: 2. cùm non velit, nisi Israëlitas per nubem tinctos ac mirabiliter refectos fuisse, ut faterentur, eam Religionem esse veram, quam MOSES Divinò jussu docuit: cùm enim in MOSEN crediderunt, causam ministerialem, etiam in Deum crediderunt Exod. 14: 31. Transitus quoque per Mare rubrum & mirabilis in eo refectio baptismum præfiguravit; uti hæc notat Cl. SCHOETGINIUS *Hor. hebr.* in 1. Cor. 10: 2.

Sch. 3. Cel. VITRINGA loco supra (sch. 2. §. 1250.) citato judicat phrasin baptizari in nomen Patris, Filii & Spir. S., indigitare 1. per baptismum transire in arctissimam cum Patre & Filio unionem; 2. Baptizari in gloriam eorum: cùm לשם id & apud Judæos notet (licet præterea tam *eis*, quàm in nomine) & in Vet. ac Nov. Test. Jos. 9: 9. 1. Reg. 10: 1. Col. 3: 17. 3. Baptizati, ut nominemus, id est, publicè profiteamur, prædicemus, celebremus, nomen Patris, Filii &c. tanquam Domini, Patroni &c. conf. Jer. 3: 17. Conf. verò etiam eruditiss.

SCHOETGENIUS in 1. Cor. 7: 2. ubi probat לשם notare in gloriam; & in Matth. 28: 19. ita: » LIGTFOOTUS rectè explicat *in nomine Patris*, h. e. » in professionem Dei, quem nomine Patris insigni- » verunt; sic quoque *in nomen Trinitatis*, h. e., ad » professionem ejus Religionis, quæ Trinitatem se cre- » dere & colere profitetur; locutio est Hebræis fami- » liaris: sic Samaritani suos circumciderunt לשם » הר גריזים *in nomen montis Garizim*, id est, ut » circumcisum addicerent cultui, qui in monte Ga- » rizim instituitur. » Addimus quoad secundum, bene hominem dici baptizari in gloriam Dei, ubi baptizatur in nomen Christi ut Sacerdotis (§. 1256.): tunc enim in meritum Christi baptizatur, quia officium Illius sacerdotale meritum id involvit (930. 952. 958.), jam verò per hoc meritum Pater glorificatus fuit; vid. Joh. 17: 1. 5. & (§. 970.).

Ei Votô promittit obedientiam.

1258. In baptismo itaque & per eum homo vovet Deo tri-uni *Votum* [quod est promissum obtestatorium, quò quis ad certa se officia adstringit [Eique spondet obedientiam.

Sch. 1. Rectè hinc dicitur *Votum baptismale*; & in scriptis ecclesiast. sponsio obedientiæ erga Christum seu stipulatio audit *Votum*, etiam *promissum*, docente BINGHAMÔ *Lib.* 11. *Cap.* 7. §. 6. Patet autem voveri Votum [à quo juramentum differt, quòd habeat junctam Numinis Vindicis invocationem] cuilibet S. S. Trinitatis Personæ, prout qualitati, quam sustinet in opere redemtionis, convenit; ut rectè dicatur, Deo Patri Votô promitti obedientiam filialem, fiduciam, timorem talem &c. Filio baptizatum promittere, se pro unico perfectoque Eum habere velle Salvatore &c. Sp. S., se motibus Ejus obsequi velle, ab Eo dona gratiæ exorare.

Tale Votum cùm voveatur per baptismum, rectè ab hôc excluduntur ejusmodi [adulti], de quibus per se constat, quòd Votum factum nec curare in animo habeant; unde in Vet. Ecclesia excludebantur idolorum confectores, comœdi, aurigæ, gladiatores,

res, actores alii, astrologi, aliasque artes curiosas exercentes, publicis item ludis & spectaculis dediti, BINGHAM *Lib.* 11. *Cap.* 5. §. 6 -- 9.

Sch. 2. Cùm adeò per Votum hocce homo se consecret vel consecretur Deo, posset dici *consecrativum*; unde ulteriùs occurri potest objectioni aliàs moveri solitæ: nimirum cùm omne Votum requirat, ut fiat ab intelligente ac volente, infantibus non convenire; distinguendo nempe inter vota: cùm eorum, per quæ quis consecratur, alia sit ratio ac aliquorum, siquidem & ab aliis quis potest consecrari; & ubi ætas Intellectum voluntatemque nondum fert, consensus talis hominis rectè præsumitur, vid. (sch. 1. §. 1253.); uti & in pluribus rebus posteri ut consentientes habentur in ea, quæ Majores ipsorum rata fecêre. Quod autem infantes non intelligunt nec sciunt, id eorum nomine agunt Susceptores, seu Sponsores, qui pro illis spondent, & de quibus peculiari commentatione exposuit GERH. Van MASTRICHT Duisburg. 1670. 8. ubi quoad originem illorum notat p. 14. 16. & Judæis in circumcisione adhibitos fuisse Susceptores [אבי הברית item בעל ברית talem dictum] à Christo autem & Apostolicis temporibus morem hunc non venire; eò quòd nullum ejus in N. T. vestigium, ubi tamen compluribus locis occasio tulisset ejus mentionem faciendi, v. gr. 1. Cor. 1: 13. nec Justinus Martyr. *Apol.* 2. baptismа describens illius meminerit; TERTULLIANUM primum ejus meminisse, verùm ira, ut mallet abolitum &c. p. 24. è Susceptoribus in baptismo infantum etiam Susceptores in baptismo adultorum ortos esse; quorum jam tempore Basilii mentio p. 30. Mares potuisse esse Susceptores Marium & Fœminarum; circa Seculi 7mi medium fœminas videri admissas onusque tum in honorem abiisse &c. p. 54. 55. unum ab initio nonnisi Susceptorem obtinuisse, postea Matrem adjunctam fuisse, tandem tertium, ut Conciliorum Canones remederi necesse duxerint, p. 69. 70. exclusos esse à susceptione hæreticos, imperitos, cœnæ non participes, impuberes, pœnitentes &c. p. 58. 59. Vid. plura apud ipsum Auctorem, & conf. BINGHAM *antiq. Eccles.*

Eccles. Lib. 11. *Cap.* 8. §. 1. seq. qui ibid. §. 1. notat, Sponsores infantum horum nomine ad omnes interrogationes in baptismo fieri solitas respondere debuisse.

Fingebatur autem inter Susceptores susceptosque cognatio quædam spiritualis, qua de laudatus MASTRICHT *Susceptor* p. 61. seq. vi cujus nuptiæ inter tales prohibitæ, quod jam Seculô Justiniani deprehendi notat, ib. & p. 68. Juris canonici Commentatores innumeras agitare quæstiones de illa, uti & de cognatione inter Parentes spirituales & Parentes naturales baptizati, quæ secunda sit, nec non inter filium spiritualem & filios naturales ipsius Parentis spiritualis, quæ tertia sit; Concilium Tridentinum autem constituisse solùm inter baptizatum, Patrem, Matremque ejus & baptizantem, baptizatique Susceptores; pariaque valere in Confirmationis Sacramento.

Notandum adhuc quoad Susceptores, jam inde ab antiquioribus temporibus morem invaluisse dona baptismalia seu ita dictam *pecuniam lustricam* infanti aut Parentibus conferendi, quo de lectu digna est JOACHIMI *Commentat. hist.-jurid.* Halæ 1736. qui huncce morem è ritu Judæorum deducit, ubi baptizato à Trium-Viris munera in signum amoris &c. sint oblata; apud Christianos dein cùm baptismus celebratus fuerit agapâ primò, successu temporis splendidis conviviis [de quibus, apud Patres ignotis, etiam laud. MASTRICHT *Schediasm.* cit. *de Susceptoribus* &c. p. 71 - - 77. ubi & Hebræorum, Græcorum, Romanorumque hac in re morem allegat] Sponsores, ut Parentes sublevarent, dona dedisse. Notat porrò, in Germania moris fuisse, dona infantibus alligare, unde nomen **Eingebinde** obtinuerint, vid. præcipuè §. 9. 12. 13. 17.

Officium verò Sponsorum quodnam sit, & ad quid se obstringant, è natura baptismi satis dignoscitur, ut nempe hic in baptizato efficax fiat; quod ideò & in Formula baptismali inculcari solet; vid. autem & complura ad Susceptorum officia pertinentia apud cit. MASTRICHT ad finem p. 100 - - 124. nec non abusus & depravatio hodiernæ susceptionis p. 85 - - 90.

1259.

1259. Quum verò, si Votum hocce præstari debeat, necessariò valedicendum sit peccato, in adultis priori vitæ instituto, ideò *in baptismo professio fit, quòd homo peccato, cupiditatibus, nuntium mittere velit.* *E contrà abrenunciationem peccato.*

Quòd si enim gloria ac celebratio Nominis Divini locum habere debeat (sch. 2. §. 1257.), omnino, quod contrariatur, facessat oportet, peccatum, diabolus, Mundus; hinc in Ver. Ecclesia abrenuntiatio à Catechumenis requirebatur, quæ unum erat è tribus illis, quæ ab ipsis requirebatur [reliqua nempe erant Sponsio obedientiæ & professio fidei] & cuius formula erat: *Renuntio Satanæ & operibus ejus, & pompis ejus, & cultibus ejus, & angelis ejus, & inventis ejus, & omnibus, quæ sub eo sunt*; aliquando diabolus & Mundus conjungebantur, etiam spectacula disertè quandoque nominabantur; & licèt in sequentibus temporibus, idololatriâ destructâ, spectacula ac pompæ non ampliùs in idolorum honorem exhiberentur, tamen tantum adhuc vanitatis, impietatis &c. habere credebantur, ut illicitis pompis, quibus in baptismo quilibet renuntiaverit, annumerarentur [Salviani & Cyrilli Hierosol. temporibus]. Antiquitatem & originem hujus abrenuntiationis quidam à temporibus ac praxi Apostolorum derivabant, ut PETRUS eò respexisse credatur, quando baptismum vocat συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς θεὸν 1. Ep. 3: 21. quod ad nullam rem æquè commodè referri possit ac ad illam in baptismo receptam respondendi consuetudinem: *renuntiasne Diabolo?* renuntio; *credisne in Deum?* credo.

Fiebat renuntiatio hæcce ab hominibus ad Occidentem versis: cùm inde oriantur tenebræ, symbolum diaboli &c. gestibus indignationem quandam exprimentibus; insufflabant etiam ac exspuebant in adversarium [diabolum] Ter quoque fiebat, ut nempe ter abrenuntiationis verba proponerentur, ter ea pronuntiarentur, ter Satanam insufflarent: vid., qui hæcce suppeditat, BINGHAMUS *Vol. 4. Lib. 11. Cap. 7. §. 1.* seq.

Secum fert promissum Dei.

1260. Uti autem, si Votum id homo adimpleat seu servet, Deus Pater, Filius & Sp. S. gratiam suam homini non possunt non præstare, adeòque beneficia fœderis gratiæ exhibere, vi hujus fœderis (§. 1003.), *Deus Tri-unus homini baptizato etiam spondet seu permittit aliquid*; quod & patet è nexu officiorum Christi; Regium namquè & prophericum si rectè assumantur, etiam secum ferunt sacerdotale, (§. 1103--1105.).

Sch. 1. Promittit ideò quælibet Persona, prout in Opere redemtionis se exhibet, Deus Pater favorem paternum, adoptionem (sch. 2. §. 1145.), [conf., quod memoratum] (sch. 2. §. 1258.), defensionem contra hostes, gratiam, bona hæreditatis (§. 458. & sch. §. 989. sch. §. 1188. §. 1216.); Filius totum suum meritum, intercessionem &c. (§. 992. & 1217.); Spir. S. inhabitationem gratiosam, operationem benignam in corde (sch. 2. §. 1170.), communicationem donorum &c. quod & benè repræsentatur per aquam aspersam, hominem purificantem 1. Cor. 6: 11. Heb. 10: 22. quippe aqua & aliâs dona Dei vel Sp. S. gratiosa innuit, & aspersio illâ communicationem horum: vid. Es. 12: 3. 44: 3. 55: 1. Ez. 36: 25. Zach. 13. 1. Joh. 7: 38. 39. Apoc. 22: 1. Hanc ob rationem & baptismus benè Veteribus *Salus* nominari poterat, quo de aliisque ejus nominibus eruditiss. BINGHAM *Lib.* 11. *Cap.* 1. §. 2--10. uti complures appellationes Græcis usitatæ videri possunt apud SUICERUM *thes. eccles.* locis in indice ad vocem *baptismus* indicatis.

Sch. 2. Atque id, quòd nempe homo Deo quid spondeat in baptismo (§. 1258. 1259.), & vice versâ Deus homini, appellatur ac est *stipulatio* in illo; nempe, quando convenerat inter Partes [sunt verba ULR. HUBERI *Dissert. jurid.-theol. exerc.* 7. *Sect.* 3. §. 2.] „ de aliquo negotio, moris erat antiqui, ut „ illam conventionem firmarent, & quasi obsigna„ rent per solennem verborum conceptionem, quam „ vocabant *stipulationem*, ita dictam à *stipulo*, quod „ firmum

» firmum significabat, hôc modô: *quod actum, quod*
» *dictum inter nos est, hoc tu dare, facere, spondes?*
» *spondeo;* vel similibus verbis, *pr. Inst. de verb. oblig.*
» Fuitque tam nota res, usûsque quotidiani, ut Chri-
» stiani id etiam in baptismo usurpaverint, quando quis
» fidem professus Ecclesiæ cupiebat aggregari —— post-
» quam satis utrinque conveniebat, tamen ἐπερώτησις
» *stipulatio* eam in rem subjiciebatur 1. Pet. 3: 21.

Liquet autem ex hisce, Pactum in baptismo exhiberi, unde stipulatio obedientiæ erga Christum in baptismo & *Pactum* Latinis audiebat; per quod, ut & Votum, tam abrenuntiationem diabolo factam, quàm professionem fidei ac obedientiæ erga Christum intelligunt, notante BINGHAMÔ *antiq. Eccles. Lib.* 11. *Cap.* 7. §. 6.

Sch. 3. Ex hactenus de baptismo dictis jam & patet, habere eum omnia Sacramenti requisita, de quibus (§. 1240.): quippe signum externum, res significata, cum institutione Divina jàm habentur (§. 1250. 1251.), jam autem hîc promissio gratiæ Divinæ, quæ & [ùt pòst dicetur] adhùc obsignatur, unde Veteribus audiebat *Sacramentum*, item *Mysterium*, docente BINGHAMO *Lib.* 11. *Cap.* 1. §. 2--10.

1261. Quare, cùm, quod homo Deo ac Christo spondet, si postulatum fœderis gratiæ (§. 993.), quod verò Deus ac Christus promittunt, promissum ejus (§. 992.), *baptismus est signum fœderis gratiæ* (§. 1237.), vel *signum beneficiorum ejus*, seu: *fœdus gratiæ in eo visibiliter exhibetur*; quod & exinde probatur, quià in Baptismo homo se devovet Christo ùt Regi, Prophetæ ac Sacerdoti (§. 1256.), ubi duo priora constituunt postulata vel conditiones fœderis gratiæ, vid. (§. 993. Coll. 1009. & sch. 2. §. 1104. §. 1116. 1199.), uti posterius seu Sacerdotium promissa ejus (§. 992. 1153.). *Undè fœdus gratiæ indigitat.*

Notandum hîc, quòd scil. baptismus signum sit, aut aliquid significet vel *proximè*, vel *propiùs*, vel *minùs propè*, vel *remotè*; [quæ vix apud Auctorem quendam distinctè secernuntur]; nempe proximè seu propriè Baptismus signum est, quòd quis Christo servire velit (§. 1250.); dum autem eô ipsô, qui id facere vult, disciplinæ ejus se tradat oportet, nomen & doctrinam Christi profitendo, Baptismus propiùs significat, quòd homo eum suscipiens disciplinæ Christi se tradat (§. 1255.); quoniam verò qui disciplinæ Ejus se tradit, hôc ipsô satisfactionem Ejus sibi in bonum cedere cupit [cum disciplinæ Ipsius basis sit satisfactio hæcce] ideò Baptismus minùs propè notat satisfactionem per sanguinem Christi [quam Sacerdotium Ipsius (§. 1256.) secum fert]; unde aqua in Baptismo dicitur symbolum sanguinis Christi; porro quià e sanguine Christi alicui applicato oriuntur promissa fœderis gratiæ: vid. (sch. 2. §. 928. §. 937. 992.), Baptismus inde remotè designat remissionem peccatorum, propterea in & ob eam suscipiendus dicitur Act. 2: 38. Itaque unum per alterum significatur, dum cum priore re significata posterior cohæret.

Baptismus internus & externus.

1262. Quòd si homo Votum in Baptismo factum adimplere seriò studeat (§. 1258. 1259.), baptismus tum est, ac rectè dicitur *efficax*, item *internus*; uti è contrà, si Votum effectui dare non annitatur, solummodo est *externus*.

Sch. 1. Uti & vocatio distinguitur in efficacem seu internam, & inefficacem seu externam solùm (§. 1010.).

Sch. 2. Non frustrà dicimus, si homo Votum adimplere NB. solùm seriò studeat, non autem plenè & juxta rigorem Legis impleat: cùm id imperfectio sanctitatis non admittat (§. 1183.); adde, quòd Baptismus sit signum fœderis gratiæ (§. 1261.), in hoc autem obedientia postuletur, per Christi perfectam recompensanda (§. 1138.).

1263.

1263. Porro si Votum actu præstetur, tunc homo consequetur, quod in fœdere gratiæ promittitur, vi Verbi Divini ac fœderis hujus, quæ semper manent (§. 1006.), & quibuscum Sacramenta consentiunt (§. 1233.), *baptismus internus* itaque *homini est sigillum fœderis gratiæ beneficiorumque hujus.* *Quinam homini fiat sigillum.*

Sch. 1. Conf. (§. 1238.); fit tùnc Baptismus συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα 1. Petr. 3: 21. ad quem loc. sub stipulatione etiam sæpè intelligi responsionem seu promissionem; inde formulam Baptismi allegat: ἀποτάσσομαι τῷ σατανᾷ? ἀποτάσσομαι; ἐπερώτημα εἰς θεὸν poni pro θεῷ, ac subintelligi ποιηθὲν, notarique *stipulationem conscientiæ bonæ in Deum*, seu *sponsionem Deo factam de puræ conscientia.* Baptismus tunc & obsignat remissionem peccatorum, ablutionem itaque ab iis; ut rectè Baptismus in Vet. Ecclesia inter alia dictus fuerit: *indulgentia*, *absolutio*, σφραγὶς, de quibus & aliis nominibus BINGHAMUS *antiq. Eccles. Lib.* 11. *Cap.* 1. §. 2. seq.

Sch. 2. Quòd autem ad (§. 1261.) dictum, quomodo Baptismus sit signum beneficiorum fœderis gratiæ [seu & fructuum meritorum Christi] vel per se ac propriè, vel minùs propè, adeòque quomodo intelligendum sit, ubi Baptismus tot significare dicitur, id & hîc valet, ubi sigillum dicitur; ut quilibet id hùc trahere possit, nec opùs sit repetere. Addimus præter beneficia ibi memorata, quorum Baptismus signum minùs propè tale, adoptionem, Gal. 3: 26. 27. cujus ideò Baptismus [internus] & sigillum.

Quæ autem alii aliquando multis verbis enumerant beneficia è Christi merito provenientia, quæ Baptismus obsignet, interim non distinctè evolvunt, cur & quomodo, v. gr. communionem cum Christi morte, Rom. 6: 3. certitudinem præstitæ pro nobis obedientiæ, liberationis à maledictione Col. 2: 12. 14. vitæ æternæ Marc. 16: 16. aliaque adhùc, ea facilè dijudicabit, qui hactenus dicta intelligit, materiamque

que de beneficiis Christi ordine & distincte tenet; nec interim à ratione baptismi originaria vel primaria recedet. Monemus adhuc quoad communionem cum morte Christi, quia cum hac sepultura erat conjuncta (§. 899.), & immersio totius corporis in aquam sepulturam quasi refert, Baptismum inde signum ac sigillum fieri fructuum mortis ac sepulturæ Christi, hinc & mortificationis spiritualis, uti per extractionem ex aqua resurrectionis spiritualis tanquàm fructûs resurrectionis Christi, vid. Rom. 6: 4. 5. Undè & FIRMICUS *de errore Profan. Relig.* p. m. 449. Baptismum cum sepultura & vita Christi conjungit, dicens: „Ut „veneranda præferentes insignia, consecrati fontis Ma„jestate gaudentes, & sepulturæ Christi participes sitis „& vitæ.

Actus Baptismi. 1264. Exinde sequitur, actus Baptismi esse diversos, ac distingui posse, quòd sit 1. Actus externus, aspersio aquæ; 2. internus, seu quod per elementum & actionem de eo denotatur (§. 1251.), Votum nimirum Deo serviendi Christoque; 3. actûs hujus executio, seu Voti impletio obedientiæ præstatio, baptismum constituens internum (§. 1262.); 4. è Voto hocce præstito seu Baptismo interno oriens obsignatio, & à parte Dei confirmatio.

Tria ex hisce jam habentur in requisitis Sacramentorum (§. 1240.): . Ut actus tertius sequatur, infans matureſcente paulatim ætate admonendus est, quid in Baptismo egerit, ad Voti facti, quod altâ mente repostum habere debet, executionem; è talium neglectu, ut & aliis adhuc causis oritur, quòd Baptismus apud plurimos eheu! tàm parum habet efficaciæ, quo de legi meretur Clar. LAMPIUS Gnadenh. *Tom.* 4. *Vol.* 2. p. 1315. seq. Ad efficacem autem Baptismum reddendum comparata est Confirmatio Catechumenorum, quibusdam Ecclesiis Protestantibus usitata; ubi adulti, interrogati, num stare velint iis, quæ in Baptismo promiserint &c.

dein

dein publicè ac solenniter ab Episcopo aut Ministro manuum impositione, precibus adjunctis benedicuntur &c. vid., quæ in compendio hac de re Clar. PFAFFIUS *Diss. de confirmat. Catechum*, ubi & *Cap.* 4., quàm longè hæc à Pontificiorum confirmatione differat, breviter indicat; etiam aliquid de confirmatione in Agro Neocomensi usitata Vir Vener. J. F. OSTERWALD *Catech.* p. 305. seq.

1265. *Actus hi non necessariò inter se sunt connexi:* namque & experientia testatur, & natura Sacramenti (§. 1231.), quòd plurimi baptismum externum suscipiant, internò (§. 1262.) minime subsequente, Act. 8: 13. 21. è contrà & internum posse locum habere, etsi externus non præcesserit, Act. 10: 2. 31. 45. coll. 47. 48. *Unus sine altero esse potest.*

Conf. etiam (§. 1244.). Quod ad posterius, etiam quoad ipsos Apostolos incertum est, num & à quonam baptizati fuerint, uti & monet Cl. PFAFFIUS *orig. Jur. eccles. Cap.* 2. ad §. 2. not. b. p. 63. 64. Fratres August. Confess. quia cum Baptismo externo internum semper conjunctum esse tenent, ideò non solùm in casu necessitatis Baptismum administrari concedunt præter ordinem, de quo (sch. 2. §. 1252.); sed & hinc argumentum sibi invenire videntur, cur infantes sint baptizandi: vid. BUDDEUS *Theol. dogm.* p. 1125. 1126.

1266. *Baptismus* itaque *non habet vim hominem regenerandi Act.* 8: 13. 21-23. *nec ad salutem in se est necessarius;* interim *contemtus ejus salute excludit:* vid. (§. 1244. 1245. & præcipuè §. 1249. ac sch.) *Vis Baptismi interna quanam.*

Sch. 1. Pontificios hîc in diversa abire notum est, ùt jam monitum (sch. §. 1246.), rebus externis nimirum singularem virtutem, Sacrorumque Ministris præeminentiam appropriare studentes; hinc Baptismo vim hominem regenerandi, characteremque [ut vocant] *indelebilem*

indelebilem imprimendi tribuunt, & ideò in casu necessitatis [infante moribundo] quibuscunque potestatem baptizandi concedentes, ut notatum (sch. 2. §. 1252.)

Sed & Fratres August. Confess. Baptismi virtutem nimis evehere notum est; non autem juvant loca Joh. 3: 5. Act. 22: 16. Tit. 3: 5. [etsi ex hocce loco, ut videtur, baptismus antiquis dictus fuerit παλιγγενεσία, quo de nomine BINGHAM *Lib.* 11. *Cap.* 1. §. 2. seq.] quippe non indicant nisi medium, & benè elucidari possunt è Judæorum loquendi formula, quâ proselyto, qui pristino vitæ instituto ac avitæ Religioni valedicens, alii se consecrabat, regenerationem [uti notum] tribuebant, eum instar infantis recens nati esse dicentes, vid. ex. gr. SELDENUS J. N. G. *L.* 2. *Cap.* 4. insuper locus Joh. 3: 5. [præterquàm quòd nondum evictum sit, de Baptismo eum agere] urgeri nequit, eò quòd aliâs inde absoluta Baptismi necessitas etiam jam ante mortem Christi sequeretur; porrò regenerationem non alligat aquæ, vid. autem in h. loc. præter alios GÜRTLERUS *Institut. Theol. Cap.* 33. §. 355 - - 376. de baptismo in remissionem peccatorum [mediante demum pœnitentiâ, quæ verò baptismo non semper juncta] vid. Auctor *Histor. Symb. Apost. cum observ. Cap.* 7. §. 8 - - 27.

Tit. 3: 5. [præterquàm quòd sint Viri doctissimi, qui nolint PAULUM ibi de baptismo loqui, uti Cl. ELSNER] quoniam addit Apostolus: Ἀναγεννώσεως πνεύματος ἁγίου, ostendit, tùm demum baptismum tale esse lavacrum, si posteriùs nominata virtus accedat, vid. interim Vir hicce eruditiss. in h. l. ubi & notat, vocibus λέτρον παλιγγενεσίας respici ad ritum, qui antiquitùs obtinebat, infantes recèns natos lavare Ezech. 16: 4.

Quod verò ad Christianorum liberos sine baptismo decedentes, hi jam in Parentibus sancti sunt 1. Cor. 7: 14. uti in V. Test. puellæ circumcisionis in Parentibus [patribus] factæ participes reputabantur; ita sentientibus & Hebræorum Magistris: vid. eruditiss. J. R. SALCHLINI Nostratis *Diss. de initiat. puell. hebr. in fœdus Dei*, §. 6. 7. 31. Notandum autem, quòd jam in Vet. Ecclesia opinio de Baptismi vi & hinc fluente necessitate obtinuerit, li-

cèt

cèt ex eo, quòd aliquando Baptismus ac Virtus Sanguinis Christi conjungantur [uti ex gr. à FIRMICO *de error. prof. Relig.* dicente p. m. 461. » quære fontes » ingenuos, quære puros liquores, ut illic te post » multas maculas cum Spir. S. Christi Sanguis incandet] non sequatur virtutem Baptismo alligari.

Quoad verò characterem illum indelebilem, Baptismus equidem Augustino sæpè audit *Character Dominicus*, notante BINGHAMO, ubi modò, & *Hist. Scholast. Bapt. Laic. Part.* 2. *Cap.* 6. §. 4. » sed verò » [sunt verba hujus V. D. ibid.] sub hac appellatione ipsum solùm baptismum intelligunt, nec ullum distinctum characterem vel qualitatem, vel » spirituale signum animæ impressum, idque adeò » distinctum à gratia sanctificante, uti recentiores » Scholastici id amant reddere: erat enim tantùm » modo aliud nomen baptismi, qui erat nota sive » character, quò consummati Christiani, qui Christo » ipsi sese addixerant, distinguebantur à Judæis & Paganis, talem characterem in se non habentibus; » & idcirco, quâtenus Baptismus erat indelebilis, » eâtenus hic character erat indelebilis, non autem » ulteriùs &c. » ut per hunc [notante eôdem V. D. §. 1.] Veteres indigitaverint, Ecclesiæ unum solùm esse baptisma, cujus virtus eâtenus indelebilis esset, ut, qui etiam fidem deseruisset, per veram resipiscentiam sacerdotalemque manûs impositionem sine novo baptismate ad communionem denuò admitteretur; characteris indelebilis nomen item in nullo Concilio antiquo occurrere, §. 3. Pontificios intelligibiliter explicare non posse, quid sibi per characterem illum velint, aliis eum vocantibus spiritualem affinitatem, aliis spiritualem qualitatem animæ impressam, tanquàm effectum baptismi, ab externo Sacramento pariter & ejus sanctificante gratia distinctum; ut pro puro haberi debeat figmento, sententiæ Patrum primitivæ Ecclesiæ ac Protestantium adversò, qui utrique per characterem illum non intellexerint nisi formam externam Baptismi, vel formam ordinationis, quam non necesse sit iterari.

Sch. 2. Hic loci & non incommodè mentio injici potest quòd ad imitationem baptismi, hujusque virtutis hominem regenerandi [non paucis Veteribus creditæ]

Vi-

Viri Docti Taurobolia gentilium enata voluerint, ubi initiandus in scrobem plancis foraminatis constratam demissus, sanguinem immolati super scrobem tauri vel arietis [quod tunc criobolium] excipiebat oculis, naribus, ore &c. idque suis sumptibus & pro se si fecisset, pro semper aut saltem in annos viginti renatus dicebatur, quo de, præeunte eruditiss. VAN DALE *Diss.* de eo etiam eruditiss. Firmici tradustor Batavus KEMPHER *notis ad Firmicum* p. 636. seq.

Locus FIRMICI, quasi κακοζηλίαν baptismi in Taurobolio indicare voluerit, extat p. 460. 461. edit. cum Minut. Fel. Jac. Gronov. 1709. verùm rectius judicat KAUZ in erudita *de Taurobolio Diss.* Lipsiæ 1738. §. 5. 6. Firmici verba id non insinuare.

§. Cœnæ origo. 1267. Cùm autem etiam quàm maximè beneficia Christi recordari oporteat (§. 1226.), atque ad id ceremoniâ externâ opùs sit (§. 1228. 1229.), ut causa beneficiorum illorum repræsentetur (§. 1230.), ac gratò recolatur animò (§. 1160.), *Christus ipse epulum pane ac vinò instituit, cum jussu hisce utendi in memoriam passionum mortisque suæ*, Matth. 26: 26. seq. Marc. 14: 22. &c. quippe eò ipsò tempore, quò passiones mortemque volebat adire, hocce instituit, cum terminis ac phrasibus, quæ indicant, corpus crucifixum suum ac sanguinem fusum ijs denotare voluisse; atque id dicitur *S. Cœna.*

Vocatur *Cœna* epulum id, δεῖπνον 1. Cor. 11: 20. à tempore, quò institutum, uti κυριακὸν ab Institutore, item προσπέζια κυρίε 1. Cor. 10: 21. de appellationibus autem Patribus græcis usitatis compluribus vid. SUICERUS *thes. eccles.* locis in Indice ad vocem *Cœna Domini* notatis.

Signum & signatum in illa. 1268. Externum itaque sunt panis ac vinum [quæ & dicuntur *signum externum*, item *elementum*, nec non *symbola*, *symbola eucharistica*] unà cum actionibus

nibus, quæ circa ea suscipiuntur, nempe panis sumtione, fractione, distributione, comestione, vini fusione, potatione; res per hæc significata autem est cruenta ac violenta corporis Christi enecatio, seu passio morsque Ejus ob peccata nostra, vel horum recordatio.

Sch. 1. Græcis tritum est, Sacramenta & speciatim signa eucharistiæ externa σύμβολα appellare, vid. SUICERUS *thes. eccles. tom.* 2. p. 1082. 1083. Desumebantur ea in Vet. Ecclesia è populi oblationibus, de quibus BINGHAMUS *antiq. eccles. Lib.* 15. *Cap.* 2. §. 1---6. quoad vinum, id Ecclesia aquâ mixtum adhibebat; aquam autem meram adhibebant hæretici quidam, uti ex Ebionis discipulis, item Sectatoribus Tatiani, qui inde *Hydroparastatæ*, etiam *Aquarii* dicti; damnabantur verò, uti & ij, qui lac pro vino sumebant, item mel cum aqua miscebant, vid. idem V. D. ib. §. 7.

Sch. 2. S. Cœnam tàm quoad symbola quàm actiones desumtam esse è ritibus Judæorum paschalibus, tàm clarum est quàm unquàm alicujus instituti origo: considerentur, tempus, iis, qui instituit, ij quibus, institutum seu significatio Paschatis, dapes, modus fruendi &c. omnia clamant, S. Cœnam imitari Sacramentum Judæorum Paschale, vid. præter alios BYNÆUS gecreutz. Christo, *Cap.* 8. ut nisi hypotheseos studiô abreptus in aliam sententiam concessurus non sit. Interim Viri quidam longè doctissimi id admittere noluerunt, interque eos haud ita pridem Rev. DEYLINGIUS *Diss. de origine Eucharistiæ*, Lipsi. 1743. Verùm quærimus & aliis dijudicandum relinquimus, num Viri eruditissimi, si, uti plurima in S. Cod. egregiè illustrarunt, tantam inter duas res [ritus] convenientiam deprehenderint, non protinus & sine dubitatione unum ex altero desumtum pronuntiaturi sint?

Tantò magis ac libentius Christus ritus S. Cœnæ desumsit è ritibus paschalibus, quia Pascha non solùm erat, uti baptismus apud Judæos institutum forense (sch. 1. §. 1250.), verùm ecclesiasticum, sacrum, nec solùm ab Ecclesia adoptatum, sed à Deo ipso expresse

expresse ac pro semper injunctum; tum & ut Judæorum animi [translatis ex eorum disciplina ritibus] eò faciliùs ad Religionem Christianam allicerentur.

Sch. 3. Admodum convenienter Christus tale signum externum instituit: 1. Quippe fractio panis similitudinem quandam habet cum violenta tractatione seu enecatione corporis, ac fusio vini cum sanguinis fusione, præsertim si ponatur juxta Viros Doctos, quòd vinum adhibitum fuerit [uti & ad Pascha] rubrum, vid. BYNÆUS de cruce Christi, *Cap.* 8. §. 27. cùm & in Palæstina commune fuerit, vid. ex. gr. Gen. 49: 11, 12. Esaj. 63: 2. ubi rubor vini indigitatur, & præterea reliquo antecelluerit, uti tenet LUD. DE DIEU in Psal. 75: 9. qui & rubedinem ejus fuisse nonnisi ad flavedinem vergentem pronunciat.

2. Similitudo est effectûs, quem signa habent, & quem res significata: siquidem uti panis ac vinum hominem exsatiant, corroborant &c. ita & caro Christi metaphoricè, seu obedientia Ipsius per fidem applicata, vid. Dominus ipse Joh. 6: 55. seq. & uti cibus potusque arctissimè cum homine uniuntur, dum convertuntur in ipsam corporis substantiam, seu, ut Philosophi loquuntur, in materiam cohærentem, ita & Christus spiritualiter (sch. 2. §. 1118.), ac beneficia Ipsius, vid. ex. gr. (§. 1042. 1144-1169. 1197.). 3. Signa hæcce ubivis facilè habentur, ut, quemadmodum ceremonia ipsa nil molesti ac onerosi secum fert, ita & materia, circa quam ceremonia versatur, à quavis gente Orbis terrarum, & quòcunque Christi doctrina translata fuerit, haud difficulter haberi potuerit; carnem autem & sanguinem Christus noluit ad denotandam propriam, qui carnis sanguinisque usus pertinuit ad Cultum V. T.

Sch. 4. Vinum Christus posuit symbolum sanguinis sui, fusi, Matth. 26: 28. & cùm promissio ab æterno facta seu sponsio de sanguine hocce voluntariò fundendo fuerit medium ac requisitum necessarium Testamenti gratiæ æterni condendi (§. 454. 457. seq.), hinc & actualis præstatio fundamentum fœderis gratiæ (§. 1000.), ideò facilè liquet, nec multis explicare opùs est, cur sanguinem illum, vinumque signum hujus, appellet sanguinem Testamenti vel fœderis

fœderis Matth. 26: 28. ratio Testamenti ac fœderis Divini in superioribus exposita satis id ostendunt; appellatur autem & alibi ita, vid. Zach. 9: 11. Heb. 9: 20. 13: 20. uti & appellatur novum oppositè ad vetus, Heb. 8: 8. 13. quo de etiam quid, ubi de Oeconom. Ecclesiæ infra dicetur.

Sch. 5. S. Cœna itaque quòd repræsentet obedientiam Christi passivam, clarum est; cur autem Christus memoriale instituerit obedientiæ suæ passivæ potiùs quàm activæ, cùm tamen utraque necessaria sit ad salutem nostram & causa beneficiorum, quæ nobis obtingunt (§. 964. & sch.), jam quodammodo intelligitur è (§. 630. & sch. 2.): nempe quòd obedientia passiva multò meliùs ac facilius per ceremoniam quandam tanquàm in pictura repræsentari possit quàm activa: passiones enim & quòd quis crudeliter fuerit tractatus, in imagine vividè ac facilè repræsentari possunt, non autem ita commodè justa hominis vita, determinatio actionum ad legem Divinam. Dein obedientia activa licèt etiam omnino necessaria fuerit ad acquisitionem salutis, tamen dici potest, quòd passiva magis adhùc necessaria fuerit in eo, quòd ordine naturæ præcedere debuerit: cùm, nisi culpæ præteritæ abolitæ fuissent, novum jus nullum acquiri potuisset, ùt intelligitur è (§. 847. 854. 1143. 1145.). Porro obedientiæ passivæ repræsentatio multo est aptior ad commiserationem [uti & alios affectus] hinc ad gratitudinem quoque in animo hominis excitandam; & in illa Christus dedit exemplar patientiæ, fiduciæ in Deum, humilitatis &c. Adde, quòd interim obedientiæ activæ consideratio non prorsus excludatur: quippe Christus consideratur ùt patiens sine omni culpa, ac innocens. Indidem patet, S. Cœnam esse tale monumentum, quale dictum fuit, quod Sacramenta sint ac esse debeant (sch. §. 1241.), illustre ac idoneum; uti sanè mediante illa articulus de Christo passo [fundamentum Christianismi] in crassissimæ ignorantiæ Seculis conservatus fuit.

Finis Christi in S. Cœna instituenda & circumstantiæ cur attendi debeant.

1269. *Ut sciatur, num omnia illa, quæ Christus in S. Cœna observavit, itidem observanda sint, respiciendum est ad finem Ipsius, circumstantias item temporis ac loci:* ubi namque agens rationale agit, ex fine ipsius omnia æstimanda sunt, cum ob finem agat (*Met.* §. 911.); etiam aliquando ob circumstantias, in quibus versatur, aliquid agit ac admittit, quod tamen ad finem, quem intendit, non necesse est, inde circumstantiæ hæ attendendæ sunt.

Sch. 1. Ad primam nempe institutionem tanquàm ad normam respiciendum est, ubi quæritur, quomodo S. Cœna sit administranda: institutoris enim voluntas, quià fuit Fili Dei, est lex, à qua non licet recedere; nisi clarum sit, ob circumstantias solùm quasdam Christum quid egisse, vel admisisse, quod ad finem S. Cœnæ non requiratur. Finis etiam constitutoris cujuscunque si attendatur, perspicitur ex instituto ejus sapientia, hinc ex hoc præsenti Christianæ Religionis rationabilitas; de rationabilitate Sacramentorum Christi quædam CLARKIUS *de la vérité de la Relig. Chrêt. Cap.* 14. p. 238. 284.

Sch. 2. Etiam ad illos, qui ab Institutore acceperunt, mentemque ejus perspectam hinc habent, respiciendum est, qualis PAULUS, qui dicit 1. Cor. 11: 23. ἐγὼ γὰρ παρέλαβον ἀπὸ τ῀ κυρίε, ὃ καὶ παρέδωκα ὑμῖν; voce παρέλαβον exprimente Judæorum קבל, quod non solùm notat *accipere*, id est, audire quid à Magistro, verùm & successorem ejus esse, uti notat SCHOETGENIUS in h. l.

Docent S. Cœnam non alligatam esse tempori vespertino aut pani azymo.

1270. *Inde ostenditur, celebrationem S. Cœnæ tempore vespertinò non requiri, uti nec panis azymi usum:* namque circumstantiæ temporis tùm non aliter permittebant; ut Chri-

stus

ſtus, ſi in aliis poſitus fuiſſet circumſtantiis, quoad utrumque aliter feciſſet.

Nempe Chriſtus voluit S. Cœnam inſtituere in locum Paſchatis, atque ita Pſchati, quod erat memoriale liberationis Iſraëlitarum ex Egypto Exod. 12: 14. 17. ſurrogare & ſubſtituere S. Cœnam, memoriale liberationis omnium fidelium à morte æterna ac ira Divina, jam verò Paſcha comedebatur inter duas veſperas (בין הערבים) Exod. 12: 6. Lev. 23: 5. Num. 9: 3. id eſt, versùs veſperam, noſtrâ ſupputandi ratione, vid. Cel. BOCHARTUS *Hieroz.* P. I. *Lib.* 2. *Cap.* 50. p. m. 558. 559. Servator adeò S. Cœnam aliò diei tempore habere ac celebrare non potuit; hinc & Apoſtoli ac Eccleſia ſe neutiquam tempori veſpertino alligabant &c. tempus matutinum etiam rebus Divinis peragendis multò eſt aptius.

Sic & quoad panem, Salvator aliò tempore alium [prout ſemper in uſu eſt, fermentatum] ſumſiſſet: cùm hôc nonniſi ob circumſtantiam Paſchatis Eum abſtinere oportuerit, vid. Exod. 12: 15. 17 20. quo de præter Philologos paſſim, idem Vir Celeberr. ibid. p. 601. 602. Latini ideò ſeu Eccleſiæ Rom. addicti præter rationem pane azymo utuntur, & ad inſtitutionem Chriſti provocant [vid. DALLÆUS *de Cult. Lat. Relig. Lib.* 3. *Cap.* 4. qui & *Cap.* 1 - 3. 5. probat, conſuetudini Vet. Eccleſiæ id repugnare, nec ante Seculum decimum obtinuiſſe] uti & merum nolunt adhiberi, ſed vinum in calice aquâ miſceri, futiles allegantes rationes, de ſanguine & aqua è Chriſti latere profluentibus, vid. idem V. D. contra Pontificios invictus, ib. *Cap.* 7.

1271. E contrà inde *oſtenditur, ſigna* ſeu panem ac vinum *conſecrari debere, panem eſſe frangendum, edendum, & vinum quoque communicantibus dandum eſſe:* quippe non ſolùm Chriſtus ita fecit ac propriò præivit exemplò Matth. 26: 26. 27. Luc. 22: 19. & vinum bibere expreſsè juſſit Matth. 26: 27. verùm & rationes indicavit, *Quid è contrà omitti non debeat.*

ob quas ipsum hoc epulum sic instituit Matth. 26: 26. Luc. 22: 19. 20. 1. Cor. 11: 24 -- 26. quæ nullam ideo patiuntur exceptionem; hinc quibuscumque circumstantiis ita feciſſet, & circumstantiæ illius temporis nil planè ad id faciebant, consequenter Christus voluit semper ita fieri.

Sch. 1. Consecratio hæcce quia est benedictio 1. Cor. 10: 16. ideò Sacramentum hocce & εὐλογία Græcis dicitur, qua de voce SUICERUS *thes. Eccles. Tom.* I. p. 1249. 1250. & inde calix PAULO τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας loc. cit. locutione exprimente illam Judæorum כוס של ברכה, qui vel in qualicunque convivio vel in Paschate Judæis in usu erat, ad laudem scil. ac celebrationem Dei, quod ברך exprimit; uti notat eruditiss. SCHOETGENIUS in 1. Cor. 10: 16.

Per consecrationem dictam elementum, seu ex elemento, ut dicitur, fit Sacramentum, vel ex re, quæ prius nil denotat, & commune quid est, fit signum passionis mortisque Christi ac sanctum quid.

Præparatio signorum uti venerabiliter tractanda & suscipienda est, interim tamen non ita scrupulosè ac superstitiosè, uti Coptæ faciunt, qui & circa vasa, quibus panem vinumque exhibent, circa præparationem panis, vinique explorationem minutias sectantur, vid. REIMBOLD *Diss. de Coptorum Sacram.* Lipsiæ 1736

In Vet. Ecclesia consecratio signorum fiebat, factis populi oblationibus, ac pane vinôque ad eucharistiam seorsim positô; nimirum primâ oratione pro fidelibus finitâ, Diaconus extemplo jubebatur dicere: πρόσχωμεν *attendamus*; Episcopus salutabat Ecclesiam, dicens: *Pax Dei cum omnibus vobiscum*, populus respondebat: *Et cum Spiritu tuo*; posteà Diaconus omnibus dicebat: *Salutate vos invicem osculô sanctô*, quô auditô se invicem osculabantur; Subdiaconorum unus dabat Sacerdotibus aquam ad lavandas manus in signum puritatis animarum &c.

Diaconus altâ voce jubebat non-communicantes exire, omnes autem communicantes cum charitate ac sinceritate accedere; adhibebatur porro ad consecrationem

tionem signum crucis, sequebatur admonitio: *Sursum corda*, quæ erat præparatio ad majorem gratiarum actionem, quâ gratiæ agebantur pro omnibus Divinis beneficiis, tum creationis providentiæque, tùm redemtionis; gratiarum actionis illius pars erat hymnus *Trisagion* dictus: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum.* Erat autem formula consecrationis semper composita ex citatione verborum institutionis & oratione ad Deum pro sanctificandis per Spir. S. Donis; sequebantur dein preces, & quidem in genere pro universa Ecclesia catholica, specialiùs pro Episcopis & Clericis, porro pro Regibus, Magistratibusque, pro mortuis generatim, dein pro vivis Ecclesiæ istius particularis membris, singulisque in ea Ordinibus, item pro ægrotis, servitute adflictis, exulibus, proscriptis, navigantibus, & iter facientibus, etiam pro inimicis ac persecutoribus, hæreticis ac infidelibus, pro catechumenis, energumenis ac pœnitentibus, pro aëris temperatura, frugumque ubertate, pro universis absentibus; claudebat doxologia ad totam Trinitatem directa, ad quam populus unâ voce respondebat *Amen*; sequebatur recitatio symboli in Ecclesiis, quæ id partem liturgiæ fecerant, Orationis etiam Dominicæ. Pronunciabatur verò consecratio semper altâ voce, fiebatque cum fractione panis ad repræsentandam Servatoris passionem; uti hæc suppeditat, consecrationisque formulam è documentis ecclesiast. eruditè illustrat BINGHAMUS *antiq. Eccles. Lib.* 15. *Cap.* 3.

Sch. 2. Panis fractio proinde malè à Latinis omittitur; dum ipsi, qui aliâs institutionem Christi quoad panem azymum nimis urgent, è contrà in talibus, quæ rigorosè servanda essent, ab institutione Christi recedunt; eò quòd hostias, seu placentulas tenues non frangendas, adhibeant; qui mos demum Seculô undecimô exortus, ne, dum panis, qui in Corpus Christi mutatus, frangeretur, aliquid micæ humi caderet, quô corpus Christi profanaretur, vid. DALLÆUS *de Cult. Lat. &c. Lib.* 3. *C.* 6. repugnat id etiam praxi Apostolorum, vid. Act. 2: 46. 20: 7. nec non Vet. Ecclesiæ: quippe volebat, panem ad repræsentandam Liberatoris passionem frangi, notante BINGHAMÔ *Lib.* 15. *Cap.* 3. §. 35. partes distribuendas post fractionem voca-

bant *particulas, partes,* μερίδας, ἀγίας μερίδας, notante DALLÆO, *Lib. cit. Cap.* 25. E contrà etiam in excessu quoad fractionem peccant Latini seu Pontificii, dum Sacerdos hostiam, quam pro se sumit, trifariam frangit, omnesque tres partes pro se retinet, qui mos Seculo sextò exortus, ut docet laudatus DALLÆUS ibid. *Cap.* 24.

Sch. 3. Panis cùm detur ad manducandum, juxta institutionem Christi dicentis: Φάγετε Matth. 26: 26. Marc. 14: 22. malè asservabatur, & quidem asservatione privatâ [ubi domum secum deportabant] in cistulis vel linteolis, donec sumeretur vel in periculis, vel ubi quid inchoaturi essent. Nefariam etiam in subscriptionibus solemnioribus sanguinem Christi [calamo prius atramento, dein vino, vel vice versâ, intincto] adhibebant, ut aliquando ab Episcopis ac Imperatoribus factum, vid. SCHLICHTER *comment. de abus. Euchar.* Halæ 1734. *Cap.* 1. §. 8. *Cap.* 2. §. 3.

Panis autem manducandus superstitiosè apud Latinos à Sacerdote ori manducantis ingeritur, redolet id superstitionem, repugnat institutioni Christi dicentis: *sumite* Matth. 26: 26. Marc. 14: 22. repugnat praxi Ecclesiæ Apostolicæ ac sequentis usque ad Seculum nonum, vid. DALLÆUS *de cultibus Latin.* &c. *Lib.* 5. *Cap.* 2. conf. etiam BINGHAM *Lib.* 15. *Cap.* 5. §. 6. 7.

Mutilatio S. Cœnæ in Eccles. Rom.

1272. Pessime igitur Ecclesia Romana tenet, calicem Laicis dandum non esse.

Quônam colore id tingat, & quænam sit origo, infra etiam dicetur; incepit autem post Seculi 13tii initium, publicâ verò Lege definitum, ac ne quicquam obstante Christi institutione sancitum fuit in Concilio Constantiensi Annô 1414. congregato; at verò non solùm in convivio paschali cyathus omnibus accumbentibus propinabatur, non solùm Christus dixit: Πίετε ἐξ αὐτῆς πάντες Matth. 26: 27. cui mandato omnes discipuli morem gerebant Marc. 14: 23. non solum in primitiva & sequenti Ecclesia aliter obtinebat, ut ipsa illa Synodus diffiteri non est causa, verùm & hodiedum adhuc apud Græcos, Russos, Armenos, Jacobitas, Nestorianos, Æthiopes non obtinet, vid. de hisce amplè ac eruditè agens [Pontificiorum flagellum] DALLÆUS

DALLÆUS *de cult. Lat. Lib. 5. Cap. 5--26.* ubi quoque inanes Bellarmini exceptiones [qualis &, quòd discipuli Christi repræsentarint Sacerdotes, & propterea Christus iis vinum propinaverit; quasi verò fuerint conficientes Sacramentum] diluit. BOSSUETUS autem uti solet, quæ discussionem non ferunt, cursim tangere, ita & hancce controversiam; non memorans, quæ ex institutione Christi ac praxi Ecclesiæ objici possent, nonnisi [dummodo intelligi potest] corpus & sanguinem Christi mysticè non re dividi, plenè & indivisè percipi eum, qui satiare solus possit, Ecclesiam vi veræ præsentiæ carnis Christi in Eucharistia præceptum eam sumendi ita interpretatam esse, ut sub una specie vis ejus integra communicetur, cùm in illa aliquando Vulgi negligentiâ non sat reverentiæ exhibitum fuerit; perbellè quoque argumentum ad hominem subjungit, quòd nimirum & Calviniani non dubitent aliquando permittere, ut quis vino abstinere possit, qui odorem ejus ferre nequeat &c. *Doctrin. cathol. expos. Cap.* 17. quæ lubrica esse, quis non videt? Appellatur autem participatio de panè solùm *communio sub unica* scile specie, uti è contrà participatio de utroque symbolo *communio sub utraque;* ad hanc posteriorem recipiendam populus in antiqua Ecclesia semper admittebatur, etiam elementa seorsim accipiebat, non unum alteri intinctum, vid. BINGHAMUS *antiq. Eccles. Lib.* 15. *Cap.* 5. §. 1. 2.

1273. *Per consecrationem* autem *nulla in symbolis fit mutatio physica, verùm manent in se post consecrationem, quod antea fuêre:* namque symbolorum modi & accidentia non mutantur [fatentibus Adversariis] modi verò & accidentia essentiam rei sequuntur (per princ. Ontol.) igitur res ipsa eadem manet. *Panis & vinum non mutantur.*

Pontificiorum nempe dogma capitale est, post consecrationem, seu, quamprimùm Sacerdos pronunciaverit quinque hæc verba: *Hoc enim est corpus meum,* symbola externa physicè mutari per operationem hyperphysicam, ut non amplùs maneant, quod ante

fuêre, panis ac vinum, interim modos & accidentia retineant, colorem, odorem, saporem &c.

Hæc autem mox in seq. pluribus tangentur, hîc monuisse sufficiat, quòd ad recordationem passionis mortisque Christi minimè talis symbolorum commutatio requiratur; ut frustrâ Deus [si modò possibilia involveret] talem efficeret. Hinc nec stringit Adversariorum prætensa ratio, Sacramenta tunc multò fieri augustiora, nosque nimis tenuiter de iis sentire.

Prætereà cùm nec aqua in baptismo [juxta ipsos] talem unquàm subeat mutationem, nulla adest ratio, cur id magis in S. Cœna accidere deberet.

Perbellam autem rationem suppeditat BOSSUETUS *Doctr. Cathol. expos. Cap.* 10. §. 96. Christum carnem suam in Eucharistia verè comedendam nobis dare voluisse, sanguinemque bibendum, alienâ specie involuta, ut ita & fidem nostram exerceret, & simùl faceret, ne à carnis illius esca sanginisque potione abhorreamus, si propriâ specie sumenda essent &c.

Nomen hujus sententiæ sensibus contr.

1274. Sententia, quæ fert, symbola in eucharistia non amplius manere quoad substantiam, quod ante fuêre, licet sensibus se semper ùt talia adhuc probent, verùm mutari in ipsum Christi corpus ac sanguinem, dicitur *transsubstantiatio*; igitur *hæc sensibus omnium hominum repugnat, sensusque facit mendaces.*

Sch. 1. Repugnat sensibus omnium hominum, NB. omnibus, omni adeò & tempore. Ideò [ùt scitè notat Cel. J. ALPH. TURRETINUS *Cogit. de variis Theol. Cap.* §. 116. 117.] nequidem miraculum dogmati illi fidem conciliare posset: cùm miraculum sensuum testimoniô nitatur, dogma illud autem sensuum testimonium prorsus rejiciat; hinc & subruat id, cui certitudo de Relig. Christianæ veritate seu persuasio de ea innititur: quippe id sunt miracula ac sensuum testimonia (§. 119. & sch. 1. 2. ib.). Peringeniosè autem BOSSUETUS hæc emollire volens inquit: attendendum esse, eum loqui, cujus Authoritas sensibus præstet, cujus potentia naturæ dominetur universæ, *Cap.* 10. §. 98. nec non convenientissimum

mum fuisse, hoc fidei mysterium occultum fuisse sensibus, *Cap.* 13. §. 1. scitè mehercle! &c.

Sch. 2. Transsubstantiationis portentum Seculô nonnô luculenter se conspiciendum præbuit, PASCHASIO RADBERTÔ id defendente, Corbeiensi in Gallia Monachô; huic autem se opposuit RABANUS MAURUS, Fuldensis Monachus & Abbas, pòst Archiepiscopus Moguntinus, item [præter Amalarium eôdem Seculo nonô] RATRAMUS etiam BERTRAMUS dictus, Corbeiensis priùs Monachus, pòst Præpositus Cœnobii Orbacensis in Diœcesi Suessionensi; nec non [oppositus se Paschasio] J. SCOTUS ERIGENA; Seculô undecimô BERENGARIUS Turone in Gallia oriundus, Archidiaconus Andegavensis, cujus causa magnos excitavit strepitus, Synodis contra eum congregatis, ac ipsô revocare coactô &c. Adversariis contra ipsum insurgentibus LANFRANCÔ, GUITMUNDÔ, ADELMANNÔ. Berengarium autem & illos priores secuti Waldenses & Wiclefitæ; vid. in compendio BUDDEUS *Theol. dogm.* p. 1195. —— 1199.

1275. *Transsubstantiationis dogma repugnat Veritatibus Rationis æternis ac manifestissimis, & plurimas apertissimas contradictiones involvit:* etenim juxta illud corpus Christi idem simùl est in cœlo glorioſum (§. 907. 908.), & in terra humile, offerendum &c. est simul remotum à seipso plùs millies, quàm non remotum est: corpus enim Christi in Cœlo quia idem est cum eo, quod in Missa offertur, tam longè à posteriori remotum esse debet, quàm cœlum à terra, & cùm interim [juxta adversarios] idem unicum sit corpus, oportet à seipso longissimè sit remotum; est innumeris locis idem simùl, licèt diversis sub affectionibus: etenim oportet omnibus iis locis sit, in quibus Missa celebratur, cùm [ex hypothesi] in qualibet Missa, imò

Implicat ea, & aperte est contradictoria.

imò hostia, totum Christi corpus habeatur tàm quoad carnem quàm sanguinem; inde oportet Christi corpus unicum [uti fatentur, nonnisi unicum sibi junxisse] eôdem tempore fieri & desinere: siquidem desinit, ubi comestum est, eôdem autem tempore aliis innumeris in locis fit. Tandem per illam sententiam totum aliquod fit ac est pars sui ipsius, adeòque eôdem tempore, eôdem respectu, simul est pars & totum: nam cùm in qualibet Missa totum habeatur Christi corpus, & tamen innumeræ fiant Missæ simùl, oportet Christi corpus tot vicibus multiplicetur, quòt Missæ celebrantur, interim tamen cùm Christus [juxta constantem eorum sententiam] unicum numerô corpus habeat, illa plurima, quæ in tôt Missis offeruntur, erunt partes hujus unici; & cum tamen simûl quælibet sint totum idemque corpus, erunt partes sui-ipsius.

Ita sanè patet monstrositas hujus opinionis, ac verè dicitur, esse triumphum Atheorum, id est Religionem Christianam Atheis & aliis Religionibus ludibrio ac subsannandam exponere; ut mirum sit, eam in Orbem Christianum invehi non solùm potuisse, verùm tantâ animorum obfirmatione defendi ac teneri, idque non tantùm ab hominibus plebejis, simplicibus, verùm doctis acumine & ingeniô pollentibus, qui nil regerere sciunt, nisi in Rationem invehi; esse eam in rebus fidei coecam, &c. quasi contradictiones apertæ unquàm cum Religione consistere possint, contra (§. 108. & sch.). Dogma id profectò, licèt Clero Romano perutile sit: cùm dignitatem conciliet maximam, & alia secum trahat ipsi peramanda, tamen simùl valdè nocuum est ac fuit: quia degener ipsius absurditas, quam plurimi concoquere non potuêre, quàm maximè instigavit, ad secessionem ab Ecclesia Romana faciendam; ut Sedes Romana magis valida ac minùs conquassanda fuisset, si dogma id

id non ita consecrasset;) ac etsi Papatus aliâs artificiosissimè sit compactus [notante & Cl. PUFENDORFIÔ *Tract. de Papa*, §. 30. seq., ubi & conf. THOMASII *animadvers.*] tamen quoad illud Prudentiam defeciisse dici possit. Contradictiones autem illas siccô [ùt in aliis solet, idque sapienter] præterit pede BOSSUETUS, ne verbulum quidem memorans *Cap.* 10--12. quòd Calviniani propterea etiam præcipuè illud dogma rejiciant; ad Divinam autem confugit omnipotentiam, quæ, quod dicat, efficere possit, *Cap.* 10. §. 98. 99. *Cap.* 13. §. 140. quasi verò ad contradictoria extendenda esset omnipotentia Dei, contra (§. 294. & sch.)

1276. *Dogma transsubstantiationis* igitur *est absurditas manifesta, sine adeo falsa. mente sonus, crassissimus & palpabilis error:* illud enim dicitur *absurdum*, quod contradicit veritati manifestæ, (*Phys. to.* 1. §. 6.), jam vero dogma id plurimis contradicit (§. 1274.); uti terminus, qui contradictorium quid seu impossibile notat, & quocum ideò notio jungi nequit, est sine mente sonus, vid. (*Log. Cap.* 2. §. 6. 7. 9. 10.); crassus tandem ac palpabilis est error, qui à quovis primô intuitu detegi potest, cum Sensus, seu facultatem cognoscitivam inferiorem, cujus usum omnes homines habent, tollit ac fallaciæ arguit apud omnes ea in re ac constanter; uti *palpabile* est illud, quod experientia communis (*Met.* §. 325.) omnium hominum millies iterata semper eôdem môdo confirmat. *Palpabiliter*

Dogma hocce inde & funditùs prosternit prætensam Ecclesiæ Rom. infallibilitatem, ùt jam monitum (sch. 1, §. 198.): quòtcunque enim & quantùmvis stringentia argumenta Cœtus quis haberet ac jactaret pro infallibilitate, tamen nunquàm sanè ita manifesta esse possent, uti è contrà per se manifesta est dogmatis illius absurditas, consequenter uti manifestum esset,

Cœtum

Cœtum talem turpissimè & falli & fallere. Jure etiam P. BAILIUS *Diction. art. Pyrrhon. not. B.* Abbatem quendam introducere potuit, è dogmate illo, quià Pyrrhonismo favet, manifestissima Rationis principia convellentem. Quis inde non miretur, BOSSUETUM illud ita coloribus pingere ac exornare scire, ut Venerabilem Ecclesiæ Apostolicæ doctrinam efficacem, augustum, solatii plenum mysterium quis ferè sibi persuadere possit? *Cap.* 10 -- 13. Addimus adhùc, quòd, cùm S. Cœna verum Christi Domini corpus in se continere debeat, & tamen non tanta ei ac baptismo competere vis (sch. 1. §. 1266.), Ecclesia Rom. hac in re non planè cohærentia tueatur.

Nullâtenus in Scriptura fundata.

1277. *Transsubstantiationis dogma* inde & *nullum plane præsidium in S. Scriptura invenit, nec invenire potest:* revelatio enim Divina nunquam contradictoria docebit (§. 108.), & nunquam ita certum esse posset, ipsam esse Divinam, ac clarum esset, quòd sit spuria, falsa, si talia doceret; porro Scriptura clarè docet, discipulos corpus Magistri non edisse, Matth. 26: 26. 30. seq. quod tamen sequi oportet juxta dogma illud; elementa consecrata adhùc panem vinumque dicit 1. Cor. 10: 16. 11: 26. seq. ut hinc non desinant id esse, quod antea, ac ibi communio cum corpore Christi dicuntur esse, ergò non ipsa Christi caro.

Sch. 1. Pontificii equidem negant ac pernegant, palladium Religionis suæ nullum in Scriptura habere fundamentum, ad verba institutionis provocantes Matth. 26: 26. τοῦτο ἐστι τὸ σῶμα μου, item v. 28. τοῦτο γὰρ ἐστι τὸ αἷμα μου; at verò nisi necessitas adigeret dogma illud colore saltem quòdam pingere, quilibet facilè videret ac agnosceret, copulam ἐστι tantundem sibi velle ac *significat*: quid enim an CHRISTUS dicens, se esse vitem Joh. 15: 1. aut quando JOHANNES dixit, stellas esse Doctores Ecclesiæ, Apoc. 1: 20. indicare voluerunt, quòd propriè id fuerint, vel

an

an non potiùs, quòd id denotaverint? uti & [in V. T.] Josephus dicens, vaccas esse annos Gen. 41: 26. 27. Etsi etiam in Testamento, [quale & Christus tùnc condidit vel firmavit] quis propriè loqui debeat, quò benè intelligi possit, tamen nec inde quicquam efficere possunt Pontificii, imò contrarium adhùc inde stabilitur: siquidem CHRISTUS ita locutus est, uti à discipulis facillimè ac tutò intelligi poterat: Judæis namque solennis erat formula, Pascha [unde ritus hinc & locutiones Christus desumsit, conf.] (sch. 1. §. 176. & sch. 2. §. 1268.) appellandi כוס של פסח, cùm tamen minimè Pascha ipsum seu præteritio fuerit, verùm nonnisi signum ejus; verba Testamenti itaque à nobis ita sumuntur, proùt Testator ei tempori convenienter illa sumsit, & ut ipsi contumelia non afficiatur: dum aliàs tali sumerentur sensu, qui absurditates involveret; vid. autem omnino Cl. WERENFELSII *Diss.* prolixa *in verba Domini; Hoc est Corpus meum; Opusc.* p. m. 185 - - 226. Quis igitur ferat, quòd famosus ille Dogmatum Romanensium Interpres BOSSUETUS in illis Christi verbis nil deprehendi dicat, cur alienò ea sensu accipere opùs sit, tutissimè è contrà nativum retineri? perscitè rationem arcessens à Christi consilio in hocce Sacramento: nimirum sicùt in V. T. esus carnis sacrificiorum pro peccatis item sanguinis interdictus fuerit, ita ex adverso Christum verè suam carnem ùt hostiæ pro peccatis immolatæ sanguinisque usum dare voluisse, ut ita remissionem peccatorum in N. T. impletam per manducationem fideles intelligerent, *Exposit. Cap.* 10. §. 91 - - 95.

Sch. 2. Uti verò in Scriptura ita non minùs in Patribus dogmati illi frustrâ præsidium quærunt Romanenses: locutiones enim apud Patres obviæ [quæ aliàs in genere valde sunt tropicæ, vid. ex. gr. CLERICUS *art. crit. P.* 2. *Sect.* 1. *Cap.* 17. §. 13. seq.] de symbolis eucharisticis, quales v. g. μεταποιεισθαι, μεταστοιχειωσθαι, μεταβάλλεσθαι, non talem mutationem, qualem Pontificii volunt, notant: vid. quoad vocem μεταστοιχειωσθαι SUICERUS *thes. Eccles. Tom.* 2. p. 363 - 365. [ubi & occasionaliter tangit voces φύσεως, μεταποιεῖσθαι, μεταβάλλεσθαι, μεταῤῥυθμίζεσθαι] ubi notat

notat Patres illam itidem adhibere de aqua in baptismo, circa quam tamen nullam talem crediderint mutationem; στοιχεῖα quoque non solùm esse elementa, sed imagines, figuras, typos, p. 1039. tenuisse Patres, solos fideles participes fieri corporis sanguinisque Christi p. 1128. 1129. unde elementa vocaverint ἀντίτυπα corporis & sanguinis Domini, *Tom.* 1. p. 383. 384. dixisse: Τῆς οἰκείας οὐκ ἐξίστασθαι φύσεως, item μένειν ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας [uti THEODORETUM] p. 1128. unde, cùm nihilominùs μεταπολὴν velint in eucharistia, satis patere, quomodo sit intelligenda, idem V. D. p. 1129. Hic loci verò silentiô non prætereundum, quod à Romanensibus circa decantatam illam CHRYSOSTOMI *ad Cæsarium epistolam* factum; in hac nempe cùm luculentum contra transsubstantiationem effatum extaret, semper ea occultata ac suppressa fuit, donec à Protestantibus Eruditis, P. MARTYRE, ST. LE MOINE &c. in lucem protraheretur; unde ut obviam iret HARDUINUS, verba Chrysostomi ita interpretandi rationem adinvenit, ut transsubstantiationi adhùc faveant, interim in cassum; vid. prolixa ac erudita hac de re *Diss.* VOLLANDI inscripta: *Vindiciæ Chrysostomi*, &c. Vitemb. 1712. etiam in compendio rem exhibet BUDDEUS *Theol. dogm.* p. 1225. 1226. Cæterùm consensus si vel maximè esset Scriptorum quorumcunque pro hocce dogmate, tamen nullâtenus eò credibilius fieret, cùm, quod implicat, Authoritates juvare non possint (per princ. Ontol.); unde benè Celebris Archi-Episcopus Cantuariensis TILLOTSONUS *Sermons Tom.* 3. p. m. 384. si vel ipsum Vaticanum in favorem dogmatis illius impleretur Scriptis, tamen nequidem verisimilitudinem ei conciliatum fore; conf. aliâs tota hæcce Concio [*Sermon contre la Transsubstantiation*] quæ lectu digna.

Mala inde orta & abusus.

1278. *Transsubstantiationis error peperit pernicioſos abusus de præripiendo Laicis calice & asservanda hostia:* cùm enim secum ferat mutationem panis in totum Christi corpus, adeòque & in sanguinem Ipsius, sequebatur, vinum seu potum jam con-

contineri in corpore, pane, consequenter hôc communicatô & illud simul dari, hinc calicem seorsim porrigendum non esse; porrò ubi credebatur, ipsum Christi corpus substantialiter exhiberi, quod singulari gaudeat virtute, inde pronum erat, id in usus ac necessitates emergentes asservare.

Hostia asservanda non est, eò quòd extra usum non maneat Sacramentum (sch. 2. §. 1233.); asservatio nempe eucharistiæ, quæ in Ecclesia Rom. obtinet, est *Ecclesiastica*, ministrantium, seu *publica*, non verò *privata*, communicantium; quæ posterior in Ecclesia inde ab initio Secul. tertii per multa sequentia in usu fuit, vid. DALLEUS *de Cultibus* &c. *Lib.* 6. *Cap.* 17. qui mos etsi cum Salvatoris institutione non satis conveniat, tamen ei nondum ita contrariatur, ac asservatio, quæ hodiedum Latinis in usu est, qui privatam improbant, è contrà ad pompam in altari, pyxide ei destinatâ, asservant per Sacerdotes, cereis lucentibus; ubi ita servata extra synaxin colitur. Ad ejus præsentiam vel coram ea dein, si quid Sacri peragendum est, uti Ordinatio, chrismatis confectio, peragunt. Asservant, ut rebus prosperis & adversis dein exponatur, ut ad infirmos cum pompa deportetur, ut circumferatur solenniter Festô peculiari &c. quæ omnia à praxi Vet. Ecclesiæ aliena esse ampliſſimè ostendit DALLEUS *Lib.* cit. *Cap.* 2. seq. qui & BELLARMINUM inter alia confutat quoad illa pastophoria Pseudo-CLEMENTI in *constitut.* commemorata, ac si fuissent ciboria, in quibus hodiedum apud Pontificios venerabile asservatur; cùm fuerint cubilia, reconditoria &c. in Templis, seu à latere ipsorum, in quibus ministeria S., seu Libri S. reponebantur, ùt idem docet *Cap.* 6.

1279. *Peperit verò etiam quàm maximè idololatriam* [quæ est actio, quâ adoratur idolum; *idolum* verò est res seu persona, quæ perperam pro Deo habetur, seu cui perfectiones solius Dei propriæ affinguntur] *nec non* *Porrò.*

non quòd caro Christi contumelia afficiatur: cum enim juxta illam sententiam symbola convertantur in carnem Christi, Filii Dei, qui adorandus est juxta naturam Divinam (§. 350.), adoratio autem fiat coram carne Christi, perperam ita fit; multo magis, quòd nequidem hæc præsens sit (§. 1275. 1276.); ut hîc committatur idololatria. Cùm verò nihilominus, qui carnem eam priùs adorarunt ut carnem Christi, ipsam dein comedant, contumeliosè illam tractant.

Sch. 1. De adoratione hostiæ [quæ præcipuè in Missa obtinet, ubi ad pronunciata Sacerdotis quinque verba omnes protinus in genua procidunt] & connexis amplissimè agit Pontificiorum Antagonista fortissimus J. DALLÆUS, tùm in Opere *de cultibus Latin. religios. Lib.* 7. totô; tùm in illo *adversùs Latinorum traditionem de religiosi Cultûs objecto, Lib.* 2. Apostoli nempe in prima Cœna eucharistiam adorare minimè jussi sunt à Christo, nec adorarunt, quod non prætermisissent, si id Cultûs Christiani pars aliqua deberet esse; porro JUSTINUS circa medium Sec. secundi eucharistiæ celebratæ ritum describens *Apolog.* 2. nullam tamen ejus adoratæ mentionem facit; prout & apud trium primorum Seculorum Scriptores altum de eo silentium; uti hæc notat ac probat Vir eruditiss. posteriori Opere *Lib.* cit., vid. *Cap.* 1. 2. 4. 5. conf. quoque Cl. WERENFELSII *Diss. de adoratione hostiæ. Opusc.* p. m. 237. seq. Ad illam adorationem pertinet hostiæ elevatio, de qua laud. DALLÆUS eôdem posteriori Opere *Lib.* cit. *Cap.* 6. ubi ostendit, quòd à vetustissimis Christianis in Sacris non elevata, & elevatio introducta fuerit [quod Seculô 6tô, ut videtur, cœptum] non ut adoraretur à Plebe, verùm ut Christi in cruce elevationem populo repræsentaret; elevatio autem, ut adoraretur, Sec. demum 12mô aut 13tiô introducta fuerit, vid. etiam BINGHAMUS *Lib.* 15. *Cap.* 5. §. 4. Porro ad illam pertinet, quòd in rerum arduarum molimine invocetur, quod Veteribus Christianis inusitatum, vid. laud. DALLÆUS

LÆUS ib. *Cap.* 11. quòd Festum celeberrimum ejus gratiâ singulari pompâ celebretur, Veteribus itidem inauditum, idem *Cap.* 17. quo de Festo etiam conf. Rev. noster J. JAC. ZEHENDERUS Hist. Chronologie p. 345-347. Ad abusus idololatricos præterea pertinet, quòd Latini eucharistiam ab ingeniculatis excipi velint, id est, utrôque genu flexô, contra Ecclesiæ primitivæ morem: cùm Apostoli & ævi Apostolici fideles eam discumbentes sumserint, sequentium temporum fideles stantes, uti hodiedum Græci ac Æthiopes stantes communicent, vid. idem Vir. Celebratiss. *de cultibus Lib.* 6. *Cap.* 1.

Sch. 2. Quòd verò dein hostia priùs adorata manducatur, devoratur &c. id superstitionem Gentilium adhùc excedit: cùm hi id, quod comederunt, ac nomine saltem Divinô honorarunt, pro ente tamen Divino non habuerint, vel & itaque non comederint, quod adorarunt; ut rectè hùc referatur illud CICERONIS de *Nat. Deorum Lib.* 3. *Cap.* 16. §. 41. » cùm fruges Cererem, vinum Liberum dicimus, genere nos » quidem Sermonis utimur usitatô, sed ecquem tàm » amentem esse putas, qui illud, quô vescatur, Deum » credat esse? » Eò & pertinet AVERROIS, quod fertur dictum, dicentis: nullam sibi innotuisse Sectam magis ridiculam quàm Christianorum, quoniam edant ac discerpant id, quod adorent; quo de [dum in ejus fidem nunc non inquirimus, & res ipsa saltem vera manet] P. BÆLIUS *Art. Averoöes*, *not.* G.

Christiani trium primorum Seculorum gentilibus objiciebant, esse ἀνόσιον comedere id, quod adoratur, [quod non potuissent, si eucharistiam adorassent] at è contrà hodiedum Gentiles Christianis [Pontificiis] objicere possunt, quòd sint *Deivoratores*; quô nomine Mahumedani Christianos signant, dogma transsubstantiationis convitiis proscindentes, ut & Judæi, licèt in horum libris pauca occurrant, Inquisitorum & Bibliomastigûν vigilantiâ talia delente; vid. DALLÆUS *de cultibus Lat. Lib.* 7. *Cap.* 15. Miretur igitur quivis BOSSUETUM pro suo more, quo tentat ac scit, quæ repugnantiam non ferendam vehunt, palato adhuc pergrata facere, etiam comestionem propriè talem carnis Christi ita commendabilem reddere sub specie magnitudinis gratiæ Divinæ, charitatis

ritatis Christi erga nos, vi cujus non suffecerit Christo nuda tantùm nobis dare signa; undè & rationes illius comestionis peringeniosè invenit tùm in præcellentia rituum N. T. præ Vet., tùm in cohærentia mysteriorum salutis; *Cap.* 12. Quòd si Christiani Veteres eucharistiam, quam manducabant, priùs adorassent, tùm ὠθροφαγίας accusati à gentilibus, & eô nomine vexati, accusationem non simpliciter potuissent infitiari; quin gentiles non omisissent Christianos θεοφάγους nominare: [uti hodiedum infideles faciunt] quippe, ùt vel ex MINUTIO videre est, Gentiles Christianis multa objiciebant, vid. ex. gr. *Cap.* 8. p. 78--82. *Cap.* 9. p. 90--100. [edit. 1709.] & Commentatores, in quibus neutiquàm ita erant fundati, ùt fuissent, si Christi eucharistiam adorassent, quam manducabant. Frustrà objicitur à Pontificiis, Christianos ritus suos celasse, quod dicitur *disciplina arcani*, & eâpropter iis gentiles talia objicere non potuisse: nam gentiles [quod vel ex CELSO patet] perspecta habebant Christiana mysteria, nec apologiæ ea occulta esse sinebant; prout hæc monet ac amplè deducit Pontificiorum flagellum DALLÆUS *adversus Latin. tradit. de Relig. Cultûs &c. Lib.* 2. *Cap.* 23--25. 26. 27. qui idem & *Cap.* 28. motat originem calumniæ gentilium in Christianos de ἀνθρωποφαγία, Thyestеis dapibus, & Oedipodeis commixtionibus non inde esse, quòd eucharistia à Christianis pro carne Christi habita, adorata ac manducata fuerit, sed quòd Carpocratiani nefariis Sacris ac promiscuis libidinibus indulserint.

Sch. 3. Consectariis horrendis, quæ ex transsubstantiationis dogmate fluunt, etiam id addi potest, quòd corpus Christi physicè venenò infici possit, ut aliis eô fruentibus morbos mortemque inferat; uti constat id actu contigisse: vid. PROELEI *Diss. de Hostiis & Calice Venenatis*, sub Præsidio Mayeri habita 1703. qui & inde Q. 3. p. 22. argumentum contra transsubstantiationem solidum deducit; namque quàm id abominandum sit corpori Christi tribuere nemo non videt. Addendum adhùc iis, quæ ex transsubstantiationis dogmate provenerunt, sive mala, sive errores, etiam, quòd inde S. Cœna in Sacrificium, *Missaticum* dictum, commutatum fuerit, ubi Christus offeratur

offeratur & ipse, sine tamen cruore, & per id simul sacrificii Ipsius cruenti applicatio fiat; cùm tamen in illa nonnisi recordatio peragatur passionis mortisque Christi (§. 1267.); adeòque sacrificii Ejus, quo de autem in seq. plura. Id autem, & quònam sensu Servator in Missa offerri dicatur, ac concipiendum sit, multò colore pingit ac emollire conatur BOSSUETUS *doctr. Cathol. expos. Cap.* 14. 15. conf. verò quoad applicationem Vis victimæ Christi contra Romanenses GÜRTLERUS *Instit. Theol. Cap.* 33. §. 427 - 451.

1280. *Nec etiam in, cum & sub pane vel symbolis eucharisticis caro Christi vel humana Ejus natura latet, præsens est aut exhibetur*, [quod dicitur *consubstantiatio*] *nec id ullo modò potest*: quod si enim corpus quodcunque non potest esse pluribus locis simùl præsens, cùm id essentiæ ac naturæ ejus repugnet, sane nec corpus Christi ita in, cum & sub eucharistia præsens esse potest: cùm humanæ ejus naturæ id non conveniat, vid. (§. 888. & sch. §. 896.), ac ea nunc in cœlis sit (§. 907. & sch.). *Consubstantiatio in S. Cœna locum non habet.*

Sch. 1. Fratres nempe August. confess. carnem Christi ita modò invisibili in Eucharistia adesse volunt, cùm humanæ Christi naturæ etiam in abstracto spectatæ omnipræsentiam communicatam statuant (sch. §. 896.), & ne Sacramenta nuda maneant signa, verùm sigilla fiant; vocant carnem Christi sub symbolis præsentem *materiam cœlestem*, uti symbola *materiam terrestrem*, vid. BUDDEUS *Th. dogm. Lib.* 5. *Cap.* 1. §. 14. 15. p. 1154. 1158. Ut autem hic pluribus; quæ pro & contra dici possent, non tangamus, saltem memoranda est acuta Viri Cl. TH. CANZII cogitatio, quâ probari posse existimavit, non implicare, corpus quoddam omnipræsens esse, *Usf. Philos. Leibn.* &c. *To.* 1. *Cap.* 7. §. 16. seq. nimirum corporis naturam juxta Philosophos consistere in vi motrice, vid. (*Met.* §. 628.), adeòque in vi operationes edendi, hinc ibi & eò usque præsens esse, ubi & quousque operatur, vel

operari potest; inde cùm non implicet, corpori communicari posse vim ubique operandi, seu omni-operationem, etiam non implicare, carnem Christi seu corpus ubique proinde & sub eucharistia præsens esse.

At quantumvis ingeniosa sit hæcce hypothesis, de qua dici potest: *Si Pergama dextrâ defendi possent, hâc defenderentur aut nullâ*, tamen itidem involvit, quod admitti nequit: etenim cùm natura corporis sequatur ejus essentiam (*Met. §. 628.*), aliam corpori Christi essentiam communicatam fuisse oporteret, si omni-operatione gaudere deberet, id verò repugnat (per princ. Ontol.) vid. (*Met. §. 43.*); deinde hâc ratione statueretur operatio in distans [ex hypothesi namque corpus Christi non ubique diffusum esset: cùm omnipræsentia ipsius consistat in omni-operatione] quicquid etiam Vir ille Doctus obtendat; at verò ea à Philosophis tantùm non unanimiter rejicitur, [licèt eam magnus NEWTONUS admiserit, vid. LEIBNITII *Theod. Diss. de conform. fid. &c. §. 19.* ubi occasione controversiæ hac de re inter Protestantes agitatæ [qua de ib. §. 18.] hæc commemorat. Non multò minori itaque difficultate se involvet, qui omnipræsentiam corporis Christi per omni-operationem explicaverit: quòd si enim vel maximè operatio in distans [aliàs Philosophis rejecta] admitteretur, tamen longè id adhùc distaret à vi ubique operandi, ùt per se patet.

Sch. 2. Interim quivis facilè videt, longè differre consubstantiationem Fratrum Augustt. Confess. à transsubstantiatione Pontificiorum: illa enim non vult, symbola in Eucharistia desinere esse, quod antea fuerunt, mutarique substantialiter in corpus sanguinemque Christi: nam tenent firmiter Fratres, panem ac vinum semper maneret post consecrationem, quod priùs fuêre; sententia eorum hinc Sensus minimè facit mendaces, nec corpus Christi unicum multiplicat, ideò nullam prorsus inducit adorationem, asservationem superstitiosam panis, præceptionem calicis, aut sacrificium. Ut per illam hypothesin S. Cœna quoad essentialia planè nil mutetur, verùm in integro relinquatur; ac frustrà inde argumentum ad hominem contra Reformatos desumat BOSSUETUS *Cap. 16.* dissensus ille hinc minimè deberet Protestantes

stantes dissociare, vid. Cel. J. ALH. TÜRRETINI *disquis. de art. fundam.*, Nubi Testium præmissa, p. m. 48. 51. & in ipsa *Nube* &c. p. m. 99 - - 101. & hinc inde; item *Orat. de compon. Protest. dissid.* p. m. 14. 18. seq. cùm tamen interim sententia ea difficultatibus insolubilibus sit obnoxia, Reformati eam adoptare nunquàm potuêre. Inde enim, si vel maxime Patres ei faverent locutionibus μεταβολῆς, ἕτερα γίνεσθαι &c. uti Fratres volunt [vid. BUDDEUS *Theol. dogm.* p. 1220. seq., item VOLLANDUS *Diss.* supra (sch. 2. §. 1277.) cit., *Sect.* 2. §. 23. 25. seq.] nihilò tamen commendabilior fieret &c. Deplorandum autem, eam originem dedisse funesto illi inter Protestantes Schismati, vid. ex. gr. SPANHEMIUS *elench. controv.* p. 344. seq.

1281. Cùm S. Cœnam instituerit Christus, ut servetur in memoriam passionis mortisque suæ (§. 1267.), in his verò consistat sacrificium ac Sacerdotium Ipsius (§. 929. 930.), sequitur, *S. Cœnam esse recordationem sacrificii Christi, ac in ea Christum spectari ut Sacerdotem.* *Quid de Christo in S. Cœna animo obversetur.*

Seu est signum sacrificii Christi pro peccatis nostris; sicut enim in sacrificiis ἱλαστικοῖς præcipuum erat sanguinis fusio (sch. 2. §. 929.), ita dum Christus expressè memorat sanguinem suum fundendum in remissionem peccatorum Matth. 26: 28. apertè indigitat sacrificium, & quidem [dum dicit περὶ πολλῶν] publicum; רבים nempe apud Judæos idem dicit ac צבור *Cœtum*, vid. VITRINGA *de Synagog. V. Lib.* 1. P. 1. *Cap.* 2. p. 99. quod faceret ad componendam controversiam, pro quibusnam Christus sit mortuus, qua de (sch. 2. §. 961.). S. Cœna cùm sit signum sacrificii Christi, etiam eò ipsò quoque signum est Sacerdotii Ipsius; hinc signum hieroglyphicum (sch. §. 1237.); etiam ob ipsam illam recordationem & sacrificii & Sacerdotii Domini nostrius, de qua etiam PAULUS 1. Cor. 11: 26. dùm Symbolorum usu mortem Domini annuntiari scribit, allusione factâ ad Judæorum הגדה in Paschate, seu commemoratione

ejus, cujus gratiâ solemnia Paschatis instituta erant, quo do aliquid BYNÆUS gecreutz. Christo, *Cap.* 8. §. 14.

Ea utens quidnam indigitet.

1282. *Per S. Cœnæ usum* itaque *quis profitetur, se credere, Christum esse mortuum pro peccatis, nec non se gratitudinem pro eo testari velle:* nam quia S. Cœna est ceremonia, eum in finem à Christo instituta, ut passio morsque Ipsius animò recolatur (§. 1267.), & hæc ad gratitudinem obstringunt (§. 970. coll. 1120. 1157.), is, qui ceremoniâ tali ac signò eô utitur, præsumitur iis uti, ut indigitet id, quod Constitutor per illa intendit: siquidem juxta præscriptum hujus utitur.

Conf. (§. 1236. & sch. 1.). Et hocce sensu ideò S. Cœna est ac rectè dicitur εὐχαριστία; qua de appellatione & SUICERUS *Thes. Eccles. tom.* 1. p. 1269. 1270.

Non est sacrificium.

1283. Porrò cùm S. Cœna sit nonnisi recordatio sacrificii Christi (§. 1281.), sequitur, *illam minimè esse sacrificium.*

Sch. 1. Pontificios hîc iterum impingere notum est, S. Cœnam in sacrificium [*Missaticum*] commutantes: cùm enim corpus Christi reapse in eucharistia præsens esse teneant (sch. §. 1273.), corpus autem id in cruce immolatum, adeôque sacrificium fuit, pronum erat eucharistiam in sacrificium convertere; unde BOSSUETUS *Cap.* 14. » cùm in eo [consecrationis actu] » præsens Christus suæ ad crucis usque mortem obe» dientiæ memoriam innovet quodammodo, reddat» que perpetuam, nihil ut illi desit, quòminùs verè » sit sacrificium. » Ansam dedit quòd Veteres [jam ante transsubstantiat. ἐύφημα] S. Cœnam metonymicè, ût & Scriptura sæpè nomen sacrificii adhibet, ex. gr. Heb. 13: 16. &c. appellaverint sacrificium; ob dona videlicet, quæ fideles ad ejus celebrationem confe-

conferebant & adeò offerebant; solemne scil. fuit è Judaismo conversis, loquendi formulas, v. g. oblationis, sacrificii, Sacerdotis &c. in Christianismum transferre, quæ dein sequentibus ævis propriè acceptæ sunt; vid., quæ breviter eâ de re, interim solide, Venerab. MOSHEMIUS *Hist. Crit. antiq.* p. 179.

Sacramenta & sacrificia satis discrepant; illorum notio originaria [ad quam semper respiciendum, reliquis nonnisi mediante ea & inde deducendis] est, quòd sint ceremoniæ, per quas nos aut Dei cultui Liberatorisque doctrinæ devoveamus, ad initiationem, aut beneficia utriusque recordemur, vid. (§. 1231. & sch. 1.), horum autem notio primaria, quòd in iis Deo aliquid in signum dependentiæ ac debitæ pro omnibus ab Ipso acceptis bonis gratitudinis daretur, excitandæ & per proprium peccatorum conscientiam [cui non repugnat ideò, quòd dictum] (sch. 1. §. 936.); quod ampliùs denotabat, erat secundario, ac per prius determinabatur, repræsentatio scil. futuri Messiæ &c. Indè & planum faciendum, quod V. D. [ex. gr. Cl. b. m. LAMPIUS Gnadenbund, *tom.* 3. *Vol.* 2. p. 1554.) tenent, typos Opus liberationis repræsentantes affinem habuisse cognationem cum sigillis fœderis, nec nisi gradu confirmationis à sigillis propriè talibus discrepasse; nec minùs planum fit, è notione Sacramenti (§. 752.) tradita hìc in contrarium objici nil posse. Jam in S. Cœna nihil datur Deo, è contrà homines omnia accipiunt: dùm non solùm dapibus ipsi fruuntur, verùm & illis significatur, quòd Deus det rem signatam. Frustra etiam Pontificii inde probare sibi sumunt, S. Cœnam esse sacrificium, quia respondeat Paschati Judæorum, & in hujus locum à Christo instituta, hoc autem sacrificium fuerit: nam [quod benè monet Cel. MOSHEMIUS *ad Cudworthi librum; de vera notione Cœnæ Domini, Cap.* 2. §. 12.] S. Cœna non respondet immolationi agni paschalis, verùm esui ejus seu convivio, quòd è carne Deo oblata Judæos instruere oportebat; immolatio autem agni repræsentabat mortem Christi in Cruce; ut rectè dicatur, celebrationem agni paschalis fuisse figuram celebrationis eucharistiæ quoad *esse sacramentale*, non autem quoad *sacrificiale*; PAULUS etiam 1. Cor. 5:7. docet, Christum esse agnum nostrum

paschalem, pro nobis jam immolatum; unde sequitur, eum non quotidie in Missa iterum immolari, aliàs efficaciùs Corinthios admonuisset, dicendo: Christus est immolatus non solùm, verùm & quotidie adhùc in S. Cœna immolatur, ideò oportet nos semper sanctè vivere. Idem porrò Apostolus 1. Cor. 10: 21. S. Cœnam vocat non altare Domini, verùm mensam Domini, & in S. Cœna nil à Christo actum, quod in sacrificio & super altari agi oportuit: nulla mentio sacrificii vel altaris, nulla est elatio sacrificii, nulla supplicatio, seu confessio, de qua (sch. 2. §. 929.).

Sch. 2. Hìc vero non prætereunda est RAD. CUDWORTHI eruditiss. Angli quoad S. Cœnam sententia, quàm & ingeniosè & multa cum eruditione proposuit in *Libro de vera notione Cœnæ Domini* [subjuncto ejus *system. intellect.*] nimirum S. Cœnam referre convivium seu epulum, cujusmodi inter Judæos facere post rem Divinam factam è residuis victimarum partibus moris erat, nec non & apud alias Gentes; eam, modum hujus sententiæ esse, quòd eâ facillimè profligari possit Pontificiorum hypothesis: qua de modò (sch. 1.): nam qui ritus sit epulum post sacrificium, eum eò ipsò non esse sacrificium: » in Cœna, [ut loquitur V. D. *Cap.* 5. §. 2.] »non victima Deo mactatur » & offertur, verùm nos ex victima jam oblata epulamur; non sacrificium in ea verùm est, sed epu» lum sacrificiale. » Sententia hæcce equidem originem S. Cœnæ pandit dignissimam, interim attendi merentur rationes, quas judiciosè contra eam protulit Cel. MOSHEMIUS *præfat.* Libro illi præmissâ; nimirum: sacrificium, quod Christus obtulerit, fuisse pro delicto aut peccato [אשם aut חטאה] jam talibus vesci nemini licuisse, igne prorsus consumendis, Lev. 6: 36. epulis nonnisi è sacrificiis salutaribus paratis; nec valere objectionem: sacrificiis pro delicto etiam epulas additas fuisse, dum iis addita fuerint sacrificia salutaria, quæ epulas habuerint comites: semper enim epulas è sacrificiis salutaribus venisse, & sacrificia pro delicto iis in se caruisse; porrò sacrificiis pro delicto publicis [quæ pro Pontifice vel populo oblata] nulla fuisse addita sacrificia salutaria, jam verò sacrificium Christi fuisse publicum, pro toto quippe fide-

fidelium Cœtu immolatum; PAULUM vero 1. Cor. 10: 16. 18. 20. originem S. Cœnæ non arcessere ex epulis de oblatis apud Judæos, sed epulas hasce in subsidium advocare, ad probandum, eos, qui ex illis comedunt, communionem velle habere [ac ab aliis ita existimari] cum Diis, quibus epulæ illæ fiebant, ac Religione, cui altaria dicata [gentilium nempe epulis per mensam Dæmoniorum v. 21. indigitatis] quod PAULUS exemplô Judæorum illustret v. 18. ubi & communiô cum altari id notat; inde Corinthios nolit edere de idolothytis v. 28. ne ab aliis recens conversis pro talibus habeantur: cùm etsi gentilium Dii in se nil sint v. 19. tamen communionem cum mensa eorum facere, ut ab aliis existimentur, ac si vellent Religionem ipsam gentilem profiteri; cæterùm κοινωνία illi cum Diis per convivia S. lucem doctè fœneratur Clar. ELSNER *Observ.* ad illum loc., uti quoad idolothyta & in genere rerum, quæ ad gentiles pertinebant, usum, seu an iis uti fas sit, quænam Judæi antiquitùs tenuerint, SCHOETGENIUS in 1. Cor. 8: 1. & 10: 21. 25. S. Cœna itaque refert epulum ex oblatis nonnisi eâ ratione, quòd desumta sit è convivio paschali, ut dictum modô (sch. 1.), cùm id convivium pro tali epulo haberi possit; uti Pascha sacrificiis salutaribus seu euchar. à V. D. etiam annumeratur, [vid. v. gr. OUTRAMUS *Lib.* 1. *Cap.* 13. §. 11. & in Talmude inter זבחים refertur notante SCHOETGENIO in loc. mox citandum] quocum interim Christus à PAULO 1. Cor. 5: 7. comparatur, unde fundamentum à ratione generis ἱλασικῦ sacrificiorum arcessi adeò strictè ac universaliter non posse inde sequi ac regeri posse nobis videtur, licèt interim neutiquam sumamus Tantorum Virorum componere lites.

1284. Quandoquidem Christus in S. Cœna ut Sacerdos spectatur (§. 1281.), officium Sacerdotale autem præsupponit propheticum (§. 910. 1104.), ac secum fert Regium (§. 975.), sequitur, *Christum in S. Cœna etiam ut Prophetam & Regem consideravi.* *Christum & ut Prophetam ac Regem repræsentat.*

Licèt non primariò & immediatè, verùm secundariò & mediatè; conf. quæ de baptismo dicta (sch. §. 1261.), & huc faciunt.

Fert renovationem Voti baptismalis. 1285. Quare cum in baptismo Christus ita consideretur, ac homo se Ei ut tali devoveat (§. 1256.), sequitur, *per S. Cœna usum id reiterari, ac denuo repræsentari & inculcari Votum in baptismo factum* (§. 1258).

Sch. 1. Nempe iterum secundariò, non primariò; unde S. Cœna à baptismo differt, quòd in hoc primariò ingeratur officium hominis Deo serviendi, seu postulatum fœderis gratiæ, in illa autem primariò beneficium Dei, seu promissum fœderis gratiæ, id est, causa ejus meritoria.

Sch. 2. S. Cœna posset ideò dici, quòd sit Sacramentum confirmatorium; hinc emblema continuationis Vitæ spiritualis [qua de] (§. 1054.), uti baptismus initii ejus, vid. (sch. 2. §. 1256. §. 1259. 1262.).

Uti è contra confirmatio, quæ in Ecclesiis protestantibus recepta, & de qua (sch. §. 1264.), S. Cœnæ usum præcedit, ut non admittatur, nisi qui confirmationem acceperit: siquidem per confirmationem explorantur, num velint stare Votô baptismi, adeòque eô, quod S. Cœna præsupponit.

Sch. 3. Per S. Cœnæ usum itaque obstringit se homo ad officia ea, quæ baptizatis incumbunt, & ad quæ hi, dum baptismum susceperunt, se obstrinxerunt; sicuti & v. gr. sponsa accipiens pignus, vel servus aut ancilla, recipientes itidem tale, se per hoc obstringunt ad omnia officia, quæ iis quâ talibus, seu in tali qualitate incumbunt.

Signat fœdus gratiæ cum beneficiis. 1286. Porrò cum in Eucharistia fiat recordatio sacrificii ac sacerdotii Christi (§. 1281.), adeoque satisfactionis Ejus (§. 941.), hæc autem sit fundamentum fœderis gratiæ (§. 1000.), sequitur, *esse illam etiam signum fœderis gratiæ ac inde & beneficiorum ipsius* vid. & (§. 1237.).

Sch. 1.

Sch. 1. Etsi enim satisfactionem Christi constituat non solùm obedientia Ejus passiva, seu sacrificium, verùm & activa (§. 959.), tamen & hæc in eucharistia repræsentatur, quià [uti & jam notatum] (sch. 5. §. 1268.), consideratur ut sacrificium ac Sacerdos sine omni peccato non solùm, verùm adhùc justus, vid. (§. 879. 953.), eô ipsô quià consideratur ut pro aliis se offerens (§. 928. 941.).

Sch. 2. Ex hisce videre est, quòd S. Cœna gaudeat omnibus veri Sacramenti requisitis: signum externum quippe cum re significata ac institutione Divina jam habentur (§. 1267. 1268.); hìc verò cùm illa sit signum beneficiorum fœderis gratiæ, habetur & promissio à parte Dei, quæ dein & pro quibusdam in obsignationem abit (§. 1239.); hæc autem sunt, quæ ad Sacramentum requiruntur (§. 1240.).

Sch. 3. Vir Cel. ac eruditiss. RAD. CUDWORTHUS, ut porro probet, S. Cœnam esse convivium ex oblatis, etiam in subsidium advocat, quòd fœdera olim inita confirmataque fuerint subsequentibus epulis sacrificialibus; ut epulæ, quæ apparabantur è reliquiis victimarum oblatarum, significarint, fœdus cum Deo vel Diis iniri ac confirmari; vid. *Cap. 6. de vera notione Cœnæ Domini.* Intelligitur nempe, quòd & quomodo S. Cœna sit convivium fœderale, dum nempe est signum fœderis gratiæ ac beneficiorum ejus, item dum in illa confirmatur baptismus (§. 1285.), in quo fit stipulatio fœderis (sch. 2. §. 1260.), item quòd & quomodo epulum sit ex oblatis, ex (sch. 2. §. 1283.); aliud autem est, Christum ad talia convivia in institutione S. Cœnæ respexisse, hujusque formam inde desumsisse, aliud verò, quòd saltem cum iis conveniat, ac comparari possit [quod idem & ideò de epulis ex oblatis (sch. 2. §. 1283.) dicendum] quam disquisitionem verò hìc non tangimus, uti nec quoad loca illa V. T., è quibus CUDWORTHUS ritum conviviorum fœderalium eluceseere tenuit Gen. 26: 30. 31. 31: 44. 46. Jos. 9: 14. 15. Cel. autem MOSHEMIUS in subjectis *annotat.* ad Librum Gudworth. ritum illum inde non firmiter probari tenet.

Per eam Cultus Deo insigniter exhibetur.

1287. *Eucharistia est pars Cultûs Christiani:* vid. (§. 1232.), *& quidem præcipua:* cum animò recolatur fundamentum fœderis Dei (§. 1000. coll. 1281.), hinc totius salutis, & istud fiat per ceremoniam ab Auctore ipso Christianæ Religionis injunctam (§. 1267.).

Sch. 1. Nempe Cultûs publici pars est, hinc in locis & à personis publicis impertienda, conf. (sch. 2. §. 1252. coll. §. 1285.); in conventibus ideò & S. Cœna celebrabatur Act. 20: 7. 1. Cor. 11: 20. eò faciebat hinc, vel illi propterea convenit græcum nomen σύναξις, conventum, congregationem propriè notans, & S. Cœnæ tributum, vid. SUICERUS *thes. eccles. tom.* 2. p. 1110 -- 1112. Ad ægrotantes ideò domum non est mittenda eucharistia, licèt id in Vet. Ecclesia obtinuerit, quo de BINGHAM *Lib.* 15. *Cap.* 4. §. 9. seq.

Sch. 2. Inde cùm certa tempora Cultui Dei sint destinanda, quæritur hinc, quibusnam ergò temporibus ac intervallis eucharistia sit celebranda. Praxis Ecclesiæ si respiciatur, per canones ejus communionem singulis diebus Dominicis recipere omnes jussi sunt, exceptis Catechumenis & Pœnitentibus [qui censuræ Ecclesiæ subjaciebant] quod constanter per tria prima Secula observatum, notante BINGHAMO *antiq. eccles. Lib.* 15. *Cap.* 9. §. 1. 2. aliis diebus præter Dominicum in multis celebrabatur Ecclesiis, quibusdam in locis & singulis diebus, ib. §. 3. 4. Postea definitum fuisse notat. V. D., ut saltem ter quotannis [non pauciùs] communio reciperetur, nimirum diebus Nativitati, resurrectioni Christi, ac descensui Sp. S. sacris*; ut, qui id non fecerint, pro catholicis non haberentur; id primò omnium definisse Concilium Agathense Annò 506. & durasse saltem ad Caroli M. ætatem usque, licèt Clerici ac devotiores crebriùs communicarent, id. §. 5. Concilium Lateranense autem adhùc ad angustiores rem reduxisse limites, ut unicâ vice in Annò [nimirum festis Resurrectionis Dominicæ diebus] communicare sufficeret, si aliis vicibus & frequentiùs Sacerdotes commu-

communicarent; inde Missas *privatas* vel *solitarias*, prioribus Seculis ignotas, ortas esse, id. *Lib.* cit. *Cap.* 4. §. 4. 5. J. Calvinum magnô studiô annisum esse, ut frequentiùs populus christianus communicaret, ad minimum singulis mensibus, verùm rem eò perducere non potuisse; ib. §. 7. Ecclesia Anglicana etsi regulis præscriptis ter nonnisi quotannis populum eucharistiam recipere jubeat, tamen in Ecclesiis cathedralibus communiter singulis diebus Dominicis id fieri; alias autem Ecclesias, tàm intra civitatem quàm in agris, singulis mensibus eucharistiam celebrare, *Cap.* cit. §. 7.

Unde cognitio necessaria.

1288. Quare cùm Cultus Divinus necessariò requirat cognitionem, ùt notio ejus (§. 53.) involvit, *S. Cœnæ usus cognitionem postulat:* vid. & (§. 1235.).

Sch. 1. Cognitio adsit oportet, qualis necessaria est, tùm ad ceremoniam illam intelligendam [modô nempe plebejis accommodatô] tùm aliàs circa præcipuos Relig. Christ. articulos (§. 1079. & sch. 2.) Huc pertinet, quòd Veteres, ubi fidem postulabant ad dignè communicandum, sub ea indigitarent professionem fidei orthodoxam, seu articulorum Christ. Relig., speciatim etiam quoad Sacramentum eucharistiæ &c. BINGHAM *Lib.* 15. *Cap.* 8. §. 8.

Sch. 2. Vi Cultûs Divini ac ob cognitionem requisitam ideò mortuis malè eucharistia dabatur, quod hinc Orthodoxi ùt abusum castigabant, idem V. D. *Lib.* cit. *Cap.* 4. §. 19. vid. etiam SCHLICHTER *de abus. euchar. Cap.* 1. §. 5. qui & §. 6. notat, quòd panis usui Cœnæ adaptatus & calix eucharisticus pectori aut aliis partibus mortuorum fidelium, præcipuè Episcoporum aut Sacerdotum imponerentur, ac unâ sepelirentur.

Cuinam ætati ideo eucharist. competat.

1289. Sequitur inde, *adultis, non autem infantibus S. Cœnam esse impertiendam:* cùm enim baptismus ob id solùm infantibus dari possit ac debeat, quia est Sacramentum initiationis (§. 1252.), in S. Cœna autem confirmatio debeat fieri

fieri baptiſmi (§. 1285. & ſch. 2.), ſequitur, quòd S. Cœnæ uſus cognitionem, hinc adultam ætatem requirat; quod & ſecum fert natura ceremoniæ in genere (§. 1229.).

Ita Paſcha olim nonniſi adulti comedebant, cognitione ceremoniæ illius pollentes, Exod. 12: 26. 27. Immeritò ideò in Vet. Eccleſia euchariſtia etiam infantibus, idque ſub utraque dabatur ſpecie, uti poſt Jo. FRID. MAYERUM *commentat. de euchar. infantibus olim data*, recusâ Jenæ 1734. copioſè peculiari Tractatu expoſuit eruditiſſ. ZORNIUS. Oriebatur mos iſte è malè intellecto loco Joh. 6: 53. ac pertinet inter abuſus euchariſticos, quò & refert SCHLICHTER *de abuſ. euchariſt. Cap.* 1. §. 1--3.

Pœnitentia ad euchariſtiam neceſſaria.

1290. *S. Cœnæ celebratio digna debet eſſe conjuncta cum ſeria peccatorum propriorum deteſtatione:* in ea enim repræſentatur Chriſtus paſſus mortuusque (§. 1267.), & quidem pro peccatis noſtris (§. 934. 935.); ergò in eâ repræſentatur atrocitas peccati: ſiquidem, ut condonari poſſent, ipſum Dei Filium oportuit atrocem ſubire paſſionem ac mortem, ubi verò atrocitas rei pateſcit, ibi & deteſtatio ejus ſequi debet. Vel aliter: cùm homo non poſſit non de peccatorum condonatione ſollicitus eſſe, vid. (§. 843.); hæc verò non impetretur ſine prævia eorum deteſtatione ac pœnitentia (§. 1012. 1059.), vi fœderis gratiæ (§. 993. & ſch. 1.), cujus S. Cœna ſignum eſt (§. 1286.), patet, peccatorum deteſtationem omnino requiri.

Sch. 1. Hîn & peccatorum propriorum agnitio præcedere debet (§. 1060.), [unde ulteriùs confirmatur, cognitionem omnino requiri] (§. 1289.), propterea & peccatorum confeſſio ſe prodere (ſch. 2. §. 1060.).

Jam ubi peccatorum propriorum deteſtatio, ibi & humi-

humilitas erit: hæc enim non potest non oriri, ubi infirmitates ac miseria propria præ oculis habentur & sentiuntur: cùm inde displicentia non possit non oriri (per princ. psych.). Atque talis humilitas, quâ veluti ingeminatur illud 2. Sam. 9: 7. 8. est unum è præcipuis & pulcherrimum dignè communicantium ornamentum; per eam Deo grati sunt in Christo: vid. Esaj. 57: 15. Psalm. 34: 19. Matth. 11: 28. Luc. 1: 48. 52. gignet illa, ut communicans se indignum judicaturus sit beneficiis in S. Cœna repræsentatis non solùm, verùm & imò signis ipsis, ac pronunciaturus ex Gen. 32: 10. & Ps. 36: 6. 8-10.

Sch. 2. Vetus Ecclesia à dignè communicaturis ideò postulabat resipiscentiam, obedientiam, justitiam, ablati restitutionem &c. notante BINGHAMÔ *Lib.* 15. *Cap.* 8. §. 9. seq. nec non peccatorum confessionem volebat, verum ita, ut quoad privata crimina acquiesceret, si reus ea Deo confiteretur, nec [etiam ad præparationem ad S. Cœnam] publicam eorum professionem imponeret; idem ib. §. 6.

1291. Inde, & *aliis condonare paratus esse debet, qui dignè communicare vult:* etenim quando homo optat, ut Deus plurimas & maximas offensas sibi condonare gratiosè velit ob Christi passiones ac mortem, quæ in S. Cœna repræsentantur (§. 1167.), omninò per se æquum est, ut quas alii sibi offensas intulere [exiguas ac paucas, comaparatè ad priores] lubens condonet, vid. Matth. 18: 32. seq., tanto magis quòd ipse Christus, cujus passio ac mors repræsentatur, modò illustri ea in re præiverit Luc. 23: 34. hinc injungat, Matth. 6: 14. 15. quin & ipsa Naturæ lex (*Mor.* §. 850. seq.). *Reconciliatio cum inimicis.*

S. Cœna hinc est ac dicitur ein Liebesmahl, dum non solùm amor Dei maximus erga nos, quum adhuc inimici Ejus essemus Rom. 5: 8. 10. in illa exhibetur, verùm & propterea amorem mutuum, hinc erga inimicos

micos quoque injungit, ac reconciliatô animô communicantes vult esse. Veteres ideò volebant, inimicitias à communicantibus deponi, injuriasque condonari, postulabantque pacem, unitatem, charitatem, notante BINGHAMÔ *antiq. Eccles. Lib.* 15. *Cap.* 8. §. 11. 13.

Vita emendanda propositum.

1292. *Qui eucharistiâ non indignè uti vult, is propositum firmum animô concipere debet de vita in posterum serio emendanda, adeòque fide per bona Opera testata facienda:* ubi enim rei cujusdam detestatio, ibi in posterum ea non solum sedulo vitatur, verùm adhuc studium in opposito collocatur [uti per se clarum] jam verò peccatorum detestatio ad S. Cœnam requiritur &c. (§. 1290.); porro idem & necesse est ad peccatorum remissionem consequendam [de qua homo ùt semper ita in eucharistia non potest non sollicitus esse] siquidem ubi illa, seu ut alter malefacta condonet, serio expetitur, eô ipsô cavebitur non solum, ne denuo offendatur, qui priùs offensus, sed & vires impendentur ad præstanda, quæ ei grata; unde & hæc postulantur in fœdere gratiæ (§. 993. & sch. 1.), non minus quam fides (ib.).

Sch. 1. Ob hæc ideò & [nec solùm ob illa, de quibus] (§. 1286.), S. Cœna est ac dici potest signum fœderis gratiæ, seu quòd illa id exhibeat.

Sch. 2. Atque ita ingeminandum illud 1. Cor. 5: 7. ἐκκαθάρατε τὴν παλαιὰν ζύμην, ἵνα ἦτε νέον φύραμα; ubi vid. Cl. SCHETGENIUS, qui notat, desumtum id esse ex Hos. 7: 4. Paraphrasten dein Chaldæum adducit de cogitationibus pravis h. l. explicantem; porrò notat, Judæos, ubi mysticam Paschatis interpretationem exhibent, per fermentum intelligere יֵצֶר הָרַע, ùt è Sohar probat. Necessitas propositi illius [ad S. Cœnæ usum] exurgit etiam, quia Regium Christi officium [hinc obedientia Ipsi præstanda per emen-

emendationem vitæ] (§. 978. & sch. 2.) cum sacerdotali arctè & connexum (§. 975. & sch.), jam verò sacerdotale in S. Cœna repræsentatur (§. 1281.); porrò, quià inter remissionem peccatorum [quam homo desiderat ob meritum Christi in S. Cœna repræsentatum) ac sanctificationem nexus est indissolubilis (sch. 2. §. 1171.).

Sine quibus Communicantes reos se faciunt.

1293. *Qui* ergò *destituuntur requisitis* (§. 1288. 1290. 1291. 1292.), *S. Cœna uti non debent, quod si nihilominùs fecerint, pœnam sibi Divinam accersunt*, 1. Cor. 11: 27. 29. ceremoniâ enim hâcce non utuntur, prouti postulat id, quod ex institutione Christi involvit, (§. 1267.), adeòque institutum ipsius pervertunt, profanant Sacra (§. 1287.), quæ omnia pœnas Divinas non possunt non accersere (§. 839.), tantò magis, quòd tales sint extra fœdus gratiæ, adeòque sub comminationibus fœderis operum (§. 1005.), injustè hinc & ac temerariè signum fœderis gratiæ sibi vendicantes.

Sch. 1. Vid. etiam (sch. §. 1239.). Hùc pertinet Matth. 7: 6. in quem loc. vid. LAMPE Gnadenb. *Tom.* 4. *Vol.* 2. p. 1261. seq. Disciplina Ecclesiæ antiquæ tales severe arcebat; nolebat flagitiosos & manifestos peccatores ad eucharistiam admitti, nisi evidentibus resipiscentiæ signis emendationem testatam ac Ecclesiæ satis feciſſent, BINGHAM *Lib.* 15. *Cap.* 4. §. 17. & *Cap.* 8. §. 5. adeò ut etiam pœnitentes, id est, quibus pœnitentia ob crimina erat imposita, interim eâ nondum fuerant defuncti, de eucharistia non participarent, id. *Cap.* 4. §. 1. Quoad Patres græcos vid., quod hùc pertinet, apud SUICERUM *thes. eccles. tom.* 2. p. 1239 —— 1242. ubi & de historia nota Ambrosii, qui Theodosium Imperatorem ob cædem Thessalon. patratam ad S. Cœnam admittere recusaverat.

Sch. 2. Patet adeò, quinam à S. Cœna sint arcendi, nempe si generalissimè incipiatur, 1. qui doctrinam

Christi non recipiunt, Mahommedani, Judæi; ratio est: quia Sacramenta cum Verbo Dei conveniunt &c. (§. 1234.); hinc & 2. è Christianis, qui doctrinam de Christo pervertunt per dogmata, cum quibus vera fides, & quod in S. Cœna repræsentatur, consistere nequeunt, uti sunt Socin.; 3. qui veram quidem profitentur doctrinam, hanc tamen per negligentiam non noscunt (§. 1288.); 4. qui ob vitam scelestam & crimina palàm nota Christianô nomine indigni sunt; 5. qui aliàs pœnitentiâ præteritorum non tanguntur, aut futuræ emendationis propositô (§. 1292.). Pastorem interim fidum non habere, cur animum anxietatibus adeò oneret, ubi videt impœnitentes ad sacram mensam accedere, eò quòd convivium id non solùm sit confirmationis pro pœnitentibus, conversis, verùm & præparationis pro nondum conversis, ubi per repræsentationem charitatis Dei ac Salvatoris misericordis mirandæ ad pœnitentiam excitandi sint, judicat Rever. PFAFFIUS *orig. Jur. Eccles. Cap.* 4. p. [edit. german.] 343. 344. & in not. p. 353--- 365.

Sch. 3. Pœnas Divinas per S. Cœnæ indignum usum sibi accersere PAULUS vocat judicium sibi edere ac bibere 1. Cor. 11: 29. id est, indignè edendo ac bibendo in S. Cœna judicium Divinum sibi accersere, seu pœnas à Deo judice infligendas (sch. §. 839.), similitudine desumtâ, ubi quis cibi vel potûs venenati usu mortem sibi accersit, ac edendo vel bibendo mortem ipsam quasi edit &c. Addit Apostolus id fieri, quia μὴ διακρίνει τὸ σῶμα τοῦ κυρίου, nullam facit distinctionem inter dapes Christum solenniter signantes conviviumque ab Ipso institutum, ac dapes communes vulgareque convivium; locutio scil. est elliptica: non discernere corpus Domini scil. à rebus profanis, uti in Vet. Test. sæpe sermo est de distinctione inter sacrum & profanum, vid. Lev. 10: 10. Ezech. 42: 20. unde Judæorum הַבְדָּלָה *distinctio* solennis inter Res sacras & profanas, ad quam PAULUS respicit, & in quo etiam nimii erant; unde Corinthios hortatos vult ut tantò magis in re sacerrima symbolis corporis Christi debitam faciant; vid. erudita Cl. SCHOETGENII in h. l. nota. Aliæ autem variæ sunt ac

ac prætendi possunt rationes, ob quas participatio de S. Cœna omittatur, temerariæ ut plurimùm, vid. de iis Cel. piæ mem. LAMPIUS Gnadenb. *Tom.* 4. *Vol.* 2. p. 1409. seq. conf. quoque celebris Archi-Episcopus TILLOTSONUS *Sermon de la necessité de la frequente Communion. Tom.* 3. p. m. 259. seq.

1294. Homo proinde ante eucharistiæ usum seipsum examinare debet, 1. Cor. 11: 28. num requisitis illis gaudeat, quæ ad dignè de eucharistia participiandum requiruntur (§. 1288. 1290. seq.) *Examen sui ipsius prærequiritur.*

De exploratione sui-ipsius jam aliquid monitum (§. 1203. & sch. ib.); hìc autem quoad S. Cœnam in specie ac uberiùs, rem momentosam nempe si quis suscipere velit, & quæ si non rectè peragatur, damnum affert, urgeri se sentiet ad dispiciendum, num ad feliciter peragendam sit dispositus. Examen id sui-ipsius versari debet tùm 1. circa cognitionem (§. 1288. & sch. 1.); tùm 2. circa vitæ rationem: siquidem omnia, quæ Christiano incumbunt, vel credenda concernunt, vel agenda (prol. §. 19.).

Iis si homo se carere videat, ut ea acquirat, sedulò operam dare debet, quæ constituunt *præparationem* ad S. Cœnam; quam Veteres voluerunt tali modò se habere ac institui, ut omni tempore in sanctitate & puritate ad eucharistiam recipiendam accedatur, BINGHAM *Lib.* 15. *Cap.* 8. §. 7. Monemus adhùc quoad illud δοκιμαζέτω 1. Cor. 11: 28. id juxta Cl. WERENFELSIUM *cogit. ad loca Nov. Testam.* p. m. 333. non tàm vel non solùm notare: examinare, probare, quàm se probatum dare, exhibere, δόκιμον παρασήσειν ἑαυτὸν; item probabiliter in illo alludi ad בִּיקּוּר δοκιμασίαν circa agnum paschalem [typum Christi & præcedaneum S. Cœnæ Sacramentum, quo de infrà] ubi agnus à Die decimo usque ad 14. mensis Nisan erat perquirendus, num aliquò laboret defectu; ita SCHOETGENIUS *Hor. hebr.* in loc. cit.

Inter participationem S. Cœnæ quid agendum.

1295. *Inter ipsam eucharistiæ celebrationem mens detenta esse debet cogitationibus de Christi passione ac morte :* quippe in hunc ipsum finem primarium Constitutor hujus epuli, Christus, sacrum id convivium sancivit (§. 1267.).

Patet inde facilè, nec multô opùs est labore ad divinandum, quænam cogitationes mentem Communionem S. obeuntis occupare debeant; nempe 1. quis. nam ille sit, cujus passio ac mors repræsentetur (§. 348. seq. 377. seq.); 2. quidnam passus, externè & internè (§. 898. & sch. ib. §. 924.); 3. quomodo passus sit, scil. cum patientia, fiducia in Deum &c. (§. 918.); 4. pro qualibus, nimirum talibus, qui tantâ charitate indigni (§. 1002.); 5. quem in finem, nempe non solùm ad confirmationem doctrinæ suæ &c. verùm præcipuè, ut nos à maximo liberaret malo, è contrà boni maximi participes redderet (§. 952. 958.). Quodlibet horum pensitandum, quià quodlibet facit ad gratitudinem, quam Christo debemus, excitandam. Ex illorum pensitatione seria non possunt non varii oriri affectus salutares; tristitia ob peccata, odium eorum, gratitudo erga Christum, gaudium ob procuratam ab ipso salutem; unde & sequitur, pensitationem illam non debere nec posse esse solùm historicam (§. 1094.), verùm ut talium, quæ maximè referant, recordationem veræ fidei (§. 1091.). Porro occasione symbolorum, quæ communicans sibi porrigi videt, panis, quem sibi frangi, dein accipit ac edit &c. itidem cogitationes ac soliloquia animum ejus totum detinere debent, [naturâ ceremoniæ hujus omnia hæc determinante] quæ verò sigillatim commemorare instituti ratio non permittit; lectu digna autem hanc in rem est WERENFELSII *Sermon de la préparation à la sainte Céne.* Notamus adhùc etiam Veteres voluisse, ut inter communicandum mens variis ejusmodi detineatur cogitationibus, quam in rem ingeminabatur illud: *Sursùm corda*; vid. BINGHAM *Lib.* 15. *Cap.* 3. passim, præcipuè §. 8. & *Cap.* 8. §. 14.

1296.

1296. *Quòd si ita, ùt debet, participatio S. Cœnæ fiat, tùm fides firmior redditur, Virtutes Christianæ excitantur, ac solatium affertur:* fides namque corroboratur, ubi homo meritum Christi sibi firmiùs applicare potest (§. 1114.), jam verò dùm in S. Cœna causa meriti illius visibiliter exhibetur, ac homo signum ejus accipit, id fidem ipsius confirmat; etiam inde virtutes Christianas excitat: siquidem, dum Christi passio ac mors repræsentantur, ob peccata nostra toleratæ, ac simùl, quòd sine sanctitatis studio exinde fructus non percipiatur, per hoc tùm atrocitas peccati tum necessitas virtutis Christianæ animo ingeritur; consequenter ad eam homo excitatur, tantò magis, quòd Christus patiens pulcherrimum virtutum exemplar præbuerit (§. 918.); inde verò dùm homo persuadetur, quòd participet de fructibus passionis mortisque Christi, solatiò perfunditur (§. 1219. coll. 1242.). *Fructus veræ communionis.*

Sch. 1. Salutares ejusmodi effectus ipsimet persentiscunt ij, qui omni studiò dignè communicare allaborant; quo de Theologiæ experiment. ac & historiæ regenitorum esset exponere (prol. §. 15. & sch. §. 1036.).

Nec, si tales effectus eucharistia non ferat, culpa in ipsam, quòd sit ceremonia nuda, inefficax, redundat: modus namque, juxta quem res adhibetur, effectum ejus determinat vel secus; legi autem quoad hoc iterum meretur WERENFELS *Sermon de la préparation à la sainte Céne*, p. m. 118. seq.

Sch. 2. Hæc itaque continent ex iis, quæ NB. post eucharistiæ usum sequi debent, & ut sequantur, homini allaborandum [de quibus etiam propositum jam adstrictum] (§. 1292.), nempe ut Votum confirmatum (§. 1285.) fideliter servetur Ps. 119: 106. Eccl. 5: 4. 5. quod tunc & S. Cœna adjuvat. In Vet. Ecclesia hinc communicantes graviter admonebantur, ac ab iis

postulabatur, ut sanctitatem posteà exprimerent animô, corporeque, omnibus corporis membris; ut virtuti operam darent: siquidem Sacramentô utentes seipsos Deo obtulerint, obstrinxerintque ad omne virtutis exercitium, BINGHAM *Lib.* 15. *Cap.* 8. §. 14.

Inde S. Cœna obsignat. 1297. Inde *si homo propositum factum* (§. 1292.), *reipsâ executioni dare sedulò studeat, S. Cœna è nudo signo ipsi fit sigillum, obsignans, quòd participet de fructibus passionis mortisque Christi*, vid. (§. 1238. 1239.).

Est ea ac fit tùnc ceremonia confirmatoria, ad applicationem salutis externam faciens (sch. 2. §. 1243.); fit tùm S. Cœna κοινωνία τȣ̃ αἵματος καὶ τȣ̃ σώματος τȣ̃ Χριςȣ̃ 1. Cor. 10: 16. uti & appellatur.

Facit ad unionem fidelium. 1298. *Per S. Cœnæ usum ingeritur unio fidelium inter se & cum Christo, ac etiam corroboratur:* unio enim [nempe inter supposita intelligentia, hinc *moralis*] intercedit ac fit, ubi plura ad eundem tendunt scopum, adeòque per consensum: hic enim & nexum fert, qui in genere unitatem facit (*Met.* §. 549.) [licèt §. cit. *Met.* de unitate physica] uti nexus fert, quòd unum rationem in altero habeat (ib. §. 545.); jam S. Cœnâ utentes cùm recordentur passionis Christi, ùt rei, in qua salus quærenda, ad eundem omnes se tendere scopum profitentur, rationemque, cur de symbolis participent, in Christi passione inveniunt, adeòque unio tùm cum hoc, tùm inter se ingeritur; corroboratur verò unio per usum S. Cœnæ, quia fides in hac corroboratur (§. 1296.), è fide autem unio illa oritur (§. 1118.).

Lubet hic adscribere Rev. & Cl. ELSNERI verba in 1. Cor. 10: 17. ubi ita de hocce loco „ pulcerrima sententia!

» tentia! Christianos arctissimis vinculis conjunctis in » unius populi corpus coalescere, qui ejusdem cibi » fierent participes, conf. *Cap.* 12: 13. est enim S. » Cœna *convivium fœderis*, non modò cum Deo Chri- » sti sacrificiò sanciti, quod est αἷμα διαθήκης Matth. » 26: 28. verum etiam perpetuæ fidelium amicitiæ sta- » biliendæ & confirmandæ; quemadmodum Israëlitæ » olim in solemnibus festis de sacrificiis sacra convi- » via instituebant, ad mutuam concordiam societa- » temque arctioribus vinculis adstringendam. » —— Porrò eruditè notat V. D. Gentiles etiam mensam sacram credidisse accommodatissimam amicitiæ sanciendæ, & in sacris conviviis firmissimum amicitiæ vinculum posuisse, immo integras Gentes stata Sacra & convivia arctioris amicitiæ causa celebrasse &c.

1299. *Præter Baptismum & S. Cœnam nulla alia sunt N. Test. Sacramenta:* namque nulla alia præter hæc duo instituit Christus (§. 1250. 1267.), jam verò institutio Divina necessaria est (§. 1233.); etiam nullis aliis opùs est præter illa duo; vi fœderis gratiæ & Religionis in genere: fœdus gratiæ enim complectitur aut postulata, id est, officium nostrum Deo serviendi, aut promissa, id est, beneficia ejus (§. 992. 993.), jam officium Deo serviendi notatur per baptismum (§. 1250.), uti beneficia Dei per S. Cœnam, vid. (§. 952. 1152. coll. 1267. 1286.), [baptismò nonnisi secundariò hæc notante] (§. 1261. & sch.); eòdem modò Religio exhibet vel credenda de Deo [quò & continerentur beneficia Ejus erga nos] vel agenda erga Eum (prol. §. 19.). *Quòt sint Sacramenta.*

Sch. 1. Sic & probatio posset desumi à vita spirituali: dum ad eam non opùs est, nisi ut incipiat & dein conservetur, jam prius notatur per baptismum, posterius per S. Cœnam, vid. (§. 1252. §. 1285. & sch. 2. ib. §. 1296.). Notandum scil., discrimen quàm maxime constituendum esse inter Sacramenta,

utpote perpetuas ac universales ceremonias, vid. (§. 1233.), & alias ceremonias, etiam ab Apostolis adhibitas aut institutas, quæ verò perpetui ac universalis usûs esse non debuerunt, nec voluerunt Apostoli; inter posteriores Cel. piæ mem. LAMPIUS Gnadenb. *Tom. 4. Vol. 2. Cap.* 18. p. 1209 —— 1251. ponit 1. impositionem mannum, Matth. 19: 13 - 15. Marc. 10: 16. qui ritus jam in Vet. Test. valdè erat solennis, vid. Gen. 48: 14. [Num. 6: 27. extensio vel expansio manuum à Pontifice Max. super Israëlem] Num. 27: 18. Deut. 34: 9. 2. lotionem pedum, Joh. 13: 5. usitatam aliâs Judæis ac Orientalibus Gen. 18: 4. 43: 24. Cant. 5: 2. erat Opus servile, 1. Sam. 25: 41. 3. afflatum Joh. 20: 22. signum communicationis donorum Spir. S., & aliâs Sp. hôcce per halitum oris indigitatô, Jiob. 33: 4. Ps. 33: 6. 4. baptismum ignis seu per ignem, Matth. 3: 11. [ubi Cl. ELSNER annotat etiam Gentiles Baptismum seu lustrationem per ignem tenuisse, & quidem hujus vitæ, quâ vitiorum sordes in anima exurantur] Act. 1: 5. factus in Apostolis Festô Pentecostes Hierosolymis; 5. impositionem manuum ab Apostolis factam tùm in recèns conversos, ut baptismi per ignem seu donorum Spir. extraord. participes fierent, Actor. 8: 16. 19. 19: 5. 6. inter doctrinæ Christianæ initia positam Heb. 6: 2. tùm & Ecclesiæ Ministris manus imponebantur, ad eos Muneri inaugurandos; 6. unctionem oleô Jac. 5: 14. ad inconsuetos præcipuè morbos, ac infictos ob Sacra negligenter tractata [conf. 1. Cor. 11: 29 —— 32.] tali unctione jam ante discipulis Christi in usu, Marc. 6: 13.

Sch. 2. Non possunt non ideò Protestantes rejicere 5. reliqua ab Ecclesia Rom. recepta Sacramenta, nempe 1. Confirmationem; 2. Pœnitentiam; 3. Ordinationem; 4. Matrimonium; 5. extremam Unctionem: cùm pro Sacramentis nec in Verbo Dei venditentur, nec etiam requisitis Sacramentorum (§. 1240.) gaudeant; quædam nonnisi sint ritus in Ecclesia recepti, uti Ordinatio, extrema Unctio; quædam nonnisi appendices Sacramenti, uti confirmatio; quædam suâ naturâ Sacramentum esse nequeant, uti Matrimonium. Ut specialiùs autem spurietas cujuslibet horum Sacramentorum pateat, notandum

1. quoad

1. quoad Confirmationem [quâ homo baptizatus, chrismate ex oleo & balsamo confectô, ab Episcopo in fronte ad formam crucis inungitur, additis verbis: *Signo te signô crucis, & confirmo te chrismate salutis, in Nomine Patris, Filii & Spirit. S.*] quòd Scriptura S. nullum ejus nec exemplum, minùs præceptum suppeditet; confugiunt Pontificii ad loca, ubi mentio impositionis manuum, Act. 8: 17. 19: 6. Heb. 6: 2. ad quid hoc ad chrismationem? cùm in impositione manuum ab Apostolis facta nec chrismatio obtinuerint, nec in chrismatione impositio manuum obtineat, vid., qui eruditè ac fortiter hæc contra Pontific. stringit, JOH. DALLÆUS *de duobus Latin. ex unctione Sacrament.*, & quidem *de confirmat. Lib.* 1. *Cap.* 5. 6. porrò impositio illa manuum Christi Apostolorumque erat comitata singulari miraculosâ virtute, ut idem V. D. prolixè *Cap.* 9. 10. sed num & hodiedum eadem adhùc virtus in Ecclesia residua est? æque frivolum est, unctionem illam probare velle ex 2. Cor. 1: 21. 1. Joh. 2: 27. cùm hîc de longè alia unctione, nempe Spir. S., sermo sit, hinc non de Sacramento, nec etiam ea ût universalis repræsentetur, vid. Vir laud. *Cap.* 7. qui idem dein *Lib.* 2. traditionem seu praxin Ecclesiæ excutit, ostenditque *Cap.* 2. Christianos Scriptores nullam planè facere mentionem, quòd talis baptizatorum chrismatio ab Apostolis tradita vel usurpata fuerit, JUSTINUM etiam *Apolog.* baptismi ceremonias recensentem nullas tamen tales memorare. Fuisse autem unctionem manuumque impositionem ceremonias baptismi, introductas post annum 160., ac usurpatas, & quidem è Vet. Test. ritibus &c. *Cap.* 3. è Tertulliano illud ostendit, simùl loca hujus Pontificiis tamen non favere, *Cap.* 4. 5. pariter adducit Scriptores eccles. græc. Secul. 4. 5ti, 6. 8vi, eorumque loca vindicat *Cap.* 11--18. Præterea eruditè notat *Lib.* 3. *Cap.* 11. *confirmationis* vocem etiam de aliis ritibus à Scriptoribus eccles. adhiberi, inter alia de eucharistia, sic & dixisse: baptismum confirmari manuum impositione, ut frustrâ confirmationis peculiare Sacramentum apud eos quæratur, cùm è contrà indigitent Sacramenti [Baptismi] confirmationem, uti & perfici quid dicitur; inde & Secul. nonô con-

firmationem pro baptismi ceremonia habitam esse *Cap.* 13. consequenter pro appendice solùm Sacramenti.

Addendum, quòd Æthiopibus, paternorum rituum tenacissimis, Armeniis, Orientalibusque, confirmationis Sacramentum sit ignotum; argumentò, traditum iis non fuisse, quum Christianismus apud illos plantabatur, hinc nec in Ecclesia antiqua obtinuisse, id. *Lib.* 1. *Cap.* 2. 2. Quoad Pœnitentiam, hancce pro vero ac propriè tali Sacramento Nov. Testam. haberi nullâtenus posse, natura ejus (§. 1059--1061. & ubique sch.) satis superque docet: ubi enim hîc adspectabile elementum? & si Sacramentum esse debet, cur non jam in Vet. Testam. pro tali agnitum? cùm par ejus jam tùm necessitas, nec minùs fortiter inculcata fuerit. Pœnitentia est ipsa conditio fœderis gratiæ (sch. 1. §. 993.), neutiquam proin repræsentamen beneficiorum ejus; & si ritus quidam externi pœnitentiæ additi sunt à Pontificiis (sch. 2. §. 1144. & sch. 2. §. 1184.), aut non fundamentum habent in Scriptura, aut si habent, minimè pro Sacramento injunguntur, vid. (ib.).

3. Ordinatio ad munus Doctoris &c. per impositionem manuum quòd pro Sacramento venditari prorsus non possit, satis probatur: quia ritus manus imponendi [quo de in genere vid. DALLÆUS *de confirmat. Lib.* 1. *Cap.* 11. & præcipuè VITRINGA *de Synagog. Vet. Lib.* 3. P. 1. *Cap.* 15.] etsi jam in Vet. Testam. insignis, ubi vel Munus conferendum Num. 27: 18. 23. Deut. 34: 9. vel aliâs fausta apprecanda Gen. 48: 14. item in Nov. Testam. Act. 6: 6. 13: 3. 1. Tim. 4: 14. [allusione ad Judæorum סמיכת זקנים notante SCHOETGENIO in h. l. conf. VITRINGA *Lib.* 2. *Cap.* 12. p. 596. 597.] 5: 22. tamen nullâtens pro Sacramento injunctum fuit. Præterea temporibus Apostolorum comitatus erat effectu miraculosò, hodiedum neutiquàm obtinendò: character enim *indelebilis* ipsis tantopere jactatus est character non legibilis; recurrunt hîc, quæ quoad baptismum dicta (sch. 1. §. 1266.), & conf. ib. laud. BINGHAMUS *Hist. scholast.* &c. ubi §. 2. eadem quoad Ordinationis characterem indelebilem pronunciat, imo quoad hunc longiùs adhùc quàm quoad illum

illum baptismi Pontificios videri à doctrina Veterum recedere : cùm velint esse potestatem authoritatemque spiritualem perpetuam, animæ Sacerdotis impressam, quam nulla muneris ademtio auferre possit, ib. *P.* 2. *Cap.* 6. §. 5. Addendum, quòd, si effectus ordinarius intelligendus, tùm quilibet actus devotionis, aut Cultûs externi ceremonia, præsertim solemnis, si suscipiens rectè se habeat, in animo effectum edat ac impressionem efficiat (per princ. psych.) ; conf. de charactere illo etiam Cel. JCtus BÖHMERUS *Jur. Eccles. Protest. T.* 1. *Lib.* 1. ad *Tit.* 16. nec non de ordinatione & impositione manuum ib. *Tit.* 11. 4. Matrimonium Sacramentis N. T. accenseri [quod factum, ut Clerus omnia matrimonialia ad forum suum pertrahere posset, quo de aliquid PUFENDORF *de Papa*, cum *addendis* C. THOMASII p. 275. 276.] mirum planè est : ut enim nil dicatur, Clericos eô abstinere, ad quos tamen Sacramenta vel præcipuè pertinere censeri debeat &c. quodnam ejus est elementum adspectabile? & quomodo id, quod omnibus gentibus commune, quod ad propagationem generis humani legitimam comparatum ac à Deo jam ab initio Mundi institutum, Gen. 1 : 28. 2 : 22 -- 24. adeòque cum gratia evangelica, & repræsentatione beneficiorum salutis nexum propriè non habet, quomodo id potest esse Sacramentum, & quidem solùm Nov. Testam., cur non jam Sacramentum esse debuisset sub Vet. Test.? PAULUS etiam Eph. 5 : 31. 32. nil minùs indicat quàm Matrimonium esse Sacramentum : μυστήριον enim neutiquam facit Sacramentum, conf. sup. (§. 117. & sch. 2. §. 1231.) ; Apostolusque adhibet solennem Judæis formulam : סוד הגדול *mysterium est magnum* &c. cujusmodi & aliæ in libris eorum mysticis antiquissimis frequentissimæ ; notante eruditiss. SCHOETGENIO in loc. cit. præterea mysterium id intelligit de unione Christum inter ac fideles, ib. v. 25 -- 27. 32. Uti & Veteres Hebræi Matrimonium emblema faciebant conjunctionis Dei Summi cum Synagoga seu populo ; loca adducit laudat. SCHOETGENIUS ibid. Idem dicendum 5. de extrema Pontificiorum Unctione, in eo consistente,

stente, quòd moribundus à Presbytero ungatur oleô [ab Episcopo certo die certâque formulâ confectô] secundum 7. corporis membra, oculos, aures, nares, os, manus, renes & pedes, additis verbis: *Per istam sanctam Unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quicquid deliquisti per visum &c.* Unctio enim illa Marc. 6: 13. Jac. 5: 14. 15. ad corpus pertinebat: cum jungantur dæmonia ejicere, sanare, ungere; porrò erat miraculosa, peculiaris temporibus illis; vid. Vir sæpiùs laud., contra Pontificios incomparabilis, JOH. DALLÆUS *de duobus Latinorum &c.* & quidem *de extrema unctione, Lib.* 1. *Cap.* 3 - - 7. porrò [ut idem notat *Cap.* 9.] Jacobus non solùm moribundis sed in genere ægrotantibus unctionem administrari jussit.

Fuerunt equidem Veteribus unctiones in usu, ubi v. gr., qui ab hæreticis baptizati, ungebantur, porrò unctio Catechumenorum, Presbyterorum, Mortuorum &c. vid. Vir laud. *Lib.* 2. *Cap.* 6. verùm hæc omnia nil ad unctionem *extremam* dictam, seu exeuntium ex hac vita; ut loca Veterum à Pontificiis malè pro hac advocentur, vid. id. *Cap.* 7. seq. siquidem prætereà clarè ostendi possit, illam à Scriptoribus Sec. 7mi, 9ni, 12mi memoratam, adhibitam esse ad morbi dolorumque levamen; ægrotis in genere [nec moribundis aut periculosè ægrotantibus] etiam infantibus administratam; insuper non ungi consuevisse illa corporis membra, verùm partes afflictas, idque à quibusvis fidelibus, & quidem non extremô vitæ articulô, sed ita, ut pòst adhùc eucharistia fuerit porrecta; inde non dicta unctio *extrema*, sed *infirmorum, energumenorum*; vid. *Cap* 18. ubi hæc è prioribus Cap. recolligit; sensim autem, ùt videatur, Secul. 12mô, unctionem hancce commutatam esse in extremam, *Cap.* 20. qua de in monumentis 1mi, 2di, 3tii, 4tique Seculi nil occurrat, (ib. *Lib.* 2. *Cap.* 1.) ecclesiasticis Scriptoribus, ubi debuissent memorare [in descriptionibus exactis de moribus multorum piorum] tamen prorsus silentibus de unctione extrema adhibita. *Cap.* 2. ubi interim silere non potuissent: cùm è contrà memorent sæpè, eucharistiam ab iis esse sumtam, item, exeuntibus è vita sæpiùs vel concessam vel denegatam fuisse, *Cap.* 3. 4. Tandem

idem

idem V. D. ostendit, Ecclesias alias, uti Æthiopicam, non agnoscere extremam unctionem, *Cap.* 5. Græcorum verò ὠγιον ἔλαιον, vel εὐχέλαιον longe differre à Latinorum extrema unctione: cùm illi velint ægrotantibus quibuslibet, quin & sanis concedi, etiam mortuis, quin & erga domum, in qua ægrotus jaceat, fieri, semper ut valetudini restituendæ inserviat, *Cap.* 21.



LOCUS

LOCUS XI.

DE OBJECTO FOEDERIS GRATIÆ, SEU ECCLESIA E JUSQUE DIVERSIS OECONOMIIS.

Ecclesia interna quomodo exoriatur.

1300. QUòd si ij, quibus beneficia fœderis gratiæ (§. 1221.) per Christum parta (§. 937. 955. 1028. coll. 1066.), per Sacramenta repræsentata & confirmata (§. 1239. 1261. 1263. 1287.), etiam actu conveniunt (§. 1131. 1214.), jam junctim considerentur, etsi locorum temporumque intervallis sint sejuncti, appellantur *Ecclesia*, & quidem *interna*.

Sch. 1. Vox ἐκκλησίας Scriptoribus profanis notat Cœtum, concionem populi; ecclesiasticis Cœtum electorum, eandem doctrinam orthodoxam profitentium, Cœtum fidelium in loco quodam &c. etiam locum, in quo conventus habentur &c. vid. SUICERUS *thes. Eccles. tom.* 1. p. 1049--1053.

Sch. 2. Ecclesia dicitur *objectum fœderis gratiæ*, quia ei beneficia hujus fœderis, hinc &, ut in seq. vid., doctrina

ctrina fœderis, conveniunt; licet ob hanc rationem posset etiam dici *subjectum fœderis gratiæ.*

1301. Quodlibet Ecclesiæ hujus individuum appellatur *membrum* Ecclesiæ internæ. *Membrum ejus.*

A corpore humano loquendi ratione desumtâ [cujus partes sunt membra] cui Ecclesia assimilatur Eph. 1: 22. 23. 5: 23. Membrum tale Ecclesiæ internæ ideò est ac appellari potest *vivum.*

1302. *Membra Ecclesiæ internæ* itaque *sunt, qui ab æterno prædestinati in tempore efficaciter vocati ac fideles &c.:* namque cùm ij Ecclesiam eam constituant, quibus beneficia fœderis gratiæ conveniunt (§. 1300.), & verò beneficia hæcce veniant è prædestinatione (§. 437. 1027. 1131.), applicentur per vocationem efficacem (§. 1073. coll. 1129. 1167.), quâ fides producitur, medium participationis de beneficiis illis (§. 1116. seq. 1129.) quæ & ipsa uti quoque vocatio, inter beneficia illa pertinet (§. 998. 1029.), ac quodlibet individuum Ecclesiæ illius sit membrum (§. 1301.), sequitur, membra Ecclesiæ hujus esse prædestinatos, efficaciter vocatos ac fideles &c. *Undenam tale.*

Paulus ideò sæpe fideles [veram fidei doctrinam sivè solùm profitentes, sive & corde tenentes] in cœtibus seu Ecclesiis, ad quas epistolas scripsit, vocat κλητὸς, vid. Rom. 1: 7. 1. Cor. 1: 2. scil. & internè tales quosdam, seu efficaciter; vocat πιστὸς Eph. 1: 1. Col. 1: 2. ἐκλεκτὸς Col. 3: 12. 1. Pet. 1: 1.

1303. Ecclesia interna itaque venit è vocatione interna, seu per hanc constituitur. *Porro.*

1304.

Attributum Ecclesiæ internæ.

1304. *Ecclesia interna est sancta*, adeòque & *membra ipsius*: namque inter beneficia, de quibus participat (§. 1300.), etiam est sanctitas (§. 1199.), & hæc cum fide, quæ requisitum est Ecclesiæ internæ (§. 1302.), est conjuncta (§. 1172. coll. 1173.).

Ipsa quippe beneficia tenens (§. 1300.) doctrinam de iis hinc non solùm ore profitetur, sed & corde tenet, Rom. 10: 9. ut omninò valeat illud Ps. 93: 5. *Sanctitas est ornamentum domûs tuæ*; nec non quod Apostolus Eph. 5: 26. 27. Christum voluisse Ecclesiam sanctificare, exhibere sine miracula, ut esset sancta; unde & aliquando, cœtibus seu Ecclesiis à se plantatis scribens, sanctitatis titulô membra earum insignit, vid. 2. Cor. 1: 1. Phil. 1: 1. Col. 1: 2. Etiam in Symbolo Apostolico Ecclesia *sancta* appellatur; ubi Auctor. *Hist.* &c. cum *Observ. crit.* &c. *Cap.* 6. §. 15. fidei, quàm Ecclesia teneat, puritatem sanctitatemque indicari judicat.

Quomodo se habeat ad Regnum gratiæ.

1305. *Ecclesiæ internæ constitutionem facit Regnum gratiæ*, ut, *ubi Regnum gratiæ, ibi & Ecclesia interna*: Regnum hocce quippe consistit in administratione & collatione beneficiorum fœderis gratiæ (§. 1223.), jam verò Ecclesia interna est, quæ bonis hujus fœderis gaudet (§. 1300.).

Vel & potest dici, quòd è Regno gratiæ Ecclesia oriatur.

Caput ejus quisnam.

1306. *Christus est Caput hujus Ecclesiæ, adeòque membrum ipsius*, 1. Cor. 12: 27. Eph. 1: 22. 5: 30. Col. 1: 17. namque est Rex ac gubernat (§. 971. 978.), [consequenter in Regno gratiæ, conf.] (§. 667. & 978. ac sch. 1.), adeòque Caput, Ecclesia

cleſia autem per Regnum gratiæ conſtituitur (§. 1305.). Porro ille eſt Caput [ſeu phyſicum, ſeu morale] qui facit, ut membra agant, ſeu in ea influit operandi vim, jam verò Chriſtus id facit, externè & internè, per Verbum & Spiritum ſuum membra Eccleſiæ vocando (§. 1008. 1021.), nec non Opus gratiæ in iis continuando (§. 1217. 1218.).

Chriſtus eſt tale Caput quâ θεάνθρωπος influxu phyſicò & morali; hìc nempe conſtituitur per meritum Ipſius, ob quod fidelibus omnia affluunt bona ſpiritualia Eph. 1: 3. 2. Petr. 1: 3. ille verò per operationes gratiæ, quæ in fidelibus efficiuntur per varias illas functiones à Deo conſtitutas 1. Cor. 12: 28. Eph. 4: 11. 12. donorum item genera 1. Cor. 12: 4. ſeq. ac inſtar commiſſurarum & ligamentorum in corpore humano ſunt, Eph. 4: 15. 16. Col. 2: 19. Tale Caput Redemtor jam ab æterno, per pactum cum Patre initum, conſtitutus fuit, vid. (§. 454. & ſch. ib. §. 455. & ſch.).

1307. Sequitur inde, *arctiſſimam eſſe Chriſti cum Eccleſia ſua unionem*: ubi enim Caput ac membra, ibi arctiſſima obtinet unio, in phyſicis præcipuè & quoque moralibus (per princ. phyſiol. & moral.); porro cùm è Fide oriatur arcta credentium cum Chriſto unio (§. 1118.), membra hujus Eccleſiæ autem ſint credentes (§. 1302.), oportet talis inter ea & Chriſtum intercedat unio. *Unio ejus cum membris.*

Vid. 1. Cor. 12: 20. 21. etiam, quæ dicta (ſch. 2. §. 1118.); hùc & pertinet illud Joh. 15: 4. 5. de ramis nonniſi in unione cum viti fructum ferentibus.

Unde unio membrorum.

1308. Ubi unio membrorum cum Capite, ibi & unio eorum inter se: siquidem membra tum omnia eòdem tendent etiam erga se invicem [quod facit unionem] quià per fidem subsunt ejusdem Capitis voluntati, per (§. 1092.), cui conformiter ideò unum versùs bonum alterius tendet, juxta ipsum Illius prætereà exemplum, vid. Joh. 13: 34. 35. Eph. 5: 2. rationes agendi unum ab altero itaque desumet, quod facit unionem (§. 758.), cùm jam talis unio membrorum cum Capite Ecclesiæ obtineat (§. 1307.), sequitur *& membra inter se ad secum invicem habere unionem.*

Nisi talis esset unio, corpori Ecclesia non assimilaretur, 1. Cor. 12: 27. Eph. 1: 22. 23. inter cujus membra unio.

Quomodo hæc dicatur.

1309. Unio hæcce membrorum Ecclesiæ internæ secum invicem dicitur *communio Sanctorum*; itaque *talis communio in Ecclesia obtinet:* quippe non solùm ejusdem Capitis Christi meritorum fructus ad omnia pertinent membra (§. 1126. 1131.), omnes sanctos (ib. §. 1131. & sch. 1. §. 1171. §. 1304.), quod verò ad multos pertinet, est ac dicitur *commune* & participatio de eo *Communio*; sed & hanc erga se invicem exercent: dum, conformiter tendentiæ bonum alterius promovendi (§. 1308.), quod unum membrum habet, non solùm ad se verùm & reliqua pertinere vult, iis succurrendo &c.

Sch. 1. Hùc pertinet 1. Cor. 12: 26. unô membrô vel benè vel malè se habente & reliqua itidem se habere.

Sch. 2. Facimus itaque, uti & *Catech. Heidelb. Quæst.* 55. communionem hanc duplicem: 1. fidelium cum Christo

Christo Capite; 2. ipsorum inter se & cum se invicem. In symbolo Apostol. memoratur itidem communio Sanctorum; ubi Auctor *Hist. symb. cum Observ. &c. Cap. 6. §. 9 - - 22. Sanctorum* appellatione innui judicat segregationem à Mundo per professionem fidei ac baptismum; communione indicari mutuum commercium, societatem, conjunctionem, quæ [à separatis licèt locorum intervallis] agnoscenda ac etiam testata facienda, v. gr. per dictas illas *literas communionis* & aliâs, §. 21. porrò, ut, quod in una Ecclesia ritè factum, etiam à cæteris agnosceretur ut obligandi vim habens, §. 22. Articulum huncce symbolo esse insertum occasione Donatistarum, qui se solam unam, sanctam & catholicam statuebant Ecclesiam, §. 24. dùm communio illa pro signo & charactere indicabatur Ecclesiæ particularis, rectè iustitutæ ac ordinatæ, §. 25. nec, quod in una ritè factum, ab altera, ut Donatistæ faciebant, §. 26. pro invalido prorsùs habeatur.

1310. Ubi talis unio, ac tendentia plurium ad eundem finem, ibi Societas (§. 760.), cujus *Caput* est ac dicitur, qui eam regit, seu res ordinat, ut finis ille obtineatur, vel quodlibet membrum eum promovere studeat; igitur *in Ecclesia interna vel inter membra ejus obtinet Societas, Christusque est Caput hujus Societatis* (§. 1306.). *Resultat inde societas.*

In humanis Caput Societatis per pactum quoddam obligatur ad promovendum Societatis bonum: vid. (*Pol.* §. 230. 433. 438.); Christus obligatur non ab extra, sed seipsum obligat per bonitatem suam ac justitiam (§. 346.), & se obligavit per pactum æternum (§. 455.), bonumque Societatis inde & promovet per regiam suam gubernationem (§. 978.).

1311. Ob eandem tendentiam ad eundem finem communionemque cum Christo (§. 1308. 1309.) unio hinc unitas non tollitur temporum locorumque *Item attributum unitatis.*

intervallis, consequenter *Ecclesia interna semper una manet Societas, etsi credentes locis temporibusque à se invicem sint sejuncti.*

Dico, posse locum habere Unionem, etsi omnino arctior possit esse, si membra temporibus locisque non sint segregata, ratione v. gr. mutuum præstandi auxilium &c.

Quomodo hinc Ecclesia interna definienda.

1312. Ecclesiæ internæ definitio itaque est: quòd sit Societas credentium, quôcunque tempore & locô degentium, per fidem cum Christo Capite ac inter se unitorum.

Sch. 1. Superius nempe (§. 1300.) nondum definitio genuina, verum quædam nonnisi prædicata dari poterant, occasione è præced. suppeditatâ.

Sch. 2. Hæc Societas adeò est Regnum Christi, vid. (sch. §. 972.); de hocce Regno seu Ecclesia Christi ex. gr. Ps. 2: 6. 72: 8. 10. 110: 2. 3. Cum Regnum illud sibi acquisiverit passionibus (§. 972.), ideò & Ecclesiam acquisivit propriô sanguine, Actor. 20: 28.

Est invisibilis.

1313. Quare cùm unio cum Christo per fidem nec non reliqua Ecclesiæ prædicata (§. 1302. seq.) in se oculis non conspiciantur, patet *Ecclesiam internam rectè* etiam *dici ac in se esse invisibilem.*

Aliud nempe est in se esse invisibile, & aliud per criteria externa præsentiam suam manifestare.

De ea non sunt reprobi & hypocritæ.

1314. Sequitur porrò, improbos ac hypocritas eô ipsô Ecclesiæ internæ annumerari non posse, ac ad eam neutiquàm pertinere.

1315. Quòd si autem Ecclesia pro iis sumatur, vel pro cœtu eorum, qui doctrinam Christi summi Doctoris (§. 919.) de Ipso, beneficiis ejus &c. nonnisi externè profitentur, [id est, in quibus hîc saltem nonnisi TÒ exterius spectatur] adeòque sive beneficiorum horum participes sint, sive non, tùm dicitur *externa*, item *visibilis*; quæ igitur in genere est Cœtus eorum, qui de Religione consentiunt. *Ecclesia externa & visibilis.*

Sch. 1. Non est ea distinctio [prouti & benè monet Cl. CANZIUS *disciplin. moral.* §. 2188.] generis in species, verùm ejusdem subjecti in diversos status; nempe in Ecclesia [ut idem V. D. ibid.] potest considerari vel ipsa doctrina seu hujus typus, item homines sociati, qui in illam consentiunt, quæ utique & conspiciuntur & sentiuntur, vel effectus, quem doctrina in quorundam animis producit, pietatem in Deum per Christum &c. ut status duplex exurgat, scil. vel visibilis sit vel invisibilis Ecclesia. Imò propterea, cùm doctrina hujusque professio sæpe possit supprimi metu persecutionum, multitudine eorum, qui oppositam profitentur, & ipsa Ecclesia, quæ aliàs visibilis est ac audit, potest inconspicua fieri, ùt id tempore Eliæ contigit 1. Reg. 19: 14. licèt eô ipsô, dùm nonnisi externa professio suffocatur, tamen intùs semper à plurimis adhùc vera teneatur doctrina, hinc Ecclesia non periisse, sed in occulto supereſſe dicenda sit, vid. ib. v. 18. & Rom. 11: 4. uti & in Seculis illis Tyrannidis papalis fuit. Quod Pontificios ferit, qui Ecclesiam semper volunt esse conspicuam: [cùm id è notis veræ Ecclesiæ, quas designant, & de quibus pòst, sequatur] ut nimirum possint evincere, quoniam ante Lutherum visa non fuerit, etiam reverâ nullam fuisse: cùm tamen quôvis Seculô adhùc Veritatis testes ostendi possint, quo de FLACCUS ILLYRICUS *in Catalogo &c.*

Sch. 2. Membrum Ecclesiæ igitur externæ quid dicatur, jam satis patet ex (§. 1301.). Liquet verò membra hujus Ecclesiæ [si ùt purè externa spectetur]

cognitione gaudere nonnisi mortuâ [de qua] (*Mor.* §. 169.) otiosâ, inefficaci, doctrinæ Christi, uti è contrà membra Ecclesiæ internæ (§. 1301.) cognitione viva, efficaci; ipsa ideò & Ecclesiæ talis externæ membra *mortua* dicenda; pertinentque ad eam hypocritæ etiam ac reprobi; ut hac ratione Ecclesia assimilari possit agro, in quo multa zizania, Matth. 13; 24. 25. seq. reti, in quo & putridi pisces v. 47. 48.

Christiana dicitur. 1316. Ecclesia hæc itaque, quia per doctrinæ Christi professionem constituitur (§. 1315.), inde audit, ac rectè, *Christiana*; quæ hinc est Cœtus eorum, qui de Religione Christiana consentiunt.

Communiter, ubi Ecclesia Christiana dicitur, vel de ea sermo est, intelligitur externa ac visibilis.

Christiana audit & ideò, quia Christus fundator ejus fuit, dum doctrinam revelavit, annuntiavit [quo de & infrà] etiam miraculis munivit, vid. (§. 911. seq. 919.); non fuit Apostolorum doctrina 1. Cor. 11: 22. 1. Thess. 2: 13. qui hinc nec Ecclesiam à se denominari voluêre, 1. Cor. 3: 3--5.

Undenam exurgat. 1317. Ecclesia externa adeò oritur seu constituitur per vocationem externam (§. 1010.).

Uti & ad Ecclesiam internam vocatio externa requiritur; siquidem hæc vocationem internam semper ordinariè præcedit (§. 1008. 1010. 1017. seq.).

Veritas aut falsitas ejus. 1318. Cùm jam doctrina possit esse ac sit vel vera vel falsa, hinc & Ecclesia est ac dicitur aut *vera* aut *falsa*.

Sch. 1. Hæc distinctio adeò non tangit veritatem membrorum Ecclesiæ, seu, num intùs id sint, quod extùs profitentur, ac præ se ferunt, sed veritatem doctrinæ, quam profitentur.

Sch. 2. Ecclesia dicitur ac debet esse superstructa fundamento Apostolorum Prophetarumque, Eph. 2: 20. id est, horum doctrinam, consequenter veram, tenere.

1319.

1319. Cùm verò Deus ac Christus præter doctrinam etiam tradiderint Ecclesiæ ac injunxerint signa beneficiorum fœderis gratiæ (§. 1250. coll. 1261. 1267. coll. 1286.), quæ ad Cultum pertinent Divinum (§. 1232. 1287.), & is aliâs in genere Deo exhibendus requiritur ac præsupponitur (§. 53.), *ad veram Ecclesiam præter veritatem doctrinæ etiam vera Deum uti in genere ita præcipuè per Sacramenta colendi ratio, seu recta horum administratio requiritur.* *Quandonam sit vera.*

Sch. 1. Quippe cognitio est propter Cultum: ùt satis intelligitur è (§. 53. 1092.), & utrumque cùm cuilibet incumbat homini (per eundem §. 53.), non potest non pensum esse Ecclesiæ unicum.

Sch. 2. Veritas doctrinæ uti omnino habet criterion, è quo ceu lapide lydio dignoscitur, tamen interim diversi diversam concipiunt; unde & vera Ecclesia cuique est illa, quæ doctrinam tenet concordantem cum ea, quam ipse pro vera habet, vid. (sch. §. 156.).

1320. *Notæ hæ duæ ad veram agnoscendam Ecclesiam sunt sufficientes, ut nullæ aliæ requirantur:* namque à Deo per Religionem homini injungitur nonnisi aut vera cognitio [hinc doctrina] aut Cultus Ei debitus (prol. §. 4. 19.), & ad hunc pertinent Sacramenta (§. 1232.). *Notæ veritatis Ecclesiæ.*

Aliæ nempe Cultûs partes pleræque jam per naturam cognoscuntur, vid. (*Mor.* §. 756 —— 766.).

1321. Malè proinde Pontificii veritatem doctrinæ è Scriptura agnoscendam non ponunt pro Ecclesiæ veræ Nota, è contrà plures alias ejus notas suggerunt, quæ aut spuriæ sunt, uti v. gr. nomen, felicitas externa &c. aut Ecclesiæ suæ non con- *Alia male ponuntur.*

veniunt, uti sunt antiquitas, concordia cum doctrina Ecclesiæ antiquæ, miracula, sanctitas doctrinæ &c.

Sch. 1. Ponunt nimirum 15. Notas: nempe præter memoratas, adhùc: ipsum Ecclesiæ & Christianorum nomen, durationem item nunquam interruptam, amplitudinem sive multitudinem credentium porrò: successionem Episcoporum inde ab Apostolis usque ad nos, unionem membrorum cum Capite & secum, efficaciam doctrinæ, ulteriùs; vitæ sanctimoniam eorum, qui Auctores Religionis, lumen Propheticum, confessionem adversariorum, felicitatem temporalem, & tandem: infelicem exitum hostium Ecclesiæ; vid. BELLARMINUS *disput. de controv.*, & quidem de *Conciliis & Ecclesia*, *Lib.* 4. qui etiam in anteced. *Cap.* 3. notat, Veterum ac recentiorum alios 3., alios 6. Ecclesiæ Notas assignasse, item 15. illas aliquò modò revocari posse ad 4., quæ à quibusdam è Symbolo Constantinopolitano assignentur, quòd scil. Ecclesia sit una, sancta, catholica & Apostolica. Quare autem veritatem doctrinæ è Scriptura &c. non assignent pro Nota, satis intelligitur è dictis (§. 132. & sch. 1. ib.); inservirent hùc, quæ fortis Pontificiorum impugnator MOLINÆUS suppeditat *de Novitate Papismi*, *Lib.* 1. *Cap.* 26. 28. Etiam quæri posset à Pontific., quare non & Sacramenta pro Ecclesiæ Nota ponant: cum Sacramentis apud ipsos nil sit augustius &c.

Sch. 2. Notandum verò, quòd Notæ, è quibus vera Ecclesia dignoscenda, debeant ei propriæ esse, ei soli & semper convenire, sensibiles esse, etiam [ut per se clarum] notiones Ecclesia. Jam quod ad quasdam notarum illarum, patet, quòd v. gr. perpetuitas non possit pro nota assumi: siquidem num semper Ecclesia duratura sit, non potest sciri ante finem Mundi; perpetuitas verò quoad præteritum si intelligatur, ea magis convenit Gentilismo ac Judaismo; quin Ecclesia Græca ac Syriaca ante Romanam subsistere inceperunt; præterquàm quòd hæc nimis liberè ab aliis postulat, ut perpetuitatem quod præteritum monstrent: cùm ipsa ostendere nunquam valeat, fidem Cultumque, qualem tenet, primis quatuor

tuor Seculis obtinuisse; uti hæc idem MOLINÆUS l. cit. *Cap.* 39. Qui porrò (*Cap.* 45.) benè monet, Ecclesiam Rom. antiquitatem prætendere, & tamen non permittere, ut dispiciatur, num doctrina ipsius conformis sit genuinæ antiquitati, Scripturæ & ævo Apostolico; jactare se antiquam, cùm interim quòvis Seculo novi quid assumserit; ut comparari possit cum ædificio, in quo semper reparatur, ut tandem nesciatur, quodnam sit antiquum ac originarium ædificium. Quò ipsò delabimur ad notam concordiæ cum Ecclesia antiqua; circa quam in confesso est v. gr. quoad Conciliorum Veterum Oecumenicorum aliorumque canones, eos maximam partem ab Ecclesia Rom. abrogatos esse, monente Cel. PFAFFIÒ *Diss. de succes. Episc.* p. 7. ubi & porro ita » provocamus ad inspectionem, provocamus ad inductionem, provocamus ad Codicem Canonum Ecclesiæ » universalis & Rom. —— ita in Ecclesia antiquiore » disciplina arcani, distinctio cœtus ecclesiastici in » fideles, catechumenos & pœnitentes, oblatio primitiarum & donorum laica, electio Episcoporum à » Clero & plebe facienda, aliaque plurima ubique » olim obtinuêre, quarum rerum hodiè nec vola nec » vestigium amplius in Eccles. Rom. reperitur &c. » Quid, quòd constitutiones, quæ sine dubio Apostolicæ sunt, ut illa est de sanguine & suffocato —— » de constitutione Diaconorum & Diaconissarum, nulibi amplius observantur??

Sch. 3. Quod attinet ad alias Notas, v. gr. multitudinem seu magnum numerum, talem pro veræ Ecclesiæ nota assignari non posse mox patet perpendenti, Gentilissimum semper prævaluisse veræ Religioni & hodiedum Muhammedanismum; familia Abrahami quamnam olim habebat rationem ad tòt alias, & populus Israël ad Persarum, Assyriorum &c. populos?

Ineptè allegantur loca de vocatione gentium aut propagatione veræ Religionis per totum terrarum orbem, v. gr. Es. 54: 1. *Liberi desertæ plures &c.* Actor. 1: 8. *Testes mei eritis usque ad &c.*

Miracula inter notas veræ Ecclesiæ locum habere nequeunt: eò quòd nonnisi olim, ubi Ecclesia erat plantanda, necessaria fuerint, per (§. 110.), ea verò, quæ Rom. Ecclesia jactat, prudentiores pro genuinis

admittere non possint: fraude siquidem sæpius detectâ; & quare non miracula patrat omni exceptione majora, uti mortuum resuscitare? vid., qui hæc suppeditat, MOLINÆUS *Lib.* cit. *Cap.* 40-42. etiam quoad miracula quædam THOMASIUS in *animadv. ad Pufendorf. de Papa*, p. 230., 308. seq.

Sch. 4. Nonnisi adhùc quoad successionem Episcopalem, seu Ministerii ecclesiastici canonicam, juvat quædam dicere; nimirùm cum Ecclesia sine Doctoribus ac Episcopis non consistat, ii autem demùm verè tales sint, queis honor hîc ab illis, qui eum conferendi potestatem habent, collatus fuit, consequenter ij solùm essent veri Episcopi, qui ordinationis suæ successionem ab ipsis Apostolis continuâ serie probare possent, qui & juxta Ecclesiæ universalis canones ordinati; Ecclesia jam Romana tali successione ac ordinatione canonicâ se gaudere jactet, è contrà Protestantes carere (siquidem hi vel à Presbyteris vel Laicis, penes quos ordinare haud steterit, ordinationis ministerialis originem repetunt) ideò & se solam veram esse Ecclesiam, Protestantium autem spurias firmiter contendit; cùm jam olim Patres ad successionem istam canonicam adversùs hæreticos provocaverint; vid., qui hanc in rem, ut Pontificiis obviam iret, eruditam conscripsit *Diss. polem. de succes. Episcopali* Rev. PFAFFIUS *art.* 1. 2. Ibi hinc monet, successionem esse vel *doctrinalem*, vel *personalem*, vel *localem*; personalem (eandemque canonicam, cùm, quæ non canonica sit, non curetur) spectare vel electionem vel ordinationem, *art.* 4. convenire inter utramque Partem successionem localem planè nil probare, nec successionem personalem sine doctrinali aliquid efficere, è contrà hâc etiam absque illa probari veritatem Ecclesiæ, *art.* 5. Successionem jam personalem canonicam tàm quoad electiones quam ordinationes totô Christianô Orbe defecisse: siquidem in omnibus Patriarchatibus intrusi sint Simoniaci, Schismatici, Hæretici; quod & in Ecclesia Roman. evenerit, schismatibus eam turbantibus, & aliquando tribus simùl Pontificatum habentibus, qui omnes ordinaverint, *art.* 6. 7. præterea successionem illam destrui sententiâ, quâ teneatur, Sacramentum, quod cum intentione positivè contraria conferatur, nullum esse,

esse, *art.* 9. item meliori jure competere Ecclesiæ græcæ, & magis adhùc Anglicanæ : cùm hæc, si personalis daretur, etiam doctrinalem haberet ; licèt Archi-Episcopus Tillotsonus, quià nunquam baptizatus feratur, ordinare non potuerit, ad *art.* 8.

Tandem Romanenses πρῶτα ψευδη committere, quòd teneant 1. ordinationem ita necessariò requiri, ut sine ea successio sibi non constet ; 2. Potestatem ordinandi solis competere Episcopis : cùm manus Christus Apostolis non imposuerit, & impositio manuum primis Ecclesiæ temporibus non ubique nec semper à Clericis adhibita fuerit, etiam præeminentia Episcoporum non nitatur jure Divinò, verùm nonnisi in traditionem & consuetudinem Ecclesiæ universalem res hæc abierit ; cujusmodi verò traditiones rituales ab Ecclesiis pro rerum circumstantiis inflecti ac mutari possint, uti ipsa Rom. Ecclesia facere non dubitet, *art.* 10. Præcipuum, quod in Nov. Testam. [ubi Ministerium non sit *successivum* uti in Vet. Test. genealogiis accurate arcessendis, verùm *electivum*, quod & PAJON notat P. 3. p. 162 - - 164.] veritatem Ecclesiæ dignitatemque vendicet, esse successionem ac præstantiam doctrinæ Cultûsque, ubertatem fidei, largam Spir. S. mensuram, *art.* 11. Hisce, quæ Vener. Cancellarius suppeditat, jungantur, quæ ad hanc materiam pertinentia monet PAJONUS *examen du Livre des préjug. &c. Part.* 3. *Cap.* 6. ubi retundit accusationem Pontificiorum, quòd Protestantes ut Conductores secuti sint falsos Doctores, utpotè ordinatos ab hominibus hæreticis ; quæ ex dictis facilè dispungi possunt ; quoad successionem autem veram Ecclesiæ conf. idem V. D. l. cit. p. 177. seq. qui & ad Pontificiorum objectamenta, quæ movent contra legitimam Ministrorum Protestantium vocationem [eò quòd à Societate Laicorum ut plurimum vocati sint, unde ordinatio illorum nulla] perbenè ac sufficienter respondet : scil. ubi necessitas obstringat Pastores constituere, eò quòd Ecclesia sine iis conservari ac ædificari non possit, tùnc talem ordinationem, ubi non sint Episcopi, id est, Episcopis deficientibus, licitam justamque esse : siquidem Christus semper velit esse Ecclesiam : porrò voluerit, ut, qui ordinant, nomine Ecclesiæ id agant [uti & Apostoli egêre, vid. Actor.

1:23. 6:3. 13:3.4. 14:23.] huic ideò competere voluisse constitutionem ordinationemve Ministrorum, ac esse Depositariam Auctoritatis ministerialis, exercitiique hujus; ulteriùs: quòd ij, qui cognitionem salutis vivam acquisiverint, salutem reportaturi sint, sive à legitimè ordinato Ministro sivè illegitimè tali instructi fuerint; *Cap.* 10. vid. etiam *Cap.* 11. ubi evincit, Ministerium Protestantium non esse usurpatum.

Articuli, quorum veritas requiritur.

1322. *Debet* autem *vera teneri doctrina in iis veritatibus, quarum cognitio ad fidem requiritur* (§. 1079. & sch. 1. 2.) [& quæ dicuntur *articuli fundamentales*] namque scopus Verbi Divini adeòque doctrinarum ejus est, ut homo ad cognitionem Dei ac Servatoris, hinc fidem sanctitatemque, perducatur, vid. (§. 106. 109. 115. 1077. 1078. 1171.): quippe sine his gloria Dei ac salus æterna sibi non constant; hinc idem debet esse scopus Ecclesiæ externæ, seu in iis, quæ profitetur.

Veritates quædam dicuntur *fundamentales*, locutione ab ædificio desumtâ, cui Opus salutis & veritates in eo occurrentes comparantur, Matth. 7:24. seq. Eph. 2:20. seq. 1. Pet. 2:4--7. dum veritates hæ veluti partes sunt ædificii illius. In ædificio jam ante omnia oportet sit fundamentum, quod reliquas sustineat partes: dum sine ejus firmitate cætera omnia corruerent; ut illud prius reliquis omnibus debeat esse & naturâ & tempore. Porro quædam ædificii partes cum fundamento adeò arctè ac immediatè cohærent, seu ei sunt superstructæ, ut divelli aut quassari nequeant, nisi fundamentum ipsum conquassetur; quæ adeò partes sunt maximè essentiales, ac *fundamentalia* dicenda. Aliæ dein cum his immediatè cohærent ac superstructæ sunt, cum fundamento verò nonnisi mediatè cohærent; adeò ut, etsi convellerentur, fundamentum tamen non conquassaretur; interim ad ædificium seu habitationem necessariæ

sariæ ac essentiales sunt, & dicenda *ad fundamentalia pertinentia*. Tandem quædam partes nonnisi ad Ornatum ædificii, non autem ad necessitatem, pertinent; ut demi possint salvô non solùm fundamentô, sed & ædificii scopô, seu habitatione. Jam ita & in doctrina salutis comparatum esse, ex seq. videbitur, ut scil. sit fundamentum &c.

1323. Articuli fundamentales præsupponunt *fundamentum*, quod *est Christus*: namque illud non potest non esse fundamentum, per quod salus, felicitas, summus respectu hominis finis, obtinetur ac impetrabatur; dicitur autem Christus fundamentum *reale*. *Quodnam supponat fundamentum.*

Sch. 1. Nemo hac de re dubitabit, nisi in Socin. castris militet; innititur autem huius propositionis probatio toti Loco VIII. ùt & doctrinæ de justitia vindicativa (§. 315. seq.).

Sch. 2. PAULUS apertè dicit, Christum esse fundamentum 1. Cor. 3: 11. hùc quoque facit, quod PETRUS dicit Act. 4: 12. nullum aliud nomen homini datum esse, per quod salvari possit; ὄνομα nempe Scriptoribus S. etiam personam notat; vid. ib. 1: 15. Apoc. 3: 4. notante & SUICERÔ *thes. eccles. Tom.* 2. p. m. 492.

Sch. 3. Dicitur Christus *fundamentum reale*, quâtenus ipsa Ejus Persona adeòque Ipse subjectivè spectatur, contra-distinctè ad doctrinam de Ipso, seu objectivè Illum spectatum.

1324. *Fundamentum dogmaticum* est ac dicitur, quod Christum præstitisse cognoscitur, quâtenus salutis Auctor fuit, seu à pœna per passiones hominem liberavit, è contrà per Legis servationem jus vitæ æternæ comparavit. *Fundamentum id objectivè spectatum.*

Fundamentum dogmaticum adeò ferè non est nisi fundamentum reale objectivè spectatum, & hoc potest dici adhùc dogmatici ipsius esse fundamentum; hùc ferè

ferè ideò redit dogmaticum : Jesum esse verum Salvatorem, adeòque quod habetur Locô VIII.

Consectarium. 1325. *Fundamentum salutis* itaque *idem est, quo fundamentum ac finis fœderis gratiæ:* vid. (§. 1000. 1003.).

Equidem fundamentum fœderis gratiæ insuper constituitur electio æterna (§. 999.), verùm cùm hæc non fuerit nisi applicatio fœderis gratiæ anteà decreta, inde nullam in re ipsa diversitatem ponit.

Veritates fundamentô innixæ. 1326. *Veritates* seu *articuli fundamentales* sunt ac dicuntur illæ, quæ fundamentô reali ac dogmaticô vel immediatè vel mediantibus solùm hisce primis innituntur, ac per illud utrumque determinantur.

Sch. 1. Disputatur nempe, quænam veritates sint fundamentales, & quomodo dignoscantur : dùm quidam id, quod ῥητῶς in Scriptura contineatur, nonnisi pro tali habere vellent ; alii solùm illud, cui necessitatis nota in Scriptura addatur ; porrò alii, quod in Symbolo Apost. contineatur ; iterùm alii, si cognitio ejus captui omnium sit accommodata. Verùm tutissima est methodus [quam & BUDDEUS sequitur, *Theol. dogm.* p. 44. seq.] ut fundamentum ac finis ejus probè considerentur, tùm dispiciatur, quid propriùs aut minùs propè cum eo cohæreat, per considerationem utriusque.

Sch. 2. Dicuntur Veritates illæ etiam articuli *creditu necessarii* ; utrique fundamento non possunt non inniti, quia unum ab altero in se non differt, non aliter nisi vel subjectivè vel objectivè spectatum (sch. §. 1324.).

Tales dantur. 1327. *Dantur* adeò *veritates fundamentales :* dantur enim veritates multæ quoad hominis redemtionem, uti satis indicant (vel Loc. III. VII. VIII. IX.) ; jàm cùm

cùm etiam sit fundamentum (§. 1323. 1324.) quædam veritates non possunt non vel immediatè vel mediatè cum eo cohærere (per princ. omnis Log. ac Metaph.).

Sch. 1. Quòd tales dentur, jam equidem præsuppositum fuit (§. 1322.), hìc autem expresè ostendendum: cùm, si nullæ darentur, dissensus omnis etiam quoad primaria ac momentosissima fidei Capita tolerandus esset, ac nullus posset argui erroris Fidem subvertentis.

Sch. 2. Scriptura ideò memorat τὸν τῆς ἀρχῆς τῦ Χριςῦ λόγον Hebr. 6: 1. τὰ ςοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τῦ Θεῦ, 5: 12. ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων 2. Tim. 1: 13. loquitur de iis, quæ fundamento inædificantur 1. Cor. 3: 10-12. etiàm veritatem fundamentalem seu articulum creditu necessarium aliquando indicat, dum necessitatis notam addit, v. gr. quòd vita æterna aliàs non obtineatur &c. vid. ex. gr. Joh. 3: 36. 17: 3. conf. TURRETINUS *de art. fundam.* p. m. 16. 17.

Patres Ecclesiæ eâpropter & agnoscebant veritates fundamentales, quas appellabant τὰ πρῶτα, τὰ ςοιχεῖα, τὰ ἀναγκαῖα; formulæ inde ortum habebant, continentes tales veritates à Catechumenis profitendas, quæ formulæ dicebantur *Symbola*, *Confessiones fidei*, item pòst *Cathecheses*; vid. id. V. D. *Cap.* 2. p. 8. 9. Judæi ipsi quoque ejusmodi articulos non abnuunt, eos appellantes v. gr. עמודים *columnas*, עקרים *radices*, יסודות *fundamenta &c.*

Sch. 3. Notandum adhùc, si quis velit inter veritates fundamentales ipsum ponere fundamentum dogmaticum, seu quod Christus in Mundum venerit, per passiones ac Legis servationem seu satisfactionem salutem comparaverit, id ipsi licere: dùm non in re ipsa sed in nomine solùm differentiam assignabit, *fundamentale* appellando, quod alii *fundamentum* dicunt; interim præstat res suis accuratè distinguere nominibus.

1328. Articuli fundamentales vel immediatè vel mediatè per fundamentum determinatur (§. 1326.) innituntur; illæ dicuntur *primi*

tates fundamentales, hæ *secundi ordinis*, quæ & dici possunt *ad fundamentalia pertinentes*, uti tunc illæ [primi ordinis] *fundamentales* κατ' ἐξοχήν.

Distinctio hæcce ideò solida omninò est: cùm aliquid vel proximè vel solùm propè cum altero cohærere possit. Quòd si autem quis dixerit, stante distinctione eâ unam solùm posse esse veritatem primi ordinis: siquidem nonnisi una certâ [ut ita dicam] distantiâ possit à fundamento esse remota, nec alia æquali distantiâ; tunc respondetur: si veritas talis sumatur complexè [plures complectens interim & in plures, non aliter ac in analysi notionum (*Log. Cap.* 1. §. 17.) resolvenda]: tum veritatem fundamentalem primi ordinis manere unam, quæ & unicâ propositione complexâ enunciari potest, [uti in Logicis ejusmodi judicia dantur] (*Log. Cap.* 3. §. 2.) ac posset esse: Christum Filium Dei justitiæ Divinæ satisfecisse, ad nos impotentes è miseria liberandos, sibique redimendos in populum studiosum bonorum operum &c. quæ verò resolvi posset in plures, v. gr. quòd Deus sit justus, quòd ideò postulaverit satisfactionem [cùm lex Ejus sit immutabilis] & quidem æquivalentem, quòd Christus fuerit æternus Dei Filius, qui tale pretium solvere potuerit, quòd homo sit miser: siquidem tali Liberatore opùs habeat &c.

Quanam sint primaria. 1329. *Veritates primi ordinis sunt illæ, quæ ad veram fidem cognoscendæ requiruntur:* nàm cùm fides ad Christum confugiat, salutem in Eo quærens (§. 1071. 1074.), nec aliter ad Eum confugere possit nisi ùt ad redimentem à peccatis in populum peculii (§. 949. 971. 1103. 1105.), hæc autem sint, quæ Christus ùt persona peregit [quo de] (Locò VIII.), adeòque ût fundamentum dogmaticum (§. 1324.), quod illas veritates, quæ enunciant, quibus quid comparaverit, & quem in finem quid præstiterit, ùt

ût proximè sibi innitentes continet, hæ ideò primi ordinis sunt (§. 1328.); at eædem & ad fidem requiruntur (§. 1079.).

Sch. 1. Veritates hæ etiam propterea primi ordinis esse debent, quià involvunt duplicem illum finem summum [quem ideò Christus non potuit non intendere: nempe respectu hominis, ejus salutem, respectu Dei autem Ejus gloriam. Sunt è Theologis [inter quos & Cel. BUDDEUS, quem in hisce ferè sequimur, & qui de hacce materia *Theol. dogm. Lib.* 1. *Cap.* 1. §. 29 -- 35.] qui veritates hasce, quas Vir D. *primarias* appellat, ita distinguunt, ut quarundam res significata ad ipsam fundamenti realis constitutionem pertineat; aliæ autem tàm arctè cum fundamento connexæ sint, ut ab eo separari nequeant, vid. §. 33. & ad eum. Inter priores ponitur articulus de Christo θεάνθρώπω (§. 880. seq.): cùm enim Christus sit fundamentum (§. 1323. 1324.), ac salutem homini impetraverit (§. 937. 955.), ideò noscere interest, quænam sit persona; quosnam per qualitates Personæ suæ fructus & quomodo comparaverit; inter posteriores proximè pertinet pluralitas personarum in Essentia Divina (§. 336. seq.): quippe hæc è persona Christi θεάνθρώπε primo sequitur (§. 860.); porro doctrina de peccato seu miseria hominis, adeòque ferè, quæ habentur (Locô VII.): cùm ob eam Redemtore opùs fuerit (§. 842. seq.); hinc & justitia Dei punitiva: quià hæc Redemtoris satisfactionem postulavit, vid. (§. 847. 856.) [uti hæcce etiam jam involutè indigitata] (sch. §. 1328.); inde ulteriùs ipsa fidei & hinc fluentis imputationis meriti Christi seu justificationis natura eò ponenda: cùm sine ea, quod Christus impetravit, in bonum cedere nequeat; eâpropter & sanctitatis agnitio, nec non Sacramentorum natura, ût institutorum Christi ipsius, ob benefacta hujus obligationem ingerentium.

Sch. 2. Notandum autem, ubi de veritatibus fidei atque vera Ecclesia agitur, eos articulos fundamentales innui, qui ex Revelatione cognoscuntur, adeòque puros, non mixtos (§. 188.): hi enim, utpote veritates universales, ac per Rationem innotescentes, jam præsupponuntur ante illos puros [qui innituntur

factis illis, queis Religio Christiana innititur] (prol. sch. §. 3.). Ita Religiones omnes præsupponunt existentiam Dei omnipotentis &c. hic articulus adeò est ominum fundamentalium πρώτιστον [ut ita dicam] fundamentum! quô ipsô includitur doctrina de præcipuis Ejus perfectionibus. Sic porro Religio omnis [hinc & naturalis] (prol. §. 20.) edocet præmia pœnasque post hanc vitam (§. 87. 98.), unde hi duo articuli etiam à PAULO propositi Heb. 11: 6. à quo articulo præsupponitur ille de animæ immortalitate, per Rationem cognoscenda (§. 88. & sch. 2.). Idem & de Scriptura valet, seu quòd hæc sit Revelatio Divina: cùm & fundamentum & omne fundamentale ex ea hauriatur, adeòque illa ùt Divina jam ante fundamentum præsupponatur. Tres illos articulos ideò, ùt primarios omnium, & R. JOSEPH ALBO proposuit in Libro suo, compendium Theologiæ Judaicæ referente, עקרים inscripto, in tria hinc Capita distincto 1. de Dei existentia; 2. quòd Lex Mosis sit à Deo; 3. quòd dentur præmia pœnæque; vid. BUDDEUS *Philos. Ebr.* p. 171--173. Tales articulos Religionis naturalis propterea & nos ante ipsum fidei fundamentum præsupponimus.

Quænam secundariæ. 1330. Articuli fundamentales secundi ordinis, seu ad fundamentalia pertinentes, cùm ij sint, qui per fundamentum mediatè determinantur (§. 1328.), adeòque per illos primi ordinis (§. 1329.), immediatè, seu ex his proximè sequuntur, *sunt* ideò *tales, qui salvâ fide ac salute ignorari non autem negari possunt.*

Sch. 1. Si nempe negatio non procedat è negatione veritatis fundamentalis, aut hùc tendat. Monendum autem, dùm dicimus, veritatem per alias determinari, id intelligendum esse respectu nostri, proùt à nobis una ex altera deducitur, adeòque respectu viæ cognoscendi, non verò in se: dùm sæpè veritas quædam in se prior est naturâ & tempore quàm altera,

alterâ, adeòque fundamentum & determinans alterius, interim tamen posteriùs demùm à nobis cognoscitur; sic existentia & creatio Mundi noscitur ante existentiam Dei, & tamen hæc prior in se debuit esse; liberatio per Christum priùs cognoscitur ejus Deitate: cùm hæc ex illa deducatur (sch. 1. §. 1329.), interim tamen Deitas Ipsius in se prior sit oportet: aliâs enim liberationis Opus peragere non potuisset.

Deducitur autem Divinitas Illius è liberatione per syllogismos [licèt namque in Scriptura edoceatur, tamen non ostenditur, quàm arctè sint connexa: cùm Scripturæ scopus non sit Veritates ita in nexu proponere] ubi duo requiruntur, scil.: ille, qui nos liberare voluit, debuit justitiæ Divinæ pretium æquivalens solvere, Christus liberavit nos, ergò &c. cum hoc connectitur alter syllogismus, dùm conclusio illius pro præmissa sumitur, (*Log. Cap.* 4. §. 21.), ita: qui pretium æquivalens vult ponere, ille debet esse persona infinitæ dignitatis, seu Deus, Christus tale pretium posuit ergò &c.

Sch. 2. Inter hos itaque pertinent tùm reliquæ in Theologia materiæ, tùm priorum articulorum modi, seu τὸ πῶς: potest enim aliquando sufficere, si res in se & sola teneatur, etsi modus ignoretur; imò res aliquando potest salva manere, etsi modi ac circumstantiæ negentur; simpliciores præterea consequens negantes non ideò semper negare volunt antecedens, conf. (sch. 1. §. 1079.). Inter materias illas hinc pertinerent v. gr. doctrinæ de statu hominis ante lapsum; sic & quæ tùm hôcce Locô, tùm in sequenti [quoad vivificationem corporis] traduntur: quodlibet enim etsi ignoretur, fundamentum & fundamentalia, vera Fides, præmiorum pœnarumque expectatio manent. Inter modos autem vel circumstantias veritatum fundamentalium primi ordinis pertinet v. gr. quomodo Personæ S. S. Triados, una ab altera, differant, Secunda ac Tertia essentiam Divinam acceperint; quomodo peccatum originale propagetur, naturæ in Christo unitæ fuerint, iram Divinam senserit, homo convertatur, decretum electionis se habeat &c. justitia Servatoris imputari possit; cur fœderis gratiæ postulata talia esse oporteat; modi Sacramentorum signandi & obsignandi &c.

Deviatio Socin.

1331. Patet è dictis, malè Socinian., & qui eos sequuntur, fundamentalia restringere nonnisi ad mandatorum Divinorum obedientiam ac promissorum Divinorum fiduciam : omittentes essentiale, & quod priùs adesse debet, scil. creditu necessariorum notitiam.

Obedientia quippe ac fiducia sine prævia cognitione sibi non constant : ùt satis patet è natura Voluntatis, vid. ex. gr. (*Mor.* §. 373.) ; interim si vel maximè notitiam adderent, non possent talem, quæ fundamentalia contineat : cùm Deitatem Filii & inde fluentem satisfactionem, naturam fidei ac justificationis prorsus tollant, vid. (sch. §. 927. sch. 4. §. 1074. sch. 2. §. 1135.). Peccant adeò hi in defectu ; vid. & TURRETINUS *de art. fundam. Nubi test. præmiss.* p. 14.

Variatio in numero earum pro variis ætatibus.

1332. Porrò cùm articuli fundamentales è Revelatione innotescant, per dicta (§. 1323. & sch. 2. §. 1329.), Revelatio autem variis temporibus varia fuerit, ab initio parca, dein amplior, vid. (§. 122. & sch. 1. §. 134.) quo de & in seq., sequitur *articulos fundamentales unâ ætate plures esse posse, alterâ verò paciores.*

Quoad singulos homines id etiam valet, ut pro diverso statu & cognitionis gradu apud hunc quid sit fundamentale, quod non apud alterum : quibus namque media cognitionis abundè suppetunt, aut per Muneris rationem cognitioni operam dare debent, item qui cognitionis gradum notabilem assecuti sunt, ab iis & plura postulantur, ac plura hinc apud eos sunt fundamentalia, quàm apud plebejos ; & cùm horum longè major pars sit, Religio autem majori parti omninò debeat esse accommodata, oportet fundamentalia sint clara, à Scholæ tricis ac subtilitatibus aliena, non per longam ratiociniorum seriem deducenda ; vid.

etiam

etiam TURRETINUS, ubi suprà, p. 18. Ne quis autem obtentu difficultatis aliquid cognoscendi præsenti regulâ abutatur, applicanda sunt, quæ in Moralibus docentur de ignorantia vincibili & invincibili (*Mor.* §. 265.).

1333. Etiam colligitur, *sæpe rem posse esse fundamentalem, modum autem rei neutiquàm:* quippe plurimæ Veritates salutis ignorari possunt (§. 1330.), inter hasce autem pleræque sunt modi fundamentalium (sch. 2. ib.); & si res solùmmodò noscatur, ut expeti ac obtineri possit, jam sufficit, at verò potest id locum habere, etsi modus rei ignoretur. *Monitum quoad Verit. fundam.*

Ita fundamentale fuit, Messiam satisfacere, modum autem quoad omnia scire necesse non erat; res & redit ad scire τὸ ὅτι & τὸ διότι &c.

1334. Perspicitur & è dictis: *non omne, quod ad salutem parandam necessarium est ac fuit, etiam propterea cognitu credituque necessarium esse:* namque cum ad salutem parandam necessarium fuerit omne, quod Christus præstitit, & quâtenus talis seu Servator fuit; nec non necessaria sint, quæ homo agere debet ad salutem impetrandam [vi sapientiæ Divinæ] per dicta (§. 269.), & tamen id non omni ætati revelatum fuerit, nec aliâs ab omnibus cognoscatur, non necessarium fuit, ut crederetur. *Aliud monitum.*

Sch. 1. Interim tamen, quamprimùm revelatum, & tanquàm necessarium proponitur, vel cum necessario colligatur, & tùm cognoscitur, fides non solùm non ei est deneganda, verùm adhùc pro fundamentali accipiendum.

Sch. 2. Hoc est, quod quidam scitè illustrant simili à concoctione ciborum desumtô; ad quam, ut ritè pos-

sit fieri, multa requiruntur, interim cognitu necessaria non sunt. Neutiquàm autem hæcce cum Socin. necessitatem credendorum convellunt (§. 1331. & sch. 1.); semper enim manent dicta (§. 1329. & sch. 1.).

Numerus earum non quærendus.

1335. *Numerus articulorum fundamentalium præcisè determinari nequit:* etenim pro varia ætate plures vel pauciores fuêre; etiam [quod per se patet] articuli possunt vel latiùs vel strictiùs sumi.

Sch. 1. Scriptura etiam mox ad plura mox ad pauciora, quæ cognitu necessaria, reducit: dum v. gr. aliquando nonnisi Christum crucifixum noscendum proponit. 1. Cor. 2: 2. aliquando verò & Deum Joh. 17: 3. mox fidem solùm postulat Joh. 3: 36. mox & pœnitentiam Marc. 1: 15. vid. etiam Rom. 10: 9. 1. Tim. 3: 16. 2. Tim. 1: 9--11. 13. Hebr. 6: 1. 2. 11: 6.

Quòd si quæreretur, quòt præcisè Veritates à Juris perito aut à Mathematico tenendæ sint, quæstio risu exciperetur; ideò nugantur, qui determinari sibi volunt articulorum fundamentalium numerum: vid. laud. TURRETINUS *Disquis. de art. fundam.* p. 22. 23. Equidem Judæorum quidam determinatum talium articulorum numerum exhibuerunt, R. Mos. B. MAIMON tredecim, quos vide v. gr. apud RECKENBERGERUM *Sacr. Jud. rit. antiq.* &c. p. 635--637. R. Jos. ALBO autem illos tres (sch. 2. §. 1329.) memoratos; conf. etiam HORNBEK *contra Jud.* p. 133. Hîc loci memorare occasio fert, quæ inter J. LOCKIUM Philosophum Anglum aliâs multis in pretio habitum ac Adversarium ejus disceptata: nimirum ille cùm in *Christianum raisonab. Tom.* 1. *Cap.* præcipuè 4. 5. 6. nonnisi unicum articulum fundamentalem tueretur, scil. Jesum esse Messiam, litem sibi cum Theologo ejusdem Nationis, nec mirum, accersivit; quocum dein contentionis serram *tom.* 2. ejusd. *Tract.* reciprocans [interspersis interim multis parùm necessariis, ad rem non pertinentibus, repetitionibus &c. ùt fit in Scriptis eristicis;

eristicis; quam in rem lectu dignissima suppeditat Cl. WERENFELSIUS in eleganti non minus quàm erudita *de Logomach. Eruditorum Diss.* præcipuè *Cap.* 4. conf. & ejusdem *Diss. de controvers. theol. ritè tractandis, Opusc.* p. 589. seq.) inter alia itidem, ut Adversarium ad absurdum redigeret, determinatum sibi articulorum fundamentalium numerum dari poscebat &c. vid. ex. gr. p. 201. seq. *tom.* 2. *Christ. raison.* Ad illum autem articulum, quem LOCKIUS ùt unicum proposuit, ut redeamus, tùm demùm ùt sufficiens admitti potest, si distinctè evolvatur, quid eò comprehendi debeat, ac omne sub eo, ceu sub generali speciale, vel speciales multi intelligantur: v. gr. Jesum, quià fuerit verus Messias, ideò fuisse personam Divinam, hinc plures esse in essentia Divina personas, Jesum adeò solvisse pretium æquivalens locò nostrò, ob justitiam Dei vindicativam, quæ peccatores sine satisfactione in gratiam recipere non potuerit; inde natura veræ fidei, justificationis, Sacramentorum &c. ut adeò hicce articulis pro veritate maximè complexa & reliquas involvente habendus esset.

Sch. 2. Etsi autem numerus articulorum illorum determinari nequeat, tamen sciri potest, num quid sit fundamentale nec ne, juxta modum fundamentale dignoscendi (§. 1326. & sch. 1. ib. §. 1327. & sch. 1. 2.), uti & v. gr. benè scitur, aliquid esse venenum aut non, etsi omnia venena non noscantur, ac eorum numerus neutiquàm cognitus sit; & uti nullum est periculum, aliquem fame periturum, etsi non noscat omnes cibos salubres, vel quòt sint, sic & veritatem fundamentalem quis nihilominùs avidè arripiet. Interea & dici potest, numerum veritatum illarum suò sensu exhiberi posse, seu veritates juxta numerum; verùm non ita, ut non plures aut pauciores constitui possint, proùt vel latiùs vel strictiùs sumuntur.

1336. Articuli *non-fundamentales* illi sunt, quorum ignoratione & negatione nec fundamentum tollitur, nec etiam Veritates funda- *Veritatum non-fundamental. ratio.*

mentales tàm primi quàm secundi ordinis; qui adeò & ignorari & negari salvâ fide ac salute possunt.

Sch. 1. Dari ejusmodi non-fundamentalia & natura rei & Scriptura indicant; vid. TURRETINUS *de art. fundam. Cap.* 2. talia sunt tùm res ipsæ quædam seu dogmata, tùm aliorum [fundamentalium etiam quorundam] modi seu circumstantiæ, inter priora pertinent v. gr. inspiratio verborum Scripturæ, unio cum Christo, præsentia Sacramentalis, conversio Judæorum, Regnum Christi gloriosum in terris ante finem Mundi &c. inter posteriora v. gr. quæstiones, quomodo gratia operetur in conversione, num electio sit è prævisa fide an verò absoluta, quomodo anima propagetur, modus apparitionis Messiæ in V. T., modus, quô Mundus præsens finem habiturus &c.

Sch. 2. Notandum autem, sententiam de ejusmodi articulo, quam quis fovet, apud unum posse esse fundamentalem, non autem apud alterum, juxta diversum diversorum acumen, rem introspiciendi facultatem (sch. §. 1332.), hinc rationem, quam habent, affirmandi quid vel negandi; ita si quis animam per traducem propagari statueret propterea, quòd materialitatem hinc destructabilitatem ejus teneret, sententia ea fieret fundamentalis; sic & si quis in his aut aliis sententiam adoptaret ideò, ut posset in Religionem ac Scripturam injurius esse.

Error fundament. quid sit.

1337. *Error fundamentalis* est sententia, quæ veritati fundamentali contrariatur, seu ubi talis veritas tollitur ac negatur; & cùm veritates fundamentales sint vel primi vel secundi ordinis (§. 1328-1330.), errores fundamentales itidem tales sunt; ac ij primi ordinis fundamentum ipsum convellunt.

Ideò non opùs est commemorare errores fundamentales: cùm enim veritates fundamentales noscantur ex (sch. 1. §. 1329. sch. 2. §. 1330.), eô ipsô etiam errores fundamentales noscuntur: rectum enim, quod dicitur,

dicitur, est index sui & obliqui; vid. autem errores fundamentales ex. gr. (§. 351. 868. 927. 1019.). Socin. ideò & fundamentalia & ipsum fundamentum subvertunt; Socino-Remonstr. quædam fundamentalia, quæ fundamentum ipsum jam conquassant; nil addimus de Atheis ac Deistis: hæc enim concernunt πρωτίστα fundamenta, quæ reliquis præstruenda (sch. 2. §. 1329.). Recurrit etiam quoad errores fundament., quod jam notatum (sch. §. 1332. & sch. 2. §. 1336.), ut apud unum quid pro errore fundamentali rectè habeatur, non autem apud alterum &c. pertineret hùc materia de imputatione consequentiarum, qua de jam aliquid supra (sch. 1. §. 1079.), vid. etiam Cl. WERENFELSIUS *Diss. de Logom. erudit. Cap.* 9. p. m. 562. 563. *Opusc.* Notamus adhùc, quòd & ignoratione fundamentalium peccetur, interim negatione semper magis ac pejus.

1338. *Errari* autem *potest fundamentaliter, non solùm negando veritatem fundamentalem, verùm & ei aliquid ita superaddendo, ut ampliùs stare non possit:* namque dùm posteriori modò effectus seu virtus veritatis ac dogmatis tollitur, tantundem est, ac si dogma ipsum tolleretur. *Dupliciter potest committi.*

Id est, quod alii dicunt, fundamentum dupliciter posse everti, nempe vel demendo, id est negando, vel addendo; vid. Cel. TÜRRETINUS *de art. fund.* p. m. 4. §. priori modò peccant Socin., pòsteriori Pontificii: hi namque v. gr. etsi meritum Christi teneant, tamen ei merita Sanctorum, satisfactiones proprias addunt (sch. 2. §. 1144. & sch. 3. §. 1186.). Et magis adhùc, dum Scripturam, quæ principium hinc fundamentum cognoscendi (§. 136.), tamen ùt talem non recipiunt (§. 209.).

1339. Qui errorem fundamentalem fovet non solùm, verùm & eum pertinaciter adhùc defendit, *Pertinacia in tali quomodo dicatur.*

disseminare studet &c. illi convenit nomen *hæretici*; ut *hæresis* errori fundamentali addat pertinaciam in defendendo &c.

Sch. 1. Ita ergò benè notio hæreseos constituitur, ut nempe non solùm in ea sufficienti quis polleat acumine ad noscendum momentum & consequens sententiæ suæ, verùm & ab ea dimoveri se non patiatur, præterea aliis quoque eam propinare studeat; hæreticus adeò est, qui non solùm falsam tenet fidem objectivam, sed & acriter defendit ac spargit; ac hæresis ideò veram fidem subjectivam (§. 1071. 1093.) tollit, si sententia, quæ tenetur, si cum perspicientia, quid inde sequatur; propterea prout diversi est momenti, magis aut minùs fidem tollit; fundamentum ipsum si quis neget, & quidem ita, ut intelligat, quid, quare, quid item inde sequatur, etiam fides vera subjectiva tùm prorsus tollitur; ubi verò quædam fundamentalia tolluntur aut immutantur, ibi & quædam fidei proprietates alterantur &c.

Sch. 2. Origine suâ vox αἵρεσις [quæ propriè electionem notat, dein quoque professionem sententiæ sive veræ sive falsæ] nil odiosi involvebat: notabat diversas Partes ac Societates, opiniones quasdam communes habentes; ita DIOGENI LAERTIO Sectæ Philosophorum αἱρέσεις dicuntur, *proœm.* p. m. 5. In N. Test. autem & apud Scriptores ecclesiasticos malæ est notæ, designant: perversam spargere doctrinam; vid. de voce αἵρεσις 1. Cor. 11: 20. Gal. 5: 20. αἱρετικὸς Tit. 3: 10. De re ipsa autem & hæreseos, affectionibus ejus &c. vid. è Patribus erudite agens SUICERUS *thes. eccles. tom.* 1. p. 119. 120. seq.

Coroll. 1340. Hæretici notam ideò & ille non effugit, qui veritates fundamentales addendo pervertit (§. 1338.).

Notandum autem adhùc quoad hæresin ac hæreticum, quòd, etsi talem agnoscendi ac redarguendi criteria & argumenta sunt sufficientia, tamen cum quilibet criteria & argumenta hæcce attemperet, conformet ac desumat è principiis, quæ reliquis omnibus præstruit, [quò & faceret] (§. 190. ac sch.) hinc aliis, reliquis,

quis, esse hæreticum, sibi non &c. pertinerent hùc SALVIANI verba, à pluribus V. D. allata, v. g. à GROTIO *J. B. P. Lib. 2. Cap. 20. p. m. 632.*

1341. Qui veritates fundamentales admittit non tantùm, verùm & iis nil superaddit, per quod concutiuntur ac obfuscantur, dicitur *orthodoxus*; ac *orthodoxia* est doctrina, quin & confessio veritatum fundamentalium, proùt in Scriptura exhibentur, ut nec dematur, nec superaddatur; ejus oppositum *heterodoxus* & *heterodoxia.* *Hæreseos & hæretici oppositum.*

Sch. 1. Orthodoxus ideò est, qui veram fidem objectivam tenet, quin & profitetur [licèt & quis posset orthodoxus dici, etsi non extus profiteretur, quæ intus crederet] unde notissimum illud J. DAMASCENI Opus τῆς ὀρθοδόξου πίστεως &c. Orthodoxi etiam dicebantur καθολικοὶ; de qua utraque appellatione nonnulla SUICERUS *thes. eccles.* ad ill. voc.

Sch. 2. Orthodoxus proinde ab altero habendus est, etsi vel maximè ab eo in quibusdam Religionis articulis dissentiat, dùm hi quæstiones minùs momentosas concernunt, per quas & fundamentalia secundi ordinis manent; talis enim manet orthodoxus; nisi quis *heterodoxiæ* nomen ita extendere velit, ut in dogmatibus non fundamentalibus omnem dissensum alterius [sive hominis, sive Societatis, seu Sectæ] illô titulô infamare ei lubeat &c. Lutheri discipuli ideò nobis orthodoxi habent esse ac sunt: dùm in fundamentalibus omnibus prorsùs consentiunt, dissensu nonnisi quoad parùm momentosa, eaque adhùc pauca, intercedente, vid. (sch. §. 896. sch. 2. §. 899. sch. 1. §. 1266. sch. 1. §. 1280.) [reliqua enim non sunt nisi apertæ logomachiæ, vid. (§. 482. & sch. 1. ib. sch. 2. §. 961. sch. 2. §. 1053. §. 1069. & sch. 1. 2.) quàm exilis autem, ut ita dicam, vel exiguus est hiccce dissensus? unde jure nobis *Fratres* dicuntur.

Quid ergò impedit, quò minùs in oscula fraterna animitùs ruamus, per Tolerantiæ politicæ ubivis introductionem non solùm verùm & ut animositates, alter-

altercationes, magis invidiosas imputationes, multò magis invidiosas denominationes & maximè convitia longè facessere jubeamus? ut dissidium, pacis amantibus & piis omnibus deplorandum, non ampliùs communi Protestantium causæ adeò sit funestum! dum communis hostis inde lucratur! Verùm Dei id Opus est omnipotentis; faxit T. O. M., ut tandem tempora hæcce adveniant! vid. autem, qui hac de re legi merentur, Cel. TURRETINUS *Orat. de comp. Protest. dissid.*, item, *disquis. de art. fundam. Cap.* 9. 10. nec non per totam *Nubem testium*; & Cl. WERENFELSIUS *cogit. gener. de ratione uniendi Eccles. Protest. Opusc.* p. m. 423. seq. commemoratu dignum etiam est Scriptum Legatis Statuum Protestantium Ratisbonæ oblatum 1705., cujus inscriptio: **Neu gebahnter Weg zu einem Evangelischen Kirchen-Frieden.**

Ut Viros alios multos taceamus, qui egregiè Scriptis & opere manum saluberrimo huic ac exoptatissimo negotio admoverunt.

Analogia fidei usus in veritatibus discernendis.

1342. *Analogia fidei ostendit, quænam sit veritas & quinam error fundamentalis, adeòque & docet hæreticum ac orthodoxum discernere, item non-fundamentale:* fundamentale enim cùm sit, quod fundamentò innititur, seu per id determinatur (§. 1326.), adeòque cum eo connexum est, dignoscitur per nexum, seu seriem plenariam veritatum revelatarum: tùnc enim, quænam in serie præcedat, & quænam sequatur, patet; jam verò analogia fidei est ipse talis nexus, seu hunc exhibet (§. 192.), ergò & docet, quidnam sit fundamentale, consequenter etiam, quid non-fundamentale; utrumque id cùm sit orthodoxum (§. 1340.), & fundamentalis veritas si noscatur, etiam simùl tunc noscatur fundamentalis error [uti per se clarum] id omne analogia fidei ostendit.

Sch. 1.

Sch. 1. Non differt ab hacce regula & methodo fundamentale investigandi ac à reliquo discernendi, quod quidam [ex. gr. BUDDEUS *Theol. dogm. Lib.* 1. *Cap.* 1. p. 45.] præscribunt, ad fundamentale dignoscendum expendi debere fundamentum reale, id est Christum, ejusque finem proximum seu reconciliationem hominum cum Deo; tùm, quidnam necessarium sit, ut finis hicce obtineatur, & eâ ratione juxta analogiam fundamenti dogmatici ac realis de singulorum fidei Capitum ad id utrumque relatione, adeòque ad salutem necessitate, pronuncietur; non differt inquàm: nam relatio hæcce ad fundamentum quid est nisi cohærentia veritatum cum eo, propior vel remotior; fundamentum etiam ejusque finis cum veritatibus proximè cohærentibus seu primariis constituit analogiam fidei, ùt facilè patet rem distinctè tenenti; & fallor, aut analogia fundamenti realis ac dogmatici analogiam fidei fundat, & hæc illam comprehendit, licèt Vir Cel. distinguat ib.

Sch. 2. Dùm verò ipsa fidei analogia è Scriptura Sacra tanquam principio cognoscendi desumitur, locorum clarissimorum collatione secundum genuinas immotas interpretandi regulas, ita simùl illud dicendum est fundamentale esse, quod clarè ac multis Scripturæ locis continetur, hinc repetitur, sive totidem verbis, sive quoad sensum, reliqua etiam habet adjuncta, de quibus (sch. §. 1326. sch. §. 1332.).

1343. Quare cùm analogia fidei non sit nisi Ratio collustrata: ùt patet conferenti definitionem illius (§. 192.) & Rationis (*Met.* §. 368), hujus autem operatio sit ratiocinium, cujus per verba enunciatio ac expositio est syllogismus [quo de] (*Log. Cap.* 4. §. 1. seq. *Met.* §. 340. seq.), seu & plures; veritates hinc, quæ propiùs cum principio cohærent, paucioribus indè deduci syllogismis opùs habent, *Ratio collustrata ostendit, quidnam sit fundamentale, & quid non, ac id è funda-*

Hinc Rationis collustratæ mediantibus syllogismis.

fundamento deducitur per syllogismos, & veritates primi ordinis per pauciores, quàm ij secundi ordinis.

Hùc & faciunt quædam ex iis, quæ dicta (prol. sch. 1. 3. §. 32.).

Undenam malè dijudicetur fundamentale.

1344. Ex anterioribus interim patet, falsam articulorum fundamentalium notam esse 1. judicium Ecclesiæ de dogmate quodam; 2. quòd ab omnibus Christianis & semper pro tali agnitum fuerit.

Prius tuentur Pontificii, convenienter palmario suo dogmati de infallibilitate Ecclesiæ (§. 198.), quæ autem quià seipsam destruit (ib. sch. 1. 3.), etiam nota illa falsa est, vid. TURRETINUS *de art. fundam.* p. 10. 11. posterius tuentur, qui à Socin. partibus stant, vid. id. Vir D. p. 13.

Quòt possint esse Ecclesiæ falsæ, & quòt veræ.

1345. Cùm Ecclesia [de externa nempe semper hîc loquimur] sit vera, quæ veram doctrinam in fundamentalibus ac rectam Sacramentorum administrationem tenet (§. 1319. 1320. 1322.), & veritas ac rectitudo non possit esse nisi una, uti falsitas è contrà multiplex, falsitas autem doctrinæ ac falsificatio Sacramentorum falsam constituat Ecclesiam (§. 1318. 1319.), *Ecclesia vera non est* [ratione nempe doctrinæ] *nisi una, falsæ autem possunt esse*, ac sunt, *plures*. Omnes autem tales sunt ac dicuntur *Sectæ*.

Uti & Ecclesia interna [ratione tendentiæ ad idem] est una (§. 1311.).

1346.

1346. Quare cùm unitas hæcce è doctrinæ unitate exurgat (§. 1345.), *Ecclesiæ unitas non tollitur, quamvis, qui doctrinam veram profitentur*, seu membra ejus, *per loca temporaque sejungantur.* *Consectarium quoad Ecclesiam externam.*

[Uti & unitas Ecclesiæ internæ non tollitur, quo de (§. 1311.). Ecclesiæ externæ unitas adeò & semper stat non obstante divisione seu distinctione in externam & internam (§. 1300. 1315.).

1347. *Ex unitate hacce certa etiam oritur unio:* quippe unio est ac fit, ubi plura unum fiunt (per defin. ontol.) jam quoad doctrinam unam veram (§. 1345.) omnia membra unum sunt, ac in hoc tertio unum fiunt, ergò &c. porro ubi eadem doctrina, ibi & studium, ut ea à quibuscunque assumeretur &c. adeòque tendentia ad unum. *Unio hujus undenam.*

Sch. 1. Non adeò est talis hæcce Unio, ut membrorum Ecclesiæ internæ inter se & cum Christo (§. 1307 ——— 1310.); cum Christo membris Ecclesiæ externæ unio intercedit nonnisi ratione professionis, respectu Muneris Ipsius prophetici (§. 920.).

Sch. 2. Unitas Ecclesiæ in Symbolo Apostolico indigitatur: dùm non solùm singulari numerò vox Ecclesiæ ponitur; sed & in quibusdam symbolis [Constantinopolitano] vocula *unam* addita fuit, notante Auctore *Hist. Symb. Apost. cum observ. Cap. 6. §. 9.* Unitatem autem indigitari porrò monet Vir eruditus tùm fidei seu doctrinæ, tùm & charitatis seu per charitatem §. 10--12. [quæ tangeret communionem sanctorum] (§. 1309.); à Patribus unitatem illam ita explicari, ansâ ab hæresibus schismatibusque arreptâ, Christianos ad baptismum accedentes obstringendi causâ, ut promitterent, se uni & indivisæ Ecclesiæ Christi adhæsuros, quæ unam, puram, fidem, absque schismatibus servet, §. 13. Unde, & quæ aliqua particularis Ecclesia fovebat, aut rejiciebat,

bat, id & à reliquis eôdem modô haberi debebat; tanquàm partibus Ecclesiæ universalis: ut, qui ab una secessisset, ab omnibus secessisse haberetur &c. §. 14.

Undenam universalitas ejus?

1348. Ecclesia, quâtenus una eademque manet, quòcunque locô & tempore membra ejus existant, dicitur *universalis*, *catholica*.

Non itaque universalis audit, ac si universi ad eam pertinerent (§. 1053.); hôc sensu nulla Ecclesia titulum catholicæ sibi arrogare potest; ut Ecclesia Romana perperam id faciat; quum idem sit, ac si quis diceret *universalis particularis*, ut scitè notat Cel. J. ALPH. TURRETINUS *cogit. de var. Theol. Cap.* §. 138. quippe Ecclesiæ, Græcæ, Æthiopicæ, Armeniæ, non sunt de Romana; hæc ideò non est universalis sed particularis nonnisi; vid. & MOLINÆUS *de novit. Papismi Cap.* 43. Appellatur verò & Ecclesia in Symbolo Apostol. *catholica*; circa quod epitheton Eruditus Auctor *Hist. Symb. cum observ.* &c. *Cap.* 6. §. 16. monet, non à primis initiis id in Symbolo fuisse, verùm à Græcis demùm explicationis causâ additum esse; ut intenderetur, Ecclesiam angustis nimis limitibus circumscribi non debere, partem aliquam ejus pro tota habendo, nec adeò particulari loco alligandam esse, è contrà omnes, qui ab extremo Orbis ad aliud habitent, licèt in minoris momenti Capitibus dissentiant, unius Sanctæ Ecclesiæ membra esse.

Undenam Ecclesiæ particulares.

1349. Quòd si verò pars hujus Ecclesiæ universalis consideretur à certo loco, regione, ubi membra degunt, aut & tempore, quô vixêre, dicitur *particularis*.

Ita temporibus Apostolorum Ecclesia Romana, Corintiaca &c. posteà Ecclesia Græca, Latina; ut hodiernas particulares prætereamus. Quælibet particularis est pars universalis non *integrans*: ita enim particulari extirpatâ & universalis periret [id namque

pars

pars integrans secum fert] verùm *homogenea*: dùm omnes eundem doctrinæ typum recipiunt; dicuntur & *Cœtus particulares.* Inter tales jam & intercedere unionem patet ex (§. 1347.); generalem nempe & præterea specialem; quæ admodum diversa esse potest, & utilis valdè est, exoptanda ideò, ut augeretur ac confirmaretur.

Gradus falsitatis Ecclesiarum.

1350. Cùm Ecclesiæ falsæ possint esse plures (§. 1345.), & oriantur è falsitate doctrinæ (ib.), doctrina autem, dum vel fundamentum tollit, vel fundamentalia, aut iis superaddit, gradus falsitatis admittat, seu plus & minus, etiam *Ecclesiæ aliæ aliis minùs & magis sunt falsæ:* illæ verò, quæ veris falsa addunt, quibus ea obfuscantur, dicuntur *corruptæ;* uti falsa & corrupta communi voce potest dici *impura.*

Ita Socinian. Ecclesia magis est falsa quàm Anabaptist. & Socino-Remonstr. &c. Romana Ecclesia autem est corrupta. Uti è contrà Ecclesia Luther. nec falsa nec corrupta dicenda est: cum fundamentalia omnia planè relinquat, & quidem ita, ut iis nil superaddat &c. unde *Evangelica* nomen ipsi competit.

Ecclesiæ corrupta quid opus sit.

1351. Quòd si Ecclesia corrupta iterùm puritati suæ restituatur [seu veritati in doctrina & rectitudini in Cultu] dicitur *emendata*, & qui hoc efficere student, eam *emendare;* proinde *ut Ecclesia, si sit corrupta, iterum emendetur* omni *studiò allaborandum est:* quippe finis Revelationis (§. 106. 109.), necessitas ac momentum rectæ ejus interpretationis (§. 155. 189.), Notæ item veræ Ecclesiæ (§. 1319. & sch. 1.), id postulant.

Qualibus talis dotibus instructus esse debeat, nec non quòd emendationem suscipere debeat ad normam Ver-

bi Divini, è solo Deum glorificandi studio, veritatisque amore, quivis facilè videt; non autem de hisce hîc agendi locus.

Origo falsitatis Ecclesiæ cujusdam.

1352. Cùm Ecclesiæ diversæ oriantur è diversitate doctrinæ in fundamentalibus, per (§. 1345.), & doctrinæ hæ hauriantur è Scriptura S., tanquàm principio cognoscendi Christianorum, proùt aut diversimodè explicatur in locis, quæ analogiam fidei fundant, aut ei quid superadditur, ideò *diversæ Ecclesiæ ac falsæ seu Sectæ omnes oriuntur è diversa ac falsa Scripturæ in rebus dogmaticis* (§. 189. 190.) *interpretatione.*

E discrepantia sententiarum ac interpretationis Scripturæ in moralibus nulla venit diversitas Ecclesiarum, Sectarum: cùm Discrepantia non tanta sit, nisi in Cultûs partibus, quæ ex dogmatibus falsis fluunt, uti invocatione Sanctorum, adoratione hostiæ, adoratione Christi hominis, imaginibus &c. de aliis enim in Cultu externo & publico diversitatibus hîc sermo non est: cùm quævis Ecclesia particularis eum diversimodè ordinare possit.

Finis Cœtûs ecclesiast. principalis.

1353. Quare cùm Scriptura sit interpretanda (§. 155. 158.), ut cognitio rerum necessariarum inde hauriatur (§. 115.), Cultusque ediscatur (§. 109. 118.), hinc pietas in Deum ac Servatorem apud Christianos se ostendat, *cuilibet membro Ecclesiæ hinc toti Cœtui ut scopus primarius incumbit, cognitionem veram pietatemque promovere, seu incrementum cognitionis sanctitatisque:* siquidem in hisce duobus consistit Summa Religionis (prol. §. 19.), vera Fides (§. 1078. seq. 1092.), finis, ob quem Christus in Mundum venit (§. 864.), adeòque & id,

unde

unde salus hominis pendet (§. 1129. 1131.), consequenter cui præ reliquis omnibus operam dare debet.

Sch. 1. Etiam constituit veræ Ecclesiæ Notas (§. 1319. & sch. 1.); hæ verò ut efficaces fiant, quis dubitet allaborandum esse? seu ut eæ in quolibet homine actu se exerant &c. cùm & quivis non possit non desiderare actu obtinere, ùt Ecclesiæ internæ membrum, quod ùt membrum externæ profitebatur, scil. beneficia fœderis gratiæ (§. 1300. 1315.).

Sch. 2. Ex hocce fonte primario omnia deducuntur, quæ Ecclesiam externam ejusque directionem [qua de infra] spectant, & quæ sunt objectum Jurisprudentiæ ecclesiast.

1354. Quià verò is finis principalis commodiùs obtinetur, si, quæ Scriptura hinc inde ùt necessaria, seu fundamentalia, & ad hæc pertinentia proponit, ab iis, qui Scripturam pro aliis interpretari possunt (§. 158.), in determinatum ac planum doctrinæ systema & compendium congerantur [cujusmodi appellatur *doctrinæ typus*, item *formula professionis*] cùm ità quodvis Ecclesiæ membrum credenda & agenda facillime noscere possit, hinc & iis se conformare; præterea id necesse sit ob simpliciores, ut iis unò obtutu illa objiciantur, *Ecclesiæ est doctrinæ typum seu formulam professionis concinnare ac membris proponere.* *Medium ad id.*

Aliàs etiam quælibet Pars vel Secta, cùm sub Scripturæ verbis se suasque periculosas sententias occultare facilè possit, aliis ita imponere posset, ut fit ex. gr. à Socinian. Ideò & jam antiquitùs tales in Ecclesia obtinuerunt formulæ, quæ *symbola* dicebantur, recentiori ætate, *confessionis formulæ*; illa fuere Symbolum Apostolicum, Nicænum, ATHANASII, præcipuè.

Ecclesia forma.

1355. Cùm ad scopum illum primarium (§. 1353.) omnia Ecclesiæ membra [per ipsa propria principia] tendant ac tendere debeant; hinc tendentia ad unum locum inveniat ex obligatione resultans, adeòque nexus moralis, inde autem Societas resultet, vid. (*Pol.* §. 2. seq.). patet *Ecclesiam* [etiam externam, non minùs quàm internam] (§. 1312.) *esse societatem.*

Uti jam Sociatorum quorumvis dantur officia ac jura, è natura Societatis, in qua sunt, resultantia, ita & in hacce Societate; de quibus infra. Ea jam jura atque officia, quæ Cœtus ecclesiast. membra, ùt sociata, erga se invicem exercent, explicat *Jurisprudentia ecclesiast.* universalis, quæ Jurisprudentia & in genere non versatur nisi circa Ecclesiam externam, neutiquàm autem circa internam, notante quoque Canzio *disciplin. moral.* §. 1481. 2174.

Scissio eorum, qui in fundamentalibus concordant, quomodo dicatur.

1356. Quòd si Ecclesia quædam particularis (§. 1349.) alteram, quæ tamen eadem in fundamentalibus & ad hæc pertinentibus tenet, ob aliquam quoad cætera differentiam non vult agnoscere pro parte veræ & universalis Ecclesiæ (§. 1318. 1348.), ideò nec admittere in eandem secum Societatem (§. 1355.), nec recipere eâdem professionis publicæ formulâ (§. 1354.), dicitur *Schisma*, & qui ita agunt, *Schismatici.*

Ut Unio nonnisi quoad locum, regionum, Statum remaneat, non magis sint conjunctæ vires [ut pars una alterius commoda promoveat] ac inter eos, qui circa fundamentalia discrepant; nomine hinc sese ab invicem distinguant, diversa Cultûs publici Loca & Sacra frequentent, adeòque tolerantiam, quam dicunt *ecclesiasticam*, sibi mutuò non exhibeant, ùt fit pluribus locis regionibusque inter Protestantes, & ab alterutra

terutra eorum parte erga alteram, quæ non dominans.

1357. Qui schisma tollere vult, parteſque dissidentes reunire, ut in unam coaleſcant, saltem se invicem tolerent, dicitur *Syncretista*, & tale studium *Syncretismus*. *Reunio eorum quomodo.*

Vocem *Syncretismi* à Cretensibus desumtam esse monent Viri D., ij quippe, inteſtinis licèt discordiis discissi, tamen hoste communi externô illos adortô, mox se reuniebant; unde συγκρητισμὸς, vid. ERCKIUS *Dissert. de Syncretismo Philos.* Lipſ. 1717. §. 2.

Posset autem tam multiplex constitui, quòt essent rerum genera, super quibus dissidium componendum; in Scientiis, præter præsentem, qui est theologicus, memoratur præcipuè philosophicus, quo de laud. modò V. D. gemina *Diss.*, qui & quoad theologicum quædam succinctè monet, *Diss.* priori §. 2.

Inter Protestantes Syncretismum facere plurimi Viri, pietate, prudentia, eruditione insignes, magnô labore, verùm proh dolor! exiguô successu, annisi sunt; quorum nomina & Vota præ aliis magnâ eruditione ac judiciô collegit Cel. olim Genevensium Theologus J. ALPH. TURRETINUS in *Nube testium &c.*

1358. Qui veræ doctrinæ formulam (§. 1354.) profitentes vi externâ, pœnis, suppliciis inde absterrere quærunt adeòque veram Ecclesiam extirpare, dicuntur *persecutores*, & ipsorum intentata *persecutio*. *Hostes Ecclesiæ.*

Uti profitentes doctrinam olim dicebantur *Confessores*, & ubi persecutionibus à professione doctrinæ ut desisterent, adigi non poterant, *Martyres*; de quibus abundè historia ecclesiast. Non tangimus autem hîc DODWELLI de Martyrum paucitate sententiam, Eruditis quoque parùm probatam, licèt & [eorundem sententiâ] numerus illorum à quibusdam nimis augeatur. Persecutiones in Seculis primis exponit Vir re-

rum ecclesiast. peritissimus KORTHOLTUS *de persecutionibus Ecclesiæ primævæ*; quô & [præter alios plures] pertinet, qui persecutionum seu suppliciorum genera [quôcunque Ecclesiæ tempore exercita] ordine alphabeticô commemorat Auctor sub titulo, gûldenes A, B, C, der Märtyrer und Blutzeugen, &c.

Alii ejus hostes. 1359. Qui autem veram doctrinam profitentes equidem externè nullô malô afficere studeant, verùm doctrinam ipsam, præcipuè in fundamentalibus aut ad hæc pertinentibus (§. 1328.), pervertere, vel & Cultûs partes aut modum eum peragendi, dicuntur Ecclesiam *turbare* ac *turbatores*.

Societas [Ecclesia] (§. 1354.) talibus ideò resistere debet, convenienter fini primario, quem præfixum habet (§. 1353.).

Eorum differentia. 1360. *Hæretici* proin *turbant Ecclesiam* (§. 1339. coll. 1359.), *ac eam corrumpunt* (§. 1350.), *sunt hostes doctrinæ Ecclesiæ*; uti *persecutores hostes personarum* [interim ob doctrinam]: dùm ex infelicitate membrorum Ecclesiæ voluptatem capiunt, per (§. 1358.), quod facit hostem (*Mor.* §. 778.).

Cum iis quomodo agendum. 1361. Ubi hostes, ibi iis resistendum, obviam eundum, inde bellum gerendum, quod ideò Ecclesiæ quàm maximè incumbit ob hostes illos (§. 1358-1360.); quâpropter dicitur [& rectè] *militans*.

Est itaque hæc alia lucta quàm illa cujusvis Ecclesiæ internæ membri (§. 1187.): quippe quæ & interna magis, nec respicit doctrinæ professionem.

Ecclesiam ideò & unô tempore ac unô locô magis esse dicique posse militantem quàm alterô, per se patet; quo de Hist. eccles., quæ hinc ita debet esse conscripta,

scripta, ac est legenda, ut monetur (*Log. Cap.* 10. §. 7.).

1362. Interim non obstantibus Ecclesiæ hostibus (§. 1358. 1359.) ac adversitatibus (§. 1361.), *nulla ætas adhuc fuit, in qua non fuerit vera Ecclesia, nec ulla erit, quâ non sit futura*, aut *quâ desitura*, quod dicitur *perpetuitas* Ecclesiæ: bonitas Dei enim, quâ Regnum gratiæ curat (309. seq. 669.), nunquàm permittere potuit, ut vera doctrina intùs credendo periret, nec porrò unquàm admittet: cum & promissiones Divinæ Ps. 110: 1. Matth. 16: 18. & experientia per investigationem Seculorum præteritorum id confirment; & cùm diversæ Ecclesiæ oriantur è diversa Scripturam in fundamentalibus interpretandi ratione (§. 1352.), omninò una si oportet, quæ rectum ejus sensum teneat, uti & inter varias revelationes una vera (§. 123.). *Duratio Ecclesiæ.*

Locutionem πύλαι ἅδου Matth. 16: 18. eruditè illustrat Cl. Elsner, ut sensus verborum Christi sit » adeò » Ecclesiam sibi curæ fore, ut ne summa quidem ac » præsentissima pericula unquàm opprimere eam aut » extinguere valeant. » Nempe non de particulari quadam Ecclesia; verùm de universali (§. 1348.) perpetuitas prædicatur, & quidem non visibiliter; vid., quæ hùc faciunt, & jam præoccupata (sch. 1. §. 1315.). Pertinerent hùc quoque, quæ Molinæus *de novitat. Papismi, Lib.* 1. contrà Pontificios; ubi *Cap.* 9. è Veteri Testamento ostendit, Ecclesiam non semper fuisse conspicuam vid. præter 1. Reg. 19: 14. 18. 1. Chron. 18: 16. 24: 18. cum interim promissiones perpetuitatis ac visibilitatis habuerit 1. Reg. 9: 3. Ps. 132: 14. è contra de Eccles. N. T. prædictum sit, eam non semper fore visibilem. vid. Luc. 18: 8. Apoc. 13: 3. 4. *Cap.* dein 10. Molinæus Patres idem dixisse probat; *Cap.* 11. ob-

jectiones Pontificiorum [satis frivolas ex Es. 2: 2. 60: 3. explodit &c. *Cap.* 12. ad quæstionem captiosam, ubi Ecclesia nostra fuerit ante Lutherum, respondet &c.

Apponere autem juvat verba PAJONI *exam. du Livre &c. P. 3. Chap.* 9. p. 176. 177. » Il a crû, » qu'il faut prendre pour la vraye Eglise, la Societé » qui est descenduë des Apôtres, par une succession » non-interrompuë, & qu'ainsi la vraye Eglise est, » comme il l'appelle, la *Societé successive*, ce qu'il ne » croit pas, qu'on puisse dire de nôtre Societé, qui » ne paroissoit nulle part avant Luther —— il se- » roit facile de distinguer l'état exterieur de l'Eglise » d'avec son état interieur, & de faire voir à l'Au- » theur, que nôtre Societé, qui est successivement » la même, que celle de l'Eglise primitivè: puis- » qu'elle enseigne la même doctrine, n'a souffert » d'interruption, que dans son état exterieur, qui ne » lui est pas essentiel; mais qu'elle n'en à point » souffert dans son état interieur, qui fait l'essence » de la vraye Eglise, & qu'ainsi elle s'est toûjours » conservèe non-obstant &c.

Quandonam inceperit. 1363. Inde *jam ab initio Mundi vera fuit Ecclesia* 1. *ob doctrinam veram*, requisitum veræ Ecclesiæ (§. 1319.) *Protoplastis jam & dein Patriarchis patefactam:* siquidem Revelationis veræ [cujus character antiquitas Mundo coæva] (§. 113.) doctrina fundamentalis de Messia mox post Lapsum [cùm ante Lapsum aliò sensu fuerit Ecclesia sancta] (§. 685. seq.) ab ipso Deo fuit tradita, vel à Filio Ipsius [tum sæpè apparente] Gen. 3: 14. 15. Quippe sanè quum in illis circumstantiis [reatu scil. contractô] & ut spem homo conciperet, quòd & quomodo hôc exsolvi posset, quàm maximè hîc opùs habuerit in solamen, ut Liberator ipsi monstraretur (§. 872.); incongruum ac indignum omnino fuisset Deô circumstantiisque illis, sermo-

sermonem proferre de inimicitia nonnisi erga serpentem bestiam, & contritione capitis ejus dein sæpiùs per protoplastum & posteros; quòd si verò id incognitum, Liberator omninò intelligendus fuit, quem Deus posteà prænunciari sivit ac misit in carne (§. 878. & sch. 2.), explicationem ita hujus promissionis Ipse dans; etiam inde confirmatam, quòd Scritura ac aliæ rationes per serpentem illum non permittant intelligere nisi malum genium (§. 769. & sch. 1.). Confirmata dein ac amplificata fuit doctrina illa Abrahamo Gen. 22: 18. Isaaco 26: 4. Jacobo 49: 10. Aucta etiam per promissionem terræ fertilissimæ 15: 18. 26: 3. 28: 4. 35: 12. per eandem revelationem confirmatâ quoque cognitione naturali de Deo auctore Mundi, Ejus perfectionibus, officiis erga Ipsum, 17: 1. 18: 14. 19. 24: 7. quæ omnia cùm piis à Deo & Filio Ejus Gen. 18: 1. seq. 32: 28. seq. indicata fuerint, falsâ interpretatione accipi non poterant; Majoribus etiam ita longævis ea series posteris oretenus tradentibus, uti acceperant 18: 19. 24: 9.

Sch. 1. Protevangelium ideò obtigit primis Parentibus (sch. 1. §. 872.); memoratur serpens cum semine suo, ab altera parte semen mulieris adversus id inimicitiam gesturum, ita ut, licèt ab illo quid passurum, tamen illud contundere ac destruere deberet; quàm jejunus autem emergat sensus, si tantùm de serpente proprio hæc sumantur, lubet eloqui verbis T. SHERLOCKI Tract. inscriptio: *L'usage & les fins de la Prophetie dans les divers âges du Monde, Disc.* 3. ubi p. 72. 73. ita » représentez-vous, que Dieu vient pour jouger » les coupables; qu'Adam & Eve paroissent devant » Lui dans le dernier accablement; qu'ils les con» damne —— & qu'au milieu de toute cette scéne » d'affliction —— vous l'entendez prédire d'une ma-

» niere pompeuse, un evenement fort trivial, qui » devoit arriver dans le Monde, savoir, que les ser- » pents seroient enclins à mordre les hommes au ta- » lon, & les hommes prêts à s'en vanger, en leur » écrasant la tête. Quel rapport y avoit-il entre » une minutie de cette nature & la perte du genre » humain, la corruption du Monde naturel & moral, » & l'anentissiment de toute la gloire & de tout le » bonheur, qui resultoient de la Creation? étoit-ce » une grande consôlation pour Adam, aprés lui avoir » annoncé, que ses jours seroient courts & mauvais, » & sa mort sans esperance; que de lui apprendre » qu'l briseroit de tems en tems la tête du serpent? » & que cette victoire ne laisseroit pas même de lui » couter cher, puisque le serpent lui mordroit aussi » souvent le talon. Certainement nos premiers » Péres ne pouvoint entendre cette Prophetie dans » ce sens-là, quoique quelques-uns de leurs Des- » cendans l'ayent fait &c. » De Messia ideò Oraculum id sumendum, ac Protoplasti ita intellexêre, uti & Vetus Ecclesia Judaica de eodem sumsit; quam in rem idem V. D. adducit locum Esaj. 65: 25. ubi *pulvis* dicitur *futurus alimentum serpentis*, & dein ita » par quelle figure de langage ou pour quelle rai- » son le serpent designe-t-il ici ceux, qui sont di- » stinguez de la posterité des bénits? & d'où vient, » que la punition de ces reprouvez est representée » par l'action du serpent, qui mange la poudre de la » terre? il n'y a rien dans tout ce Chapitre, qui » puisse servir à expliquer cette figure; mais il sem- » ble, que le Prophete l'ait employée comme une fa- » çon de parler proverbiale fort commune & parfai- » tement entenduë de ses compatriotes; & d'où, je » vous prie, pouvoient-ils l'avoir empruntée que de » l'Histoire de la Chûte de l'homme? là on voit la » posterité des bénits, à qui la victoire sur le ser- » pent est promise, & le serpent lui-même assujetti » à manger la poudre. Cette allusion — » montre, dans quel sens cet Oracle étoit entendu » anciennement. » Idem ostendunt *Targumim:* quippe, uti notat Cl. SCHOETGENIUS *Hor. Tom. 2. Lib. 2. p. 143. Targum. Hierosolymit.* proteuangelium illud sumit de diebus Messiæ; idem, licèt brevius;

vius, occurrere in *Targum* JONATHANIS; p. 94. etiam jam è *Sohar* locum attulit, ubi de Deo S. B. illud sumitur; ac inde ortum habere phrasin talmudicam בעקבות משיחא *in calcaneis Messiæ* (*Sotah.* f. 49. 2.) id est, eò tempore, quò Messiæ calcaneus à serpente pungetur. Præter Messiam autem etiam fideles per semen illud Mulieris indigitantur, adeòque semen sanctum faciens & sanctum factum Heb. 2: 11. neutiquam verò illud הוא Genes. 3: 15. cum Pontific. juxta Versionem Vulgatam de muliere sumendum, ac si esset היא [uti & CALMETUS in illum loc. facit] eò tendentibus, ut commodè ad Mariam Virginem trahi possit &c. Debuit verò nec serpens suò destitui semine, quod sunt impii, qui in Scriptura sæpè sub imagine vel emblemate (sch. 3. §. 172.) serpentis veniunt, vid. Es. 14: 29. 27: 1. [licèt paulò aliter quoad priorem locum Cel. BOCHARTUS *Hieroz. P. II. Lib. 3. Cap.* 10. col. 405. 406.] ac iis, quæ de serpentibus prædicantur, attribuntur Ps. 72: 9. Mich. 7: 17. [scil. dùm humi repunt serpentes, non possunt, quin pulverem simùl cum aliis cibis in os ingerant; interim hic & aliorum animalium putatur cibus; prout notat idem Vir Magnus ibid. *P. I. Lib.* 1. *Cap.* 4. col. 27.] hinc & in libro *Sohar* impii dicuntur filii serpentis antiqui, uti monet SCHOETGENIUS *Hor. Tom.* 1. ad Joh. 8: 44. Messias adeò debuit esse, qui diabolum ligaret Matth. 12: 29. unde in *Sohar* & *Tikkune Sohar* Messias dicitur Satanam in infernum præcipitaturus, serpentem occisurus, id. Vir. Cel. *Tom.* 2. *Lib.* 7. *Cap.* 2. §. 22. Vid. autem de πρωτευαγγέλιο hocce præter plurimos alios Rev. piæ mem. LAMPIUS, ubi prolixè Gnadenbund *Tom.* 2. *Cap.* 14. conf. etiam SHERLOCK p. 63 - - 85. qui & p. 74. vult, Deum serpentis condemnatione [ostendendo eâ auctoritatem suam supremam] occurrere voluisse pernicioſæ illi opinioni de principio quodam malo, quod Ipsi potentiâ ac Imperiò æquale; & quòd illam primi Parentes tali sensu ac scopò acceperint, patere ex Jiob. 12: 16. ubi dicatur, in Deo esse *potentiam ac intelligentiam, ad Ipsum* pertinere hominem *seductum, & Seductorem &c.* Prima hæcce promissio adeò erat

erat ac rectè dicitur magna illa misericordiæ Dei declaratio post lapsum &c. ùt præter alios idem Vit D. p. 84., ac dixit exinde hauriri posse genuinam notionem primæ periodi Prophetiæ, ubi evidentia Oraculorum accommodata fuerit necessitati hominum &c.

Sch. 2. Occurrit dein eò pertinens præter illud Lamechi Gen. 5 : 29. [ante diluvium] quod se ad consolationem è prima promissione contra lapsûs sequelas referebat, Noachi Oraculum 9:26. 27. [post diluvium] scil. »Noé [sunt verba Viri modò laud. p. 120. 121.] prévit, qu'une plus grande benediction --- & même »l'alliance, qui devoit rendre l'homme à lui-même & »à son Créateur seroit communiquée au Monde par le »Ministére d'un des Descendans de Sem. »

Abrahamo dein doctrinam illam salutarem simùl cum cognitione naturali repeti confirmarique valde erat necesse, eò quòd post diluvium vera de Deo cognitio sensim extincta, idolatriâ invalescente, unde ne idem & in Abrahami familia contingeret, Deus eum ex Ure [ubi degebat] evocabat Gen. 12 : 1. 5. 6. cognitionem quoque de Messia amplificabat, indicando, quòd è prosapiâ ipsius oriturus esset 18 : 18. conf. Gal. 3 : 8. in quem loc. uti & vers. 16. vid. Cel. SURENHUSIUS ספר המשרה p. 567. 568. &p. 573--576. add. etiam eruditiss. SCHOETGENIUS *Hor. Tom.* 1. ad ea loca. Abrahamo adeò promissionis fiebant & temporales Gen. 12 : 7. 15 : 18. 17 : 2. 5. 6. & spirituales 12 : 3. vid. SHERLOCK *disc.* 5. p. 126. seq. ubi p. 132. » aprés avoir fait l'énumeration des »benedictions temporelles, qui devoient passer de »ce Patriarche à ses Descendans, Dieu en ajoute »une, qui interessoit tous les hommes, & qui leur »seroit transmise par ce même Patriarche & sa po»steritè Gen. 12 : 3. --- quelle fut l'idée, qu'Abra»ham se fit de cette promesse ? je suis assuré, qu'il »ne pouvoit pas l'entendre dans le sens, qu'y ont »attaché ses Descendans, qui espérent, en consequen»ce, de devenir les Maîtres du Monde -- en effet, »quelle étrange benediction pour toutes les Nations, »que celle, qui les feroit décheoir de leur liberté na»turelle &c.

De

De hocce Patriarcha aliâs, quæ Scriptura habet, vid. prolixè & eruditè discussa ac elucidata ab HEIDEGGERO *Hist. Patriarch. Tom.* 2. *Exerc.* 3. etiam *Exerc.* 5. quæ est *de bello pentapolitano:* qui & quoad locum, unde evocatus, judicat intelligendum esse Ur Mesopotamiæ [in via è Tigri Nisibin] non verò Ur Babyloniæ *Exerc.* 3. §. 5. hinc etiam tenet, כשדים non tàm esse nomen proprium Gentis, quàm appellativum, hariolos notans, quos Hebræi à שדים *dæmonibus* denominatos velint, de quibus & Dan. 2: 2. 5: 7. porrò posteriorem Uram [Ourien] ab EUPOLEMO apud EUSEBIUM *præp. Evang. Lib.* 9. *Cap.* 17. nominari καμαζήνην à כמרים [cui & chaldæum respondeat] *atratos* notante, id est, Sacerdotes Magosque. Cæterum Abrahamus & quædam cum eo gesta etiam Scriptoribus Gentilibus [Magni nominis licèt, tamen non sine falsis admixtis] memorantur; loca eorum [deperditorum postea] per citationes & allegationes JOSEPHI & EUSEBII ad nos ùt fragmenta pervenere; vid. hic posterior *Lib.* modò cit., ubi *Cap.* 16. & ipsum allegat JOSEPHUM producentem BEROSUM [illustrem Historicum Babylonicum, temporibus Ptolomæi Philad., res eas seu Chaldaica vel Assyriaca tribus libris complexum, etiam Medica; illa dicantem Antiocho Soteri aut filio ejus θεῷ, ab Athenienſibus statuâ honoratum; quo de VOSSIUS *Hist. Græc. Lib.* 1. *Cap.* 13. tot., conf. autem & CLERICUS *ind. Philol.* ad Stanlejum] HECATÆUM integri voluminis de eo Auctorem [Abderitam scil. cum Alexandro M. nutritum, & cum Ptolomæo Lagi commoratum, nec verò Milesium multò antiquiorem; Liber illius de Abrahamo pars fuisse videtur Historiæ judaicæ, in qua Religioni Judæorum adeò favit, ut dubitaretur, num genuinus sit ipsius fœtus, vid. idem Vir Magnus ib. *Cap.* 10. p. 51--53.] *Cap.* 18. ex ALEXANDRO POLYHISTORE ARTAPANUM [incertæ ætatis Historicum, uti paucis de eo idem celebratiss. Vir *Lib.* 3. p. 334.] *Cap.* 19. ex eodem MELONEM &c.

Promissiones Abrahamo factæ Isaaco & Jacobo repetitæ ac revelationes continuatæ fuêre, 26: 4. 28: 14. vid.

vid. iterum SHERLOCK p. 131. seq. ubi p. 134. notat promissionem benedictionis Ismaëli factam Gen 17: 20. neutiquam esse uti illam Isaaco factam v. 19. 21. communem omnibus populis, seu ad hos perventuram; ut præcipuus articulus promissorum Isaaco adstrictorum fuerit illa benedictio universalis transmittenda per ejus posteros ad totum genus humanum; hanc Esavum vendidisse [nec solùm jus temporale, cùm à Patre æquè ut frater apprecationem benedictionis temporalis tulerit 27: 39. 40.] & propterea profanationis argui Heb. 12: 16. etiam falsitatem interpretationis ostendit quoad illam benedictionem, ac si solùm ferret, Nationes sibi invicem apprecaturas, ut Deus quamlibet æquè magnam reddat ac Abrahami posteritatem; quasi verò dignum fuerit pactô illô æternô nonnisi proverbialem stabilire locutionem! aut ac si non ab Ismaële loquendi ratio potius tunc desumi potuisset: cùm per ipsum imperia fuerint fundata majora &c. p. 142. Quæ ergò hisce Patriarchis fiebant promissiones, referebant se ad proteuangelium, & id per illas eleucidabatur, ut satis perspicitur; adeòque quòd in illorum posteritate aliquando esset implendum oraculum protoplastis factum de victoria seminis mulieris &c. uti & notat p. 143.

Addimus adhùc quoad Jacobum, tùm quòd cognoverit Deum Patris sui ac per Eum juraverit 31: 53. tùm quòd moribundus egregium protulerit de Messia è Judæ filii sui stirpe prodituro vaticinium Gen. 49: 10. in quod complures extant Virorum Doctorum commentationes, ac notissimæ illæ ALTINGII, WAGENSEILII &c. vid. autem HEIDEGGERUS *Lib. cit. Tom.* 2. *Exerc.* 23. *Sect.* 4. jungatur quoque præter SHERLOCKUM *Diss.* peculiari de eo Lib. cit. p. 286 - - 343. Commentarius ille recens publicatus: *La Sainte Bible - - - avec un Commentaire literal, composé des Notes - - - des divers Auteurs Anglois.* Totam verò reliquam Isaaci & Jacobi historiam prolixè ac eruditè elucidat id. HEIDEGGERUS ראשי אבות *Tom.* cit. *Exerc.* 11. 13 - - 18. tacemus autem Translatoris Wertheimensis παφεφμηνείαν oraculorum hujus ætatis satis è dictis dijudicandam.

Hîc & commemorari potest, ut hùc pertinens, Jiobus,

bus, Vir pius, ob patientiæ, fidei &c. specimina; item alia celebratus, qui probabiliter vixit intervallô à Josephi morte usque ad exitum ex Ægypto, Utzitidis vel Ausitidis [Arabiæ desertæ, non verò illius Syriæ aut Idumææ] incola; ut pluribus [qui historiam Jobi Orbi erudito discussam exhibuit, ac reliquis palmam præripuit] SPANHEMIUS *Cap.* 3. ubi *de Patria Jobi*, & *Cap.* 6. ubi *de ætate* ejus; qua de, seu antiquitate historiæ Jobi conf. & JOH. ROD. GRUNERUS *Observ. miscell.* &c. Bernæ 1732. *Thes.* 10. Quòd enim, quæ de eo in libro ab ipso denominato commemorantur, verè gesta fuerint, satis probatur, quiâ mentio illius fit Ezech. 14: 14. Jac. 5: 11. item ab ARISTEA, quem producit ALEXANDER POLYHISTOR [celebratus ille librorum innumerorum, omnium verò deperditorum Scriptor, Alexander *Cornelius* etiam dictus, quiâ captus à Cornelio Lentulo &c. sive Miletô sive Cotyæi Phrygiæ oriundus; Romæ fuit Syllæ temporibus; & cui Plinius multa debet &c. vid. de eo GER. J. VOSSIUS *de Hist. Gr. Lib.* 1. *Cap.* 22. p. 144-146.] apud EUSEBIUM *præpar. Evang. Lib.* 9. *Cap.* 25. qui eum δίκαιον καὶ πολύκτημον appellat, à Deo per graves calamitates exploratum; nec negotium facessere debet, quòd PAULO Heb. 11: non memoretur, nec etiam JOSEPHO nam illic nec v. gr. Josua ac Elias memorantur, præterquàm quòd & implicitè mentio fiat v. 34. hic verò res solùm Judæorum non autem extraneorum narrare voluit; vid. laud. Vir Cel. *C.* 1. ubi *veritatem historiæ* Jobi adstruit; qui & porrò satis probabiliter genus deducit vel à Nachore fratre Abrahami [cujus filii Utz, Buz, Chesed, Gen. 22: 21. 22.] vel Abrahamo ipso, nempe ex Kethura, de cujus filiis & nepotibus Gen. 25: 2. 3. *Cap.* 5. ubi *de Jobi genere*.

Libri verò ac ipso denominati materiam amicorum ejus unum [de quorum origine, sede, ætate, propagatione doctrinæ Abrahami ad eos Vir longè doctiss. *Cap.* 11. & quos ARISTEAS l. cit. Regis ac Tyranni titulo honorat] in adversaria retulisse, indeque Hebræum quendam circa Davidis aut Salomonis tempora librum concinnasse judicat *Cap.* 12.

In eo jam libro insignis occurrit locus fidem Jobi de Messia beneficiisque ab hoc redundantibus ostendens 19:

25, 26.

25. 26. licèt cum inter Judæos vix ab uno aut altero tangi notet Vir in Scriptis eorum versatissimus CHR. SCHOETGENIUS *Hor. Tom.* 2. *Lib.* 2. p. 250. imò & in genere quoad Jobum Judæos [Veteres] Messiam quod attinet, tam mutos esse ac pisces moneat ib., unde ex libris eorum loca à recentioribus expuncta conjicit; interim locô illo satis patet גאל esse Messiæ nomen, ut V. D. etiam *Lib.* 1. *Cap.* 1. p. 24. ac Interpretem Chaldæam vetere observat per פריק *Redemtorem*, uti & in Midrasch *Echa Rabbathi* Messias nominetur Judæorum redemtor; quòd porrò Messias vocetur אחרון, esse antiquæ Judæorum Theologiæ, in qua duplex occurrat Goël, prior Moses & posterior Messias, p. 250. vid. interim quoad oraculum illud LAMPE *T.* 2. *C.* 20. & conf. quoque ac dijudicentur, quæ SHERLOCK *Diss.* 2. annexa tract. cit. p. 256--276. ubi adhùc notamus, quòd Vir hicce Doctus ead. hâcce *Diss.* [quæ est *des idées des Juifs avant Jesus-Christ sur la chûte d'Adam*] perspicaciter in libro Jobi inveniat allusiones ad lapsum primi hominis, vel commemorationem ejus ac sequelarum illius; ita [præter locum illum 12: 16. jam (sch. 1.) memoratum] 20: 4--7. ubi vers. 4. vertendum vult: *inde à quo Adamus in terra fuit locatus*, vid. p. 239--241. item Cap. 31: 33. reddendo: *Si occultavi transgressiones meas ùt Adamus*; sic quoad formationem serpentis 26: 13. ib. V. D. p. 242. seq. quod sequelas lapsûs inspici vult v. gr. 14: 1-4. 15: 14. 25: 4. præterea idem V. D. solerter judicat, librum huncce conscriptum, fuisse, ut munimenti locô esset contra antiquam illam ac noxiam de principio malo independenti opinionem, eam ferire loca 1: 21. 2: 10. 9: 4. 12: 16. 26: 13. vid. p. 236. seq. 242. seq. Cæterùm quæ ad historiam Jobæum pertinent, vindicandam ac & illustrandam, concinnè complexus etiam est CHRIST. GOTTL. EICHLER *Meletem. Academ.* Lipsi. 1744. ubi Recentiorum præcipuè observationes exhibet.

Prætet doctrinam revelatam autem pii hujus ætatis etiam noscebant, ipsisque cum reliquorum revelatione simùl indicabantur, hinc confirmabantur Religionis naturalis articuli, de Deo Creatore, Virtutibus Ipsius, officiis

officiis erga eum ac aliis &c. vid. Genes. 14: 19. 22. 15: 13. seq. 16: 13. 18: 25. 27. 21: 33. 22: 8. 12. Job. 12: 7. seq. 22: 12. seq. 25: 2. seq. 26: 6. seq. 34: 10. seq. &c.

Sch. 3. Apparitiones adeò, per quas doctrina de Liberatore [uti & reliqua rerum Divinarum cognitio] membris Ecclesiæ hôcce tempore nota fiebat, pertinebant inter revelationis modos, & quidem externæ; uti & præterea erant internæ (רוח הקדש) de quibus utrisque aliquid (sch. 1. §. 121.); ac insuper traditiones Majorum, undè præcipuè factorum cognitio; uti & triplicem hanc cognitionis revelatæ viam ante Legem constituit SPANHEMIUS *Hist. Job. Cap.* 10.

Et ad apparitiones quidem, ubi Filius Dei ad tempus corpus visibile [quod creaturæ vim superat, uti monitum] (sch. 1. §. 551.) assumsit, incarnationi futuræ (§. 878. seq. 884. seq.) ita præludens, & de quibus è PHILONE ac antiquissimis Judæis ALLIX **Ausspruch der alten Jüdischen Kirchen, &c.** *Cap.* 13. jam incipiebant eæ in paradiso, primâ salutaris doctrinæ annunciatione; unde & Judæi » Messiam » in paradiso [sunt verba Cl. SCHOETGENII *Hor. Tom.* 2. *Lib.* 4. *Cap.* 2. p. 438.] » protoplastis præsen» tem fuisse - - sat clarè docent, dicentes: eosdem » fuisse במחנה השכינה *in castris Shekinæ*; » quam in rem locus in *Bammidbar Rabbah &c.* etiam alia adhuc in paradiso gesta volunt in præsentia ac auxiliô Shekinæ; sic & quòd post lapsum vox illa in horto fuerit Shekina, p. 439. porro in Henochi translatione Messiam partibus suis functum esse *Targum* [JONATHANIS & *Hieros.*] volunt, sic quæ circa Noachum gesta Verbo Domini tribuunt, p. 440. &c.

Abrahamo deinceps apparebat Shekina Gen. 18: 1. seq. siquidem hic unum è tribus illis Viris אדני compellaverat v. 3. & seq. appellatur יהוה v. 13. 14. qua de apparitione vid. HEIDEGGERUS *tom.* 2. *Exerc.* 8. §. 1--8. contra Translatorem Wertheimensem, angelum creatum intelligentem, vindicat REIZIUS p. 22. seq. ipsi siquidem & Judæi Veteres de Shekina, Verbo Domini, Michaële sumunt, ita

Targum, *Sohar*, *Bereschit Rabbah*, notante SCHOETGENIO p. 442. & quæ circa Abrahamum evenêre, illa Genes. 15: 16. 17. Cap. Targumistæ Verbo Dei tribuunt; ut nil dicamus quoad eversionem Sodomæ, historiam Abimelechi, item Gen. 21: 20. 22: 1.

Eædem apparitiones fiebant Jacobo, sic ubi scalam per somnium videbat 28: 12. qua de vid. laud. HEIDEGGER *Exerc.* 16. item ubi luctatus legitur cum Viro 32: 24. seq. vid. id. V.D. *Exerc.* 17. [qui & in genere probat, Filium Dei fuisse, qui ad Patriarchas sit locutus, *tom.* 1. *Exerc.* 3. §. 12. seq.] quam luctam Judæi Michaëli Archangelo attribuunt, monente SCHOETGENIO ubi modò *Cap.* 3. ubi *gesta Messiæ temporibus Isaaci*, *Jacobi & Josephi*; ac post loca prolata tandem ita » hæc certè simùl sumta osten- » dunt, hunc Michaëlem non nudum fuisse angelum, » sed ipsum Messiam; & hæc fuit fides Ecclesiæ an- » tiquæ & purioris; sequiorum temporum Rabbini » hanc veritatem variis additionibus interpolarunt, id » quod tamen ipsi non præjudicat. » Apparitionem 35: 9. eosdem Judæorum libros, qui illam 18: 1. seq. [de qua modò] de Messia sumere monet id. Vir Cel. ib. p. 442. non prætereundum tandem quoque est illud Jacobi de Deo angelo tutelari suo 48: 15. 16. in quem locum vid. peculiaris ALLIXII *Diss.* subjuncta ejus Tract. sæpius laud.

Quod ad traditiones Majorum, seu oralem propagationem doctrinæ, hæc quòd & quomodo commodè tunc fieri potuerit, jam indicatum (seh. §. 127.); nimirum ita longævi poterant v. gr. Adamus narrare Facta & Capita revelata Methusalemo, quin Lamecho, cui adhuc superstes; hi Noæh filiis, Noachus Abrahami Parentibus, Semus Abrahamo, Isaaco superstes poterat res fideliter tradere &c. Longævitatis autem hujus [præcipuè ante diluvium obtinentis] rationes V. D. variè reddiderunt: v. gr. eruditiss. SHUCKFORD Harm. der Heil. und Profan-Histori, *Vol.* 1. *Lib.* 1. p. 21 -- 24. Cœli præcipuè aëriisque clementiæ illam tribuit, nondum per æquinoctii mutationem vicissitudinibus humorum in corpore humano temperiei partiumque conservationi funestis insecutis; Auctores verò amplissimi operis de

l'Histoire

l'*Histoire univers. Lib.* 1. *Cap.* 1. *Sect.* 7. p. 185. verosimile tenent, præcipuam rationem longævitatis hominum tunc fuisse puritatem aëris respirati, nondum adhuc noxii, uti posteà factus [quo de & WHISTONUS *nov. tell. theor. Lib.* 3. *Cap.* 3. p. 326. seq. Version. germ. & *Lib.* 4. *Cap.* 3. p. 438. 441.] unde homines paulatim privaverit robore corporis nativô; licèt non ita facilè explicari posse videant, quomodo diluvium aërem ita inficere potuerit; saltem in temperantia & simplicitate Victûs rationem longævitatis non inveniri: cùm hodiedum illa nequidem ad annos 100. vitam perducat; non in excellentia fructuum: cùm maledictio jam post lapsum in eos pronunciata fuerit; nec in vigore ac robore principiorum, unde corpora tùm composita: cùm & Semus, ante diluvium natus, tamen vitam non ita produxerit &c. vid. autem & HEIDEGGER *tom.* 1. *Exerc.* 14. Interim id monendum, etsi & causas naturales eò contribuisse statuatur, tamen non minùs gubernationi Dei ac regno gratiæ subministräri, per (§. 657. & sch. ib. §. 669. & sch. 1. 2.). Ex hacce longævitate hominum ejus temporis Auctores de l'*Histoire univers. Lib.* 1. *Cap.* 7. *Sect.* 7. p. 181. comprehensibiliter ostendunt, quotuplô majori hominum numerô ac hodiedum terra tùnc instructa fuerit: cùm æquè citò maturi fuerint ad generationem, & per aliquot annorum centurias perrexerint; quo de & jam ante Vir eruditione non minùs quàm ingeniô præstantissimus, WHISTONUS *Lib.* 3. *Cap.* 3. p. 318-- 325. etiam retentâ textûs hebræi chronologiâ terram ante diluvium [uti hodiedum quinquies plus incolarum sustinere posset] è contrà tùm centies plus sustinuerit oportuisse; fertilitate terræ accommodata [quàmvis jam per lapsum fuerit valde diminuta] ac animantium numerô hominibus proportionatô, p. 325. 326. vid. quoque *Lib.* 4. *Cap.* 3. p. 425. seq. ubi &, quòd carne ante diluvium vesci non sint soliti homines, tenet: cùm & sanitati non conducat p. 440.

Addimus nonnisi, quòd longævitatem hominum seu primævorum seu antiquissimorum attestentur [traditione haud dubie antiquitus acceptâ] etiam profani Scriptores: saltem citat eos [deperditos autem omnes] licèt verba non apponat, JOSEPHUS *Antiq.*

I. *Cap.* 3. §. 9. p. 17. 18. edit. Haverc. ac repetit inde totidem verbis EUSEB. *præp. &c.* IX. *Cap.* 13. ubi tanquam συμφωνέντες τοῖς λεγομένοις nominant MANETHONEM, BEROSUM, MOCHUM, [Eusebius Molum legit] Scriptorem rerum Phœniciarum, eâdem hâcce linguâ, incertæ ætatis VOSSIO *Hist. Græc. L.* 3. p. 390. 391. HESTIÆUM, HIERONYMUM Ægyptium [rerum itidem Phœniciarum Scriptorem, ab Antigono Asiæ Rege Syriæ Phœniciæque Præpositum, vid. id. Vir Cel. *Lib.* 1. *Cap.* 11. p. 63. 64.] HESIODUM, ubi verò Vir Maximus legendum vult Ἰσίδωρον *Cap.* 10. p. 54. qui Characenus exempla longævorum in Historia sua attulerit, licèt incertæ ætatis, *Lib.* 3. p. 381. HECATÆUM, HELLANICUM [qualis autem duplex, scil. vel Mitylenæus seu Lesbius 12. annis Herodotô prior, vel Milesius, incertæ ætatis &c. id. Vir Summus *Lib.* 1. *Cap.* 1. p. 8. & *L.* 4. p. 448--451.] ACUSILAUM Argivum, Cabæ filium, qui paulò ante Persarum adversus Græcos expeditionem vixerat, ib. *Lib.* 1. *Cap.* 1. p. 5. & *Lib.* 4. *Cap.* 2. p. 436. EPHORUM Scriptorem Clarissimum, Cumis Æolicis oriundum, tempore Philippi Macedonis, Isocratis discipulum &c. vid. *Lib.* cit. 1. *Cap.* 7. p. 35--37. Tecemus reliqua JOSEPHI.

Sch. 4. Ad cognitionem hominum ejus ætatis quòd porro attinet, tribuuntur iis quædam apertè falsa, uti Scripta illa Enocho, Abrahamo &c. item & studia, vid. quædam de hisce apud HEIDEGGERUM *tom.* 1. *Exerc.* 10. & BUDDEUM *Hist. eccles. V. T. tom.* 1. p. 131. 132. 325--330. Nec etiam fidem [eruditorum judiciô] merentur columnæ illæ decantatæ Sethi, quas hujus posteros duas statuisse ac inventa sua iis inscripisse JOSEPHUS memorat *Ant. L.* 1. *C.* 2. 3. seu p. 11. edit. Havercampi, addens, illarum alteram suo adhuc tempore superstitem fuisse in terra Seriath vel σιριάδα, uti in edit. laud. legitur, conf. autem quoad hancce lectionem subjectæ ibid. annotationes [quam terram autem & Eruditis invenire difficile erat, vid. STILLINGFLEET *Orig. S. Lib.* 1. *Cap.* 2. p. 69. ubi Is. Vossium adducit, existimantem, fuisse Sehirath Jud. 3 : 26. valde id probante HUETIÔ *demonstr. Ev. prop.* 4. *Cap.* 2. §. 14.] de columnis autem illis

illis quædam & SHUCKFORD *Lib.* 1. p. 31. 32. edit. germ. Delabimur hâc occasione hîc ad artem scribendi: quippe quæ & itidem inter cognitionem illam, de quâ hîc, pertinet; circa quam, ejus originem, inventores &c. magna opinionum [certi enim quid de re facti ideò remota afferri nequit &c.] discrepantia; lubet autem adducere Cl. SHUCKFORDUM, eruditioni subacti judicii cogitata in opere suo jungentem, qui de hac materia *Vol.* 1. *Lib.* 4. prolixè satis. Et ad tempus quidem, quô scribi cœptum [aliquô saltem modô scil. ac ruditer] id jam ante diluvium fuisse tenet p. 154. uti sane rationes haud contemnendæ afferri possunt, vid. etiam doctiss. GRUNERUS *Observat. miscell.* Bernæ 1732. *thes.* 1. interim non existimandum esse, homines mox initiô Mundi, postquam tentarint ac & sciverint cogitationes loquelâ patefacere, etiam sciviſse verba per figuras [literas] notare, sonos visui objicere per Alphabetum 16. aut 24. literarum diversimodè componendarum: id transcendere ingenii humani vim, quantacumque etiam aliâs concipiatur, p. 156. 157. benè inde teneri ab initio scriptum esse sine literis Alphabeti, ac primas literas in nudis nonnisi ductibus [sicuti omnia inventorum initia exigua admodum] constitisse, per quos pro lubitu totam aliquam actionem propositionemve notarint hominis: sicuti nempe homines loqui incipientes tantùm opùs habuerint statuere pro lubitu, per quemnam sonum rem aliquam designare velint, ita & quoad scribendum, per quasnam figuras res ipsas actionesve notare velint, sine omni proposito sonum ipsum notandi, p. 158. 159. ut inventores syllabas non respexerint, sed juxta syllabas scribere ac Alphabetum paulatim introducere sumserint demum homines, ubi lingua itidem paulatim perficiebatur, proprietates vocum ex omni parte considerabantur, ac perspiciebatur, quòd species sonorum ad eas exprimendas requirantur. Ejusmodi signa vel literas cum ductibus illis convenientes apud nos adhùc esse notas numerales 1. 2. &c. item notas Planetarum; tales characteres, qui res ipsas, actiones, earum diversitatem &c. denotent, non autem sonos, syllabas. Sinis adhùc in usu esse. Dum itaque primitus cogitata & res per imagines repræsentabantur, scriptu-

ra tùnc seu τὸ scribere erat pictura quasi, sive jam hæc arti scribendi ansam præbuerit, uti & tenet HERM. HUGO *de prima scribendi origine &c. Cap.* 3. sive non, aut vice versâ; saltem scribendi rationem per picturas [qualis adhùc apud Mexicanos obtinet] non satis commodam esse facilè patet; cùm ad pauca repræsentanda mox prolixitatem postulet; unde homines & præcipuè Ægyptii [uti hæc suppeditat eruditiss. itidem Anglus WARBURTONUS Libro *de Divina Moſis legatione*, proùt recensetur Diariô Eruditorum german. zuverläßige Nachrichten *tom.* 25. 1742.] scribendi eum modum perficere ac picturas in determinata commutare signa sibi sumserunt: v. gr. ut una præcipuarum circumstantiarum rem ipsam totam indigitaret, sic pugna repræsentaretur per duas manus, quarum una arcum, altera scutum teneret, aut aliâ ratione oculus cum sceptro notaret Imperantem &c.

Aliter scriptionem perfecisse homines, dùm locô picturarum signa quædam abbreviata receperint, uti Sinæ, quorum scriptura non sit nisi abbreviata ac emendatior scriptio hieroglyphica; hieroglyphicâ scriptione usos esse Ægyptios quoad Leges ac Rempublicam, occurrere eam in ita dictis obeliscis, antiquæ illorum Sapientiæ solis monumentis &c. tandem delapsos esse ad ipsas literas alphabeticas, ac ita maximè scripturam perfecisse; ut quadruplex fuerit eorum scriptio, de qua ùt aliis eruditissimè Vir hic laud.

Tales characteres alphabet. non diu post dispersionem è Sinear adhiberi cœpisse existimat SHUCKFORDUS p. 164. cùm monumenta Astronomiæ chaldaicæ eò ferè pertingant &c. ad eorum inventionem manuductos esse homines, ubi nova multa novis rebus nomina imposuerint [majora molientes, nec ampliùs ita simplicem agentes vitæ rationem], unde confusio linguarum paulatim orta, monosyllaba linguæ primævæ in voces diversæ longitudinis addendo: lingua scil. hebræa, quæ primò nonnisi monosyllabis constiterit, ubi his combinatis, polysyllaba nacta fuerit, id ostendisse, quòd & quomodo soni indigitari possint per characteres quosdam, qui illos nec ampliùs res designent: ex. gr. si ponatur, vocem de novo factam esse קשה, & characterem antiquum קש repræ-

sentantem

sentantem [rem scil. seu *stipulam*, non autem syllabam] esse 8. & ש *gaudere* itidem 8. tùm id, ubi quis inspexerit, potuisse cogitationem injicere, quemlibet illorum characterum [8. 8.] in voce ex utroque composita locô syllabæ stare [licèt priùs, quemlibet seorsim videns, id non animadvertisset] siquidem duo combinati planè aliud quid notent, ac prius quilibet seorsim; inde attendere oportuisse, è quôt sonis seu syllabis voces usitatæ compositæ sint, quod homines induxerit ad tòt characteres formandos, quòt syllabas formare potuerint, atque ita rectà ad Alphabetum duxisse; p. 165. Cæterùm V. D. Assyriis gloriam inventionis talium literarum tribuit, quia Sinear propinqui p. 152. &c. Non addimus, quod de *Alphabeto naturæ* quidam, cujusmodi dicitur, quod naturæ loquens in ipsis loquendi instrumentis, quæ sunt os, palatum, lingua, dentes, labia, præformavit, è quo cætera per varias mutationes depravata, vestigiis ejus naturalis Scripturæ in omnibus linguis deprehensis; quod adeò primum in Orbe: dùm homo Divinus, qui literas invenit, eam Formam, quæ cuivis sono naturalis est, servare voluerit &c. relinquimus talia cogitata aliorum judicio, recensentur autem *Act. erudit.* Lipsi. 1743. Januar. p. 40--48. Reliqua circa scribendi artem commemoranda ad secundam Ecclesiæ ætatem pertinent.

1364. Malè ideò Sociniani, & qui eos sequuntur, volunt, homines hujus ætatis Liberatorem & salutem per Ipsum non cognovisse, contra clara Scripturæ loca Joh. 8: 56. Gal. 3: 6. 8. 16. promissionem primam in paradiso obscuram dicentes, ac de inimicitia naturali homines inter Serpentesque bestias explicantes; aut & nonnisi minas hominibus ejus ætatis denunciatas contendentes. *Aberratio Socinian.*

Sch. 1. Socinian. sequitur quoque Translator Wertheimensis in exponendo oraculo primo; contra quem vindicat REIZIUS *Observ. ad Pentateuchi quæd. loc.* Wittenb. 1736. p. 9. seq. Quæ autem quoad obscu-

obscuritatem oraculi illius objici possunt [tum ab anti-Scripturar. tum Socin. &c.] levat ac breviter tollit SHERLOCK *Usage & fins des Propheties &c. Disc.* 3. p. 76. seq. ubi monet, qualiscumque etiam obscuritas fuerit ac teneatur illius, tamen suppeditasse sufficientem spem ad Religionem tùm conservandam, quod fuerit scopus Dei; audiatur autem & ipse p. 78. » elle n'a d'obscurité, que dans le points, que Dieu » ne trouva pas à propos d'expliquer alors, & qu'il » n'étoit pas même necessaire, qu'on connut dans ce » tems-là. Il y avoit, comme vous voyez, une » raison manifeste de donner la Prophétie, & la Pro- » phétie est claire, autant que cette raison le deman- » doit; elle n'est obscure que là, où il n'y avoit » point de raison de la rendre evidente &c. vid. plura apud ipsum p. 80. seq. & sufficit, quòd sensu literali non potuerit intelligi à protoplastis ob rationes (sch. 1. §. 1363.), & quòd verus ejus sensus metaphoricus [qui sæpissimè usitatior literali ac per se audienti se offert] in antiqua Ecclesia Judaica fuerit conservatus (ib.). Quod porro ad cognitionem sequentibus temporibus de Messia, locus Joh. 8: 56. certè clarè probat eam Abrahami, quam per apparitiones etiam præprimis habuit; vid., qui aliquid de h. loc. SHUCKFORD *Vol.* 1. *Lib.* 5. p. 192 - 194. quocum etiam combinari benè potest subacta Cl. WERENFELSII explicatio h. l. *Opusc.* p. m. 315 -- 317. nimirum stylô Scripturæ diem Domini indigitare tempus, quô Dominus velit Opus quoddam singulare efficere; Servatoremque tunc Opus illustre effecisse [unde simul apparitio ejus involvatur] super quo Abrahamus ùt sibi facto gavisus sit; vid. autem quoque in eum loc. quæ doctiss. FISCHERUS nostras Theol. und Philolog. Anmerck. p. 131 —— 142.

Socin. hominibus primævis minas nonnisi à Deo denunciatas volunt, quò Deus ostenderet, se homini nil debere, verùm esse absolutissimum Dominum &c. quasi verò per promissiones gratuitas Deus se non æque talem ostendisset? aut benignitati Dei id conveniret, & minæ per eam non involverent etiam oppositum? certè Gen. 4: 7. non solùm comminatio verùm & promissio continetur: *si benè egeris*, שְׂאֵת exaltatio,

exaltatio, vid. HOORNBEK *Socin. conf. Tom.* 2. p. 286. quæ & ex Ratione seu Natura constant Rom. 2: 7. Heb. 11: 16. etiam Adamus post lapsum uxorem appellans חוה Gen. 3: 20. *Matrem viventium*, non respexit vitam naturalem: aliàs potiori jure ante lapsum illam seu appellasset; spiritualiter viventes ideo juxta promissionem factam indigitabat, auctoremque vitæ hujus; conf. HEIDEGGERUS *Tom.* 1. *Exerc.* 3. §. 82. & *Exerc.* 4. §. 5, 6. Ex Enochi in cœlum assumtione Socin. quoque vitæ æternæ promissum factum esse colligi non posse volunt; at verò factum id promissi illustris declaratio ac exhibitio fuit: dùm enim modò extraordinariò contigit, homines inde satis edocebantur, Deum pios remunerari vitâ cœlesti, consequenter eam promittere; de raptu aliàs Enochi ex instituto HEIDEGGER ib. *Exerc.* 9. Sic & locum Heb. 11: 10. non indigitare spem ac intentionem Abrahami contendunt iidem, nec nisi eventum rei; at verò clarè verbum ἐξεδέχετο Abrahami expectationem stabilit; uti & v. 16. voces κρείττονος ὁ ῥηγονται, vid. HOORNBECK loc. cit. p. 338. seq. ratio asserti autem Socin. indicata in addend. ad (sch. §. 917.).

Sch. 1. Remonstrantes etiam ad Abrahamum usque merè naturalem fuisse Religionem contendunt, vid. HOORNBECK, ubi modò; at licèt omninò tùm ignorata fuerint, quæ patefieri circumstantiæ nondum admittebant, nec Ecclesiæ necessitas exigebat, uti Liberatoris stirps, tempus, Regnum &c. præter primam promissionem [quâ Messiam indigitatum fuisse nec ipse diffiteri prorsus audet EPISCOPUS, vid. Vir laud. p. 298.] Fides hominum ejus ætatis non paucorum PAULO Heb. 11: 4. seq. celebrata satis hancce refellunt sententiam: Fides enim non potest non niti promissione Dei, consequenter revelatione; & τῶν ἐλπιζομένων ὑπόστασις ac subjecta materia innuunt persuasionem de veritate eorum, quæ promissa: aliàs enim non sperarentur; licèt Fides alibi quoque judicium certum designet, Rom. 14: 22. 23. quo de (sch. 3. §. 1165.). Præterea illam refellunt apparitiones & declarationes expressæ Noacho factæ Gen. 8: 21. 9: 12. 17. Hùc & facerent ea, quæ eruditiss. SHUCKFORD [uti observationes

egregias è proprio penu solet afferre] differit, ut probet, Religionem revelatam priorem semper fuisse naturali, vid. *Lib.* 2. p. 54. 55. &c. *Lib.* 5. p. 187. seq. p. 236 —— 239. præterea & animô tenenda brevitas Historici MOSIS (sch. §. 180.). Mirum autem videri potest, Remonstrantes pietatem hominum hujus temporis adscribere Rationis præscripto: quià tunc oporteret esse residuum imaginis Divinæ; at hanc extenuant (sch. 1. §. 706.).

Cultus Ecclesiæ tempore primô.

1365. Ubi cognitio Dei ac Liberatoris, ibi & Cultus, per (§. 51. 53.), hinc 2. [quod requisitum alterum veræ Ecclesiæ] (§. 1319. 1363.) *homines hujus ætatis Deum coluêre tàm juxta rectæ Rationis præscriptum, quàm juxta revelationem, & juxta utramque internè ac externè:* [cùm *utrumque id Deus etiam non potuerit non postulare:* Gen. 17: 1.] per (§. 1163. 1171. 1174.); Deum quippe ùt Auctorem rerum omnium, qui æternus sit Gen. 21: 33. ùt omnis boni fontem honorarunt, 14: 19. 24: 7. 28: 3. 4. 30: 30. 32: 10. à cujus gubernatione dependeant 24: 35. 50. 56. 33: 11. 45: 7. 8. cui hinc gratitudo debeatur 24: 27. 32: 10. ùt justum 18: 25. ac ideò & ùt remuneratorem 15: 1. venerati sunt, humiliando se coram eo 17: 3. 18: 27. fiduciam in eo ponentes in periculis constituti 32: 9--12. in adversitatibus patientiâ, acquiescentiâ se munientes Job. 1: 21. fidem in Liberatorem Gen. 15: 6. ac reliqua externè per sacrificia quoque ostendentes, 4: 4. 8: 20. 21.

Sch. 1. Non minùs officia erga aliâs prostitêre: justitiam Gen. 14: 23. 23: 7. seq. 33: 9. beneficentiam 18: 2. 3. 19: 2. 3. misericordiam Job. 29: 15. 16. 31: 16-20. Ut illustria & virtutis & pietatis documenta historia Patriar-

Patriarcharum exhibeat; præterea innocentem vivendi modum, aureo Seculo, quale Poëtæ describunt [OVIDIUS v. gr. *Metamorph. Lib.* 1. *Fab.* 3.] haud absimilem; uti sanè Seculum aureum locandum esse tempore post-diluvianô ad Abrahamum usque censet laud. sæpiùs SHERLOCK *Usage &c. Disc.* 4. p. 98. seq. quo de autem non inquirimus.

Ad Patriarcharum vitæ rationem ut redeamus, & quidem domesticam, quæ V. D. circa eam notant, eleganter non minùs quàm eruditè complexus est Vir eruditiss. CHR. BENED. MICHAELIS gemina *Diss. philolog. de antiquit. Oeconom. patriarchal.*, lectu dignâ omninò, Halæ 1728. 1729. Ubi priori §. 4 -- 10. de agricultura [posterioribus etiam temporibus ac aliis populis neutiquàm inhonora §. 6.] Patriarcharum; Adami, Caini, Lamechi &c. plantatione &c. vita pastoritia, Abrahami præcipuè, Isaaci, Jacobi, §. 11 -- 17. matrimoniis ac educatione liberorum, §. 26. seq. posteriori *Diss.* §. 1 -- 12. de familia ipsorum servis; §. 13 -- 16. de habitatione in tentoriis [אהלים משכנות, diversis à סכות: quippe hæc pro pecoris recubitu, ramis, frondibus tecta, illa verò cortinis ac aulæis tensa fuêre, §. 17.] Victu cum gratiarum actione sumto, §. 18 -- 22. quò & jam ante diluvium inservierit animalium caro, hujus esu antediluvianis licitô; de amictu illorum §. 23. seq.

Interim tamen suis nævis non caruerunt: Noachus ebrietate peccavit Gen. 9: 21. Lothus & hâc & incestûs crimine 19: 33 -- 35. de quo Viro alioquin, ejus benè ac malè gestis, & quæ aliâs ipsi acciderunt, vid. HEIDEGGER *Hist. Patriarch. Tom.* 2. *Exerc.* 8. §. 13. seq. Abrahamus veritatis abnegatione 20: 2. item quòd Hagarem superinduxerit, 16: 4. licèt tùm temporis circumstantiæ tales essent, de quibus (sch. §. 78.), insuper tùm promissio de semine numeroso 12: 2. 13: 16. tùm ne ob exiguitatem violentæ invasioni expositi essent, multiplicationem exigerent; ut polygamia tùnc à Deo salvâ sanctitate tolerari potuerit; vid. interim quoad Hagarem superinductam Vir modò laud. *Tom.* 2. *Exerc.* 6. §. 1 -- 11. ubi Factum id Abrahami culpâ non vacasse vult. Jacobus fratri per dolum eripuit jus primogenituræ 25: 30. seq. 27: 19. seq.

19. seq. illius filii innocentis cædis ac direptionis se reos fecerunt, 34: 25. seq.

Sch. 2. Quoad Cultum eô tempore publicum, hic à privato non aliter differebat, quàm quòd à tota simùl peragereturfamilia, uti privatus à singulis nonnisi personis; quòt nimirum tunc erant familiæ seu domus, tòt erant Ecclesiæ particulares (§. 1349.), & omnes junctim faciebant ejus temporis Ecclesiam universalem (§. 1348.); vid. autem, quæ de Patriarcharum Ecclesia notat HEIDEGGERUS *Tom.* 1. *Exerc.* 3. §. 2 - - 20. §. 48 - - 51. Qui Cultum dirigebant [& quoque exequebantur] erant Patres - familiâs (ראשי אבות) vid. de Abrahamo 18: 19. articulos doctrinæ [tùm mixtos de Dei perfectionibus, creatione &c. tùm putos, de lapsu, promissione prima, apparitionibus &c.] liberis, posteris, tradebant (sch. 3. §. 1363.), inculcabant; quæ erat *Catechesis Patrum*; Patriarchis ita *Depositariis* veræ doctrinæ illius temporis appellandis. Primogeniti quoque, seu filii natu maximi præ reliquis Cultum præstabant, cœteris auctoritate quâdam præerant, ac duplicis in hæreditate portionis jure gaudebant; de iis Gen. 27: 19. 32. conf. HEIDEGGERUS *Tom.* 1. *Exerc.* 1. §. 18 - - 22. Loca, ubi Cultus præstabatur, non erant nisi propriæ domus, nullis tum adhùc templis; locus interim alius communis nonnisi à Jacobo legitur destinatus 28: 22.

Sic & ad diem quendam hebdomadis præcisè in Cultu peculiariter non erant adstricti, nondum tùnc Sabbathi sanctificatione obtinente, ùt memoratum (sch. §. 531.); quæ & sententia Viris D. ferè magis probatur quàm opposita, inter quos v. gr. HEIDEGGERUS l. cit. *Exerc.* 3. §. 58. SPENCERUS *Lib.* 1. *Cap.* 4. *Sect.* 9. p. m. 47. 48. CALMETUS, vastæ eruditionis & elegantis ingenii Vir, *Comment. in Genes.* 2: tenens, non posse probari, Sabbathum ante Mosen fuisse observatum, nec etiam gentilibus, allegat præter alia Ex. 16: 22. Deut. 5: 15. Ez. 20: 12. 20. dein & respondet ad ea, quæ pro septimo die gentilibus feriato, adducuntur ex Homero, Hesiodo, Philone, Josepho &c. Oppositam interim sententiam tuetur Auctor eruditus, Commentarium ex Anglis

glis collectum, magnæ aliarum Nationum utilitati, exhibere incipiens, *not.* ad Gen. 2: 2. ex PATRICK; rationes afferens, quòd, si vel maximè Deus expressum mandatum non dedisset, tamen ratio ac sensus Numinis & Cultus homines adduxisset, ut certum diem peculiariter cultui Dei destinarent, huic negotio autem nullum fuisse aptiorem nisi septimum, diem natalem Mundi, inde & ejus sacri documenta apud gentiles, quo de EUSEB. *præp. Evang. Lib.* 13. [*Cap.* 12. p. 667. 668. *Cap.* 13. p. 677. 678.] quòd etiam ante publicationem Legis Sinaïticæ Sabbathum fuerit sanctificatum, patere ex Ex. 16: 23--26. Mosen posteà modum celebrationis determinasse, finemque adhùc alium addidisse. Nobis videtur [ad quæstionem hanc distinctè perpendendam] non idem de toto illo intervallo ab initio Mundi ad Mosen usque per omnia judicium ferri posse ac debere: potuerunt enim ante diluvium observari, quæ pòst omissa &c. porrò ob brevitatem historiæ Mosis in antediluvianis planè nil ex ejus silentio probari, uti nec in contrariam partem ex illo apud gentiles celebrato Sabbatho: nam præterquàm quòd loca Scriptorum non plus indicent, nisi diem Saturni otiô transactum, quià ἀποφρὰς, ater ipsius habitus, item complures nonnisi septimam mensis intelligant, ac Fasti illorum sileant de die hebdomadis septimo [uti hæc eruditè ac prolixè SYRBIUS in egregia *de Sabbatho gentili Diss.*] potuisset id ab ævo Mosaico ad eos adhùc dimanare, ut pro ævo patriarchali nil concluderet; dein probè determinandum esse, num de die hebdomadæ septimo, an verò aliquo saltem è numero septenario [quod posterius Juris positivi universalis] intelligatur, ubi de fidelibus ante legem quæritur; item quônam Cultûs genere dies talis è numero septenario à reliquis fuerit distinctus. Forsan hisce præstructis faciliùs dissidentes concordarent ac distinctiùs se explicarent, ut non omnibus ante legem piis ex omni numero septenario nullum unquam diem præ reliquis aliquô Cultûs genere observatum ac distinctum vellent: cùm id vix conveniret veræ doctrinæ ejus ætatis depositariis ac traditionis primævæ custodibus, etiam circulus hebdomadarius sat clarè indicetur Gen. 29: 27. 28. Interim adhùc per hæc stant, quæ dicta (sch. §. 531. & sch. §. 726.).

Sch.

Sch. 3. Præcipuam Cultûs externi partem jam constituebant eâ ætate sacrificia, quæ tàm publico, quàm privato Cultui annumerari possunt, & peragebantur tùm à Patribus-familiâs tùm & à primogenitis, qui utrique erant eorum temporum tum Doctores seu Prophetæ, tùm Sacerdotes; licèt & Regum esset sacrificare [uti apud gentiles Reges etiam simùl Sacerdotalia obibant, notante præter alios CLERICÔ *ad* Gen. 14: 18., unde decantatum illud VIRGILII *Æn.* III. 480. *Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbique Sacerdos*] quò pertinet præcipuè Melchisedekus; quo de, quæ aliâs disputantur, commemorare non est instituti, vid. præter plurimos, qui ejus historiam discusserunt, HEIDEGGERUS *Tom.* 2. *Exerc.* 2. & quos citat, qui de hoc in compendio Cel. BUDDEUS *Hist. eccles. V. Test. Tom.* 1. p. 211 -- 214. sic & Patriarchæ simùl obibant reliqua, quæ aliâs & alibi regii muneris erant. Ad sacrificia ut revertamur, ea mox post initium Mundi initium sumsêre: quippe legimus de sacrificio Abelis Gen. 4: 4. uti & sequentes pii sacrificasse leguntur: Noachus 8: 20. Abrahamus 12: 8. 13: 18. Jacobus 33: 20. & quidem sacrificia cruenta, saltem Abel & Noachus.

Quæritur autem de sacrificiis & disputatur, utrùm è lumine Naturæ, an verò ipsius Dei immediato præcepto profecta sint: contendunt namque complures Viri aliâs eruditi, dum recta Ratio perspiciat, Deo auctori omnis boni & datori omnia deberi, & propterea in agnitionem dependentiæ Ipsi quid retribuendum esse, inde ex ingenti zelo Deo optimum de suis destinandi sacrificia obtulisse homines; ita post H. GROTIUM J. SPENCERUS *de leg. Hebr. rit. Lib.* 3. *Diss.* 2 *Cap.* 4. ubi *de ratione & origine sacrificiorum patriarchal.*, qui *Sect.* 1. argumentis [ut dicit, summè probabilibus] sibi probare sumit, Abelem & Cainum sacrificia Deo obtulisse, labores eorum diversos secundanti, in spontanea tantùm animi grati testimonia, Ratione nativâ edoctos, id imprimis Deo ritu Sacrô reddendum, quod ab Illo accepissent.

At verò id V. D. maximam partem ἐθελοθρησκείαν interpretantur; & licèt MOSES non expressè mandatum Dei quoad sacrificia commemoret, inde tamen nil in contrarium probari, vid. (sch. §. 180.); sufficere, quòd

quòd PAULUS Heb. 11: 4. Abelis sacrificium è Fide derivet, quæ verò nitatur mandatò Divinò, quo de & (§. 1098. & sch. 2. ib. sch. 2. §. 1364.); præterea Rationem homini neutiquàm dictare, quòd Deus innocentium animalium cædes delectetur, quin contrarium: ut ideò & PORPHYRIUS apud EUSEBIUM *præp. Evang. Lib.* 1. *Cap.* 9. p. 28. [edit. Colon.] primò incruenta tantùm sacrificia obtinuisse velit, THEOPHRASTUM allegans, propugnantem, cruenta nulli è triplici fine, quò sacrificia collimare debeant, convenire, non honori Deorum, non gratiis agendis, nec bono impetrando, ib. *Lib.* 4. *Cap.* 14. p. 151. 152. Ad telum hocce evadendum JOH. CLERICUS *Comment. in Genes.* [post HUG. GROTIUM] Abelis sacrificium incruentum fuisse defendit; nimirum hicce Vir C. verba MOSIS Gen. 4: 4. מִבְּכֹרוֹת צֹאנוֹ *de lana ovium eximiarum* exponit, מֵחֶלְבֵהֶן verò ib. *de lacte ipsarum*; CLERICUS verò in *paraphr.* & *Comment.* ad eum loc. exponit per figuram ἓν διὰ δυοῖν, Abelem obtulisse de adipe aut lacte primogenitarum pecudum. At verò neutram admitti posse interpretationem, quilibet vel mediocriter hebræa callens mox perspicit: cùm בְּכֹרָה בְכוֹר *primogenitum* ipsum omnino animal designet, & חֵלֶב *adipem* non verò חָלָב *lac* in altera voce postulet Grammatica; sine sufficienti etiam ratione talis figura hìc statuatur; [quod autem ulteriùs obtendit sacrificium Abelis cruentum è paucitate pecudum tùm adhùc &c. ei occurritur per ea, quæ de numero hominum tùm jam ac animalium iis proportionato dicta (sch. 3. §. 1363.): cùm secundum Auctores de *l' Hist. univers. Lib.* 1. *Cap.* 1. *Sect.* 7. p. 181. terra tempore mortis Abelis jam sat ibi loci incolis potuerit esse instructa, hinc & pecudibus; ut alia taceamus) hinc & OUTRAMUS etsi sacrificiorum originem in medio relinquat, tamen GROTII interpretationi minimè adstipulatur, *de Sacrific. Lib.* 1. *Cap.* 1. p. 4. 11. eruditiss. verò SHUCKFORD magis ad scopum cum Theologis tenet, sacrificiorum originem ex ipso Dei mandato esse derivandam, & pios jam tùm sacrificia obtulisse ad futurum Liberatorem

torem designandum, Harm. der Heil. und ꝛc. *Lib.* 2. ferè ab initio. Convenientissimè autem dicitur, pios illius ætatis, conformiter doctrinæ sibi revelatæ (§. 1363. & sch. 1.) perspexisse, promissionem Liberatoris exoptati ac beneficium id requirere omninò, ut ipsum tanquàm bonum maximum per sacrificia repræsentent; ex hacce doctrina uti & naturali perspexisse ac firmiter tenuisse, Deo Auctori tàm spiritualium quàm & naturalium donorum (§. 669. & sch. 1. 2.) omnia accepta referenda esse; hinc in signum gratitudinis se omninò Ipsi debere ac velle dare optimum, quod habeant, & quod simùl ut cruentum cruentas Messiæ passiones adumbret &c. Ita sacrificiorum origo per plures fines & rationes, convenienter, ni fallor, panditur; cùm ejusdem rei plures sæpissimè sint fines.

Fœdus cum Deo. 1366. *Piis hujus ætatis fœdus cum Deo intercessit:* namque cùm Deus ab iis officia postulaverit (§. 1365.), ac promiserit illis tàm Liberatorem (§. 1363.), hinc beneficia per hunc, quàm & temporalia bona (ib.) & Gen. 12: 2. 3. 7. pii verò sciverint omninò promissum obtineri per officiorum præstationem, hanc proinde non potuerint non in se suscipere, fœdus omninò tùnc locum habuit (§. 740. 743.): cùm Deus ipse, prima ac præcipua fœderis pars id obtulerit, Gen. 9: 9. seq. 17: 2. 4. 7.

Fœdus adeò cum Abrahamo Deus feriebat tam temporale quàm spirituale, seu ut & dicitur, æternum, vid. SHERLOCK *Disc.* 5. p. 122 - - 132. uti jam quoad promissiones piis factas memoratum (sch. 2. §. 1363.); cum quibus ideò [Isaaco, Jacobo] Deus itidem tale erexisse fœdus intelligi debet, etsi exertè terminus non adhibeatur, interim res ac materia, promissiones, inter quas & talis, quæ promissionem felicitatis post hanc vitam includebat Exod. 3: 6. coll. Matth. 22: 32. cui loco è Judæis & aliàs lucem fœneratur Cl. SCHOETGENIUS *Hor. Tom.* 1. ad eum loc.

loc. cæterùm materiam de felicitate futura fidelibus tùm temporis cognita & ab iis quæsita uberiùs illustrant, quæ præclarè de hisce Rev. & doctiss. Theologus Lausannens. RÜCHAT *Exercit.* aliquòt *theolog. de Fide Sanctorum V. T. super animorum immortalitate. vita futura &c.* ubi vid. *Exerc.* 2. §. 11 --- 18. *Exerc.* 3. §. 2 --- 28. 37. 38. De fœdere aliàs cum Abrahamo HEIDEGGER ראשי אבות *Tom.* 2. *Exerc.* 7. §. 1 — 12. ubi & in seq. de signo fœderis. Hujus fœderis promissiones Abrahamo factæ uti non poterant non fieri convenienter Testamento æterno (§. 459. 460.), quò omnia, quæ ad Salutem spectant, comprehensa (§. 448.), ita dum agebatur de re, quò Testamentum ipsum tendebat (§. 427. 453.), & hæc nondum esset impleta: cùm Mediator nondum advenisset ad placationem actu promerendam (§. 453. 939.), adeòque Testamentum nondum ita confirmatum fuisset, inde per promissiones hasce *præconfirmatum* dicendum esse ac dici Gal. 3: 16. 17. monet HUBERUS *Exerc. jur.-theol.* ubi vid. *Exerc.* 2. §. 11. seq. & *Exerc.* 3. §. 1-4. ac illud προκεκυρωμένην v. 17. se referre ad τὸ προευηγγελίσατο v. 8. Notamus adhùc, Abrahamum ob promissiones luculentiùs ipsi fœdere addictas, [quod sibi vult PAULUS Gal: 3: 16.] ùt & familiare cum Deo commercium per apparitiones jure Φίλου Θεοῦ vocari Jac. 2: 23. [ex Esaj. 41: 8. & 2. Chron. 20: 7. amor enim, hinc amicitia non possunt non reciprocè se habere] in quem locum vid. Cl. ELSNER, qui & notat, Gentes solitas fuisse philosophos ob familiare cum Diis commercium ita vocare.

1367. *Ubi fœdus, ibi convenit esse signum fœderis. signum ejus externum, simùl & initiationis in id:* cùm enim maximè referat, ut promissum fœderis obtineatur, tanquàm bonum maximum, & id fiat præstatione eorum, quæ in fœdere postulantur (§. 743.), omnino, ut hæcce præstare studeat fœderatus, admonendus est, quòd talis sit [quò nunquàm id & fœdus cum Deo obliviscatur]

id autem fit, si fœdus per quandam ceremoniam externam, præcipuè quæ simùl initiationem secum ferat, ipsi objiciatur; *talemque Deus dedit circumcisionem*, Gen. 17: 10. seq. per hanc enim homines ij admonebantur, quòd Deus eos in fœdus secum receperit, ib. v. 11. adeòque cùm illud acceptaverint, etiam postulata ejus implere debere. Porrò cùm Deus tùnc piis per promissionem Liberatoris & aliâs maxima contulerit beneficia (§. 1363.), ut ad servitium Ipsius se obligatos esse signô externô ac solenni testarentur, æquum erat: vid. (§. 1227. 1228.).

Sch. 1. Necesse id erat etiam, ne ad falsorum Deorum Cultum, qui tùm universaliter obtinebat, & quem Abrahamus recèns deseruerat, iterùm delaberetur.

De circumcisione aliâs Abrahamo posterisque fœdere injuncta vid. HEIDEGGERUS ראשי אבות *Tom.* 2. *Exerc.* 7. §. 13. usque ad finem, item [præter alios] BIERMANNUS Moses und Christus, *Lib.* 5. *Cap.* 1.

Nempe Circumcisio tùnc primùm incepit, ut anteà in usu non fuerit; quæ enim HERODOTUS *Lib.* 2. *Cap.* 104. scribit, ab antiquo solos omnium Colchos, Ægyptios & Æthiopes circumcidi, ad seriora longè pertinet tempora; quòd verò addit Phœnices & Palæstinæ Incolas fateri, se morem eum ab Ægyptiis didicisse, aliâs suam prodit falsitatem; licèt exinde argumentum primarium, contra originem circumcisionis ab Abrahamo, formaverit SPENCERUS *Lib.* 1. *Cap.* 5. [edit. Tubing.] *Sect.* 4. interim ita, ùt præmonuit p. 55. quòd nolit Judicis partes in re tam sacra ac perplexa sumere, sed solùm argumentis pro utraque sententia propositis lectori liberum relinquere probatis rationum ponderibus eligere, quod Rationi maximè consentaneum; idque repetit p. 61. vivendus autem contra eum VAN DER WAYEN *Var. S.* ubi *Spenc. Diss. de hirco Azazel excussa*, §. 164. —— 249. item Auctores de *l'Histoire univers. depuis* &c. *Tom.* 2. *Cap.* 7. *Sect.* 1. p. 112-114. not.

ubi

ubi contra Spencerum & Clericum evincunt, Abrahamum circumcisionem neutiquàm in Ægypto didicisse, à Deo dein sanctificatam; è contrà hos rationem habuisse illam ab Hebræis desumendi; tùm quià videbant populum circumcisum benedictione gaudere, tùm ob memoriam Josephi, tùm & quià sanitati conducebat; si, inquiunt, statui posset, quòd una illarum Nationum ab altera eam desumsisset; magis autem probabile esse, neutram ab altera accepisse, ob differentiam circumcisionis Ægyptiæ ab hebræa.

Contra Marshamum & Clericum etiam hac de re disserit CALMETUS *Diss. de circumcisione* Commentar. in Genes. præfixâ. Quòd verò memoratur Ilus seipsum circumcidisse [à SANCHONIATONE apud EUSEB. *præp. Evang. Lib.* 1. *Cap.* 10. p. 38. D.] nondum probat, circumcisionem ante Abrahami ætatem alicubi receptam fuisse: quippe Ilus hicce (Κρόνος) Eruditis ipse est Abrahamus, eò quòd dicatur filium suum unicum igne consumendum Cœlo Patri immolasse, sociosque itidem ad circumcisionem per vim adegisse; ita eruditiss. SHUCKFORD *Vol.* 1. *Lib.* 5. p. 214. legatur verò & in hancce materiam JOH. ROD FISCHERI nostratis Observatio satis ampla von dem Ursprung der Beschneidung wider Spencer, Theolog- und Philologischen Anmerck. p. 73--110. ubi eruditè rem discutit; inter alia frivolum Spencerì argumentum enervat ex Jer. 9:25. 26. probare volentis, Ægyptios priùs fuisse circumcisos innui, quoniam priùs ibi ponantur; porro ex Tacito & aliis benè monet, circumcisionem ùt Notam distinctivam Judæorum ab aliis gentibus habitam fuisse, ut illi ab his accepisse censeri non possint &c. Quoad tempus circumcisionis, tenent Auctores de l'*Hist. universs. &c.* l. cit., octavum à Deo diem designatum esse, quià tùm, nec anteà, infans satis ab impuritate contracta sit mundatus; rationes alioquin circumcisionis allegant 1. physicam: quòd puritati, sanitati inserviat in Climate ita calido; 2. politicam, ut ita populus Dei à reliquis discerneretur; 3. moralem, ut notaretur circumcisio cordis; 4. spiritualem, ut signum esset fœderis cum Deo ac typus fidei in Messiam; 5. ut & exerceretur Fides Abrahami de posteritate nascitura.

In signum fœderis etiam, quòd Deus ut Creator ac Conservator benignus [interim non sine respectu ad Messiam] non amplius per diluvium aut feralem ejusmodi pœnam homines cum animantibus terræ sit deleturus, è contra gratiosus futurus, in signum tale constituit iridem Gen. 9 : 11 -- 17. eò majorem confirmationem ferentem, si ponatur cum Auctoribus modò laud. *Tom.* 1. *Cap.* 1. p. 187. 188. quòd ante diluvium non fuerit iris: cùm non fuerit [juxta BURNETIUM & WHISTONUM *Lib.* 3. *Cap.* 3. p. 329. Vers. germ.] pluvia; uti è contra si consueta fuisset res conspicere iridem, non multùm confirmare potuisset Noachum; Deò etiam solitò in Sacris signa [institutionis meræ] nova planè adhibere.

Sch. 2. Satis patet, mutationem quandam hôcce Ecclesiæ intervallô per fœdus cum Abrahamo initum & circumcisione signatum factam esse. Etiam à tempore Abrahami vera Ecclesia in ipsius fuit posteritate, ita tamen, ut non universa ejus posteritas ad illam pertineret: dicebatur namque, *in Isaaco tibi nominabitur semen*, Gen. 21 : 12. Ismaël scil. ac posteritas ejus non erant de vera Ecclesia, licèt & ille signum fœderis, circumcisionem, susciperet, Gen. 17 : 25. 26. posteritasque eam retineret, suscipiendo autem non die octavô, verùm demùm ætatis annum decimum tertium agentes: testante JOSEPHÔ ἀρχαιολ. *Lib.* I. *Cap.* 12. §. 2. p. 36., Arabes ætatis anno tertiô & decimô circumcidi, quoniam Ismaël, κτίσης αὐτῶν τῷ ἔθνει eâ ætate sit circumcisus, Gen. 17 : 25. conf. aliâs de Ismaële & quæ de eo Scriptura, item descendentibus ejus, HEIDEGGER *To.* 2. *Exerc.* 6. Isaaci nequidem posteritas tota ad veram pertinebat Ecclesiam, exclusô ab ea Esavô, stirpe Idumæorum, qui circumcisionem, quâ Edom signatus, diu intermissam, demùm verò iterùm, ad eam adacti, susceperunt; victis scil. ab Hyrcano, permisit hic iis in regione sua manere, si se circumciderent ac Judæorum Leges observarent, utrumque ideò [Patriæ amore] admittentes, ut Judæi posteà fuêre, teste eôdem Archæologô *Lib.* 13. *Cap.* 9. p. 659. Abrahamus itaque debuit fieri

אב רב המון *Pater magnæ multitudinis*, aut אב רם המון *Pater excelsus &c.* quod indigitabatur per nomen אברהם mutatum è nomine אברם Gen. 17: 5. Deus namque ipsi dicebat, quòd foret אב המון גוים *Pater multitudinis Gentium:* præter præcipuam quippe posteritatem ex Jacobo erat stirps Ismaëlitarum, Idumæorum, Arabum, etiam gentium per Cethuram, vid. Gen. 25: 1--4. 12--18. ubi conf. CLERICI *Comment.*

1368. E dictis patet, quòd *Ecclesia hujus ætatis gavisa fuerit libertate:* præstanda enim, quæ ipsi præscribebantur (§. 1365.), etiam aliis omnibus hominibus incumbunt (§. 53. 1160.), exceptis sacrificiis ac circumcisione; prætereà Cultus externus nullus injungebatur, cum circumstantiis & rigidè observandus; nec pronunciabatur adversus ipsos execratio; consequenter non serviliter tractabantur, hinc vigebat libertas. *Ecclesia tùm regulis non adstricta.*

Locus, personæ, tempora cùm pro lubitu piorum determinari possent [exceptâ circumcisione] (sch. 1. §. 1367.), Cultûs externi libertatem loquuntur, vid. (sch. 2. §. 1365.); sic & dum Deus concedebat [aliâ ætate ob variatas circumstantias non concedendam] polygamiam (sch. 1. §. 1365.).

1369. Dùm adeò hujus ætatis Ecclesia libertate fuit gavisa (§. 1368.), prætereà pauca cognoscenda proponebantur (§. 1363.), ùt fit erga infantes, rectè dicitur, [per analogiam] *Deum primæ ætatis Ecclesiam tractasse ùt infantem, eamque fuisse in ætate infantili.* *Ætas ejus infantilis.*

Eò etiam pertinet, quòd Deus piis hôcce tempore sæpè

apparuerit, & revelatione immediatâ [adeòque oretenus quasi, uti Parentes cum liberis solent] cum illis sit locutus, nullô tùm Verbô scriptô, vid. (sch. 3. §. 1363.).

Pii & impii quomodo dicantur.

1370. Pii hujus ætatis, qui veram doctrinam de uno Deo & Liberatore, utroque colendo, recepérunt, ore professi & corde, ac etiam retinuerunt, dicuntur *Semen liberatum* [ob Liberatorem futurum nempe, per quem liberandi & liberati, & qui *Semen liberans* dicitur] qui verò contrariam insistebant viam, aut insuper veram doctrinam profitentes affligebant, *Semen serpentis.*

Sub illo nomine Liberatorem & Ecclesiæ veræ [internæ ac externæ] membra proponit præcipuè Cl. GÜRTLERUS *Instit. theol. Cap.* 18. 20. 24. 26. uti è contrà doctrinæ veræ vel asseclarum ejus hostes sub appellatione altera, *Cap.* 21. 27. Semen scil. in Scriptura S. sæpissimè notat posteritatem, vid. Gen. 3: 15. 15: 5. item & sectatores Es. 53: 10. Jer. 2: 21. qui posteriores essent semen morale & spirituale; jam Liberator, etsi nondum in carne comparuisset, debuit habere posteritatem spiritualem seu asseclas, & serpens itidem asseclas [qui, seu impii, sub ipsa quoque Serpentis imagine, appellatione veniunt, vid. aliquid (sch. 1. §. 1363.) & conf. Matth. 3: 7. in quem locum quædam BOCHARTUS *Hieroz. P.* II. *Lib.* 3. *Cap.* 2. col. 375. scil. ob imitationem diaboli impii ita dicuntur, vid. Joh. 8: 44.] juxta primam promissionem. Hæ duæ partes directè sibi contrariæ non poterant non una alteram odio habere, quæ fuit *inimicitia inter semen serpentis & semen mulieris*, Gen. 3: 15.

Utriusque generis fuerunt.

1371. *Fuit hâcce ætate & Semen liberatum, & Semen serpentis:* siquidem alii veram doctrinam & recepêre,

pêre, uti Protoplasti Gen. 3: 15. 20. & alii, de quibus (§. 1363.), ac etiam ei conformiter egere, uti præter hos, quò conf. (§. 1365.), Abel: è fide quippe sacrificans Gen. 4: 4. Heb. 11: 4. Enochus, ambulans coram Deo, Gen. 5: 24. Noachus Vir justus, 6: 9. cum filiis Semo, & Japheto 9: 26. 27. Jiobus &c. 1: 1. alii è contrà aut doctrinam falsam tenuêre, aut veræ doctrinæ non conformiter egêre, aut & insuper veræ doctrinæ asseclas affligere studuêre, uti Cainus fratricida Gen. 4: 8. Chamus, 9: 22. Sodomæ incolæ 13: 13. Ezeh. 16: 49. 50. Chaldæi falsorum Numinum cultores, Jos. 24: 2. Ægyptii &c.

Sch. 1. Protoplasti nimirum etsi ob primam culpam à Deô paradisô expulsi [quo de] (§. 768. 769. & sch. 1-3. ib. §. 770. & sch. 1. §. 771. & sch. 1-3. ib. §. 776. & sch. 1. 2. ib. §. 787. & sch. 1. 2. §. 789.), tamen Deô eos iterùm per πρωτευαγγέλιον solamine erigente, viam ad salutem per hoc monstrante, id fide recepêre: siquidem Adamus Evam tùm appellabat חוה *Matrem viventium* Gen. 3: 20. & Eva promissioni Dei fidens aut Liberatorem se peperisse; aut saltem à Deo se benedictâ prole dotatam credebat 4: 1. Vestigiis eorum insistebant, ad Semen liberatum ideò pertinentes, Abel à fratre trucidatus 4: 8. Sethus, alius Adami filius v. 25. unde per continuam generationis successionem [& qui ideò Sethitæ audiunt] Enos, Kenan, Mahalaleel, Jaredus, Enochus, Methusalemus, Lamechus, Noachus, de quibus Gen. 5: tot. vid. autem de Sethitis HEIDEGGERUS *Histor. Patriarch. Tom.* 1. *Exerc.* 6. §. 25. seq. quos & Vir hicce D. per בני אלהים 6: 2. indigitari probat *Exerc.* 11. §. 3 ——— 14. & præcipuè, qui egregiè de quibusvis disserere solent, Auctores eruditiss. de *l' Histoire universelle depuis le commenc.* &c. *Tom.* 1. *Chap.* 1. *Sect.* 4. ubi de Patriarchis ante diluvium.

Noachi per Semum descendentes, veram Ecclesiam constituentes, erant Arphachsadus, Selah, Heber,

Peleg, Rehu, Serug. Nahor, Tharah, [licèt & hiſce poſterioribus jam non prorſùs à Cultu falſo alienis, vid. Joſ. 24: 2.] Abram, de quibus Gen. 11: 10 - - 26. vid. autem de hiſce Auctores modo laud. *Cap.* 2. *Sect.* 2. ubi traditur hiſtoria Noachi [quem tamen Sinarum Fohi eſſe non judicant, contrà ac erud. SHUCKFORD tenet *Vol.* 1. *Lib.* 1. p. 20.] ac poſterorum ejus uſque ad Abrahamum; Orientalium Scriptorum de iis narrationibus [ſeu non raro figmentis] ſimùl doctè advocatis, & *Sect.* 3. Sanchoniatonis adulterationibus hiſtoriæ S. à Cumberlando diſcuſſis. Pertinet verò ad ſemen liberatum hujus temporis [utpotè Abrahamo coævus, cui obviam procedebat] Rex Salemi celebratus Melchizedekus Gen. 14: 18. ſeq.

Abrahamum excipit Iſaacus, uti hunc Jacobus, duodecim filiorum Parens, de quibus & Gen. 46: 9 - - - 24. quos inter, ob fata venditionis in Ægyptum, exaltationis ibid. &c. maximè memorabilis Joſephus, & cujus hiſtoria Gen. 37: Cap. 39: 40: ſeq. quam illuſtratam etiam exhibet id. Vir laud. *Exerc.* 20. uti 12. Jacobi filiorum in genere *Exerc.* 18. de nomine ipſi à Pharaone impoſito צפנת פענח 41: 45. Critici multa, inter eos & eruditiſſ. BERNARDUS ad Joſephum [p. 79. 80. edit. Havercamp.] nomnine hôcce ab Archæologo mutatô in ψοθομφανηχον *Antiq. Lib.* 2. *Cap.* 6. §. 1.

Hoc excipiunt filii, adeòque Nepotes Jacobi, memorati etiam 46: 9 - - - 24. ubi de eorum nominibus apud Joſephum conf. id. Vir ad *Lib.* 2. *Cap.* 7. p. 89-93. poſt hos, qui in Ægypto degebant, nominetenus non occurrunt, & è quibus non omnes vero Dei Cultui prorſus & ſemper adhæſerunt, vid. Joſ. 24: 14. Ezech. 23: 2-4. legi meretur autem de tota hujus intervalli ab Abrahamo ad Moſen uſque hiſtoria *Hiſt. univerſ. &c. Tom.* 2. *Cap.* 7. *Sect.* 1. p. 102 - - - - 187. ubi cum multis diſcuſſionibus ac egregiis elucidationibus traditur.

Sch. 2. Inter Serpentis ſemen itaque agmen ducit Cainus, quò & poſteritas ejus pertinet, ſeu Cainitæ Gen. 4: 17. horum poſteritate ſexûs fœminini per filias hominum 6: 2. indigitatâ; vid. de Caino HEIDEGGERUS *Hiſt. Patriarch. Tom.* 1. *Exerc.* 5. §. 18. ſeq. uſque ad finem; de Cainitis *Exerc.* 6. §. 1 - - - 24. Eòdem

ſine

sine dubio referendi οἱ נפלים Gen. 6: 4. homines scil. non solùm proceres statura, robore, sed & abutentes robore suo, insolenter grassati, ὑβρίσαι, vid. idem Vir Cel. *Exerc.* 11. §. 16. seq. Hi omnes impietati ita se debebant, ut Deus ferales aquas Orbi immitteret 6: 6. seq. 7: 18. seq. Ad illorum historiam pertinentia, præter Scripturam S. [ubi & brevissimè omnia, quæ ante Abrahamum] etiam SANCHONIATHON apud EUSEB. *præp. Evang. Lib.* 1. *Cap.* 10. quædam tradit: quippe quæ antediluvianos nonnisi Cainitas idolatras respiciunt: vid. *Hist. univers. Tom.* 1. *Cap.* 1. *Sect.* 5. ubi hæc discutiuntur; simul notatur, quòd Scriptor Phœnicius 10. recenseat generationes usque ad diluvium, de hoc verò taceat utpote pœna idolatriæ: quia in hujus gratiam Opus suum contexuerit; præterea & adducuntur, quæ BEROSUS quod Chaldææ Reges, & MANETHON quoad illos Ægypti, utrosque ante diluvium.

Post diluvium Chamus hùc pertinet Gen. 9: 22. cum stirpe, 10: 6 —— 22. qua de, nempe populis inde fundatis, habitationibus eorum, amplè, eruditissimè ac ingeniosè Cel. BOCHARTUS *Phaleg. Lib.* 4. tot. conf. etiam HEIDEGGERUS *T.* 1. *Exerc.* 23.

Eòdem referuntur quoque, [rectè ne an secùs] qui turris Babylonicæ exstructionem moliti; de molimine autem vid. *Hist. univ. T.* 1. *Cap.* 2. *Sect.* 4. porrò Sodomitæ, ob horrenda crimina à Deo igne deleti 18: 20. 19: 5. 24. de quibus vid. HEIDEG. *T.* 2. *Exerc.* 8. Ismaëlis filii quoque extra veram Ecclesiam erant [uti de stirpe jam memoratum] (sch. 2. §. 1367.) qui 12. nominantur Gen. 25: 10 —— 16. & ad ductum Scriptoris S. à JOSEPHO *Antiq. Lib.* 1. *Cap.* 12. §. 4. ac Principes populorum seu Phylarchæ devenerunt, & quos idem Historicus tenuisse scribit πᾶσαν τὴν ἀπ' ΕΥΦΡΑΤΟΥ καθήκουσαν πρὸς τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν regionem, *Nabatenam* eam appellantes; de horum autem Phylarcharum nominibus, Geographia, amplè ibid. ex Literatura Orientali, græca, Scriptura S. Anglus longè eruditiss. EDW. BERNARDUS p. 47--40. Eòdem & pertinet Esavus cum posteris [ùt memoratum] (sch. 2. §. 1367.); de eo autem [Esavo] aliâs vid. HEIDEGGER *Tom.* 2. *Exerc.* 12. Tandem

quoque [præter alios adhuc] semini Serpentis annumerandi præcipuè Ægyptii idolatræ, & veram Ecclesiam affligentes, Exod. 1: 13. seq. quorum res præter J. MARSHAMUM in reconditæ aliàs eruditionis Opere *Canone Chronico* &c. & alios, amplissimè elucidatas, ac ita ut illustrationi Scripturæ inserviat, vide *Hist. univers. depuis le &c. Tom.* 1. *Cap.* 3. ubi eruditissimè descriptio terræ, regimen, Leges, Religio, ritus, scientiæ, artes, commercium, chronologia, Historia Osiridis, Isidis, Typhonis, Ori, Regnorum item Ægypti diversorum exhibentur, etiam Orientalibus Scriptoribus in subsidium advocatis. Patet autem, non omnes eôdem modô ac gradu ad Serpentis semen referri posse: dùm, qui simpliciter extra veram Ecclesiam erant (sch. 2. §. 1367.), non ita malignum semen constituebant, ac ii, qui præterea cultui impio sceleribusque dediti; uti his adhuc pejores erant, qui insuper veram Ecclesiam affligebant.

Sch. 3. Quònam referendi sint, qui ad intervallum hocce pertinent, Pastores illi, qui commemorantur à MANETHONE [Sebennita, diospolitano, sub Ptolomæo Philad., cui Opus suum, quô res Ægyptias prosecutus fuerat, dicavit; erat aliàs flamen Sacrorum ac Scriba adytorum Ægypti; distinguendus autem ab alio, Sacerdote Mendesio; Vid. VOSSIUS *de Hist. gr. Lib.* 1. *Cap.* 14.] apud JOSEPHUM *contra App. Lib.* 1. *Cap.* 14. Ægyptum veniisse, inde numero 24000. exiisse per desertum Syriæ, & ob metum Assyriorum se recepisse in terram Judææam dictam, *Hycsos* appellati [*Hyc* nempe Regem & *Sos* pastorem notante, licèt idem Historicus ib. dicat *hyc* vel *hac* cum aspiratione captivum notare] de quibus etiam quid Cel. BOCHARTUS *Chanaan Lib.* 1. *Cap.* 4. *Hist. univers. Tom.* 1. p. 446. 466. 467. quònam inquam referend sint, num inter semen liberatum an Serpentis, non priùs liquet, nisi constet, de quanam gente fuerint, num Israëlitæ, ùt V. D. & ipsô præeunte Josephô ita tenent, an verò de alia Gente. Lubet autem hìc commemorare, quæ hanc in rem suppeditantur in Commentario illo recens publicato [ex Anglis compilato] Hagæ Com. 1742. amplâ Notâ in Gen. 46: 32--34. ubi rationes allegantur [ex MARSHAMO] quare pastores illi non sint

sint Israëlitæ: eò quòd hi in Ægyptum fuerint invitati, illi verò ex improviso eam adorti; hi nonnisi in Gosen habitaverin, illi verò usque ad Memphin se diffuderint; hi ab Ægyptiis oppressi fuerint, illi verò Ægyptios oppresserint; hi nonnisi 200. annos in Ægypto transegerint, illi autem [Juxta MANETHONEM] 500. & plus annos. Ulteriùs dein procedit Anonymus Anglus [è cujus Scripto id in Comment. illo suppeditatur] ingeniosè ac valdè probabiliter judicans, Reges illos Pastores fuisse Ismaëlitas: his quippe genus vitæ pastoritium exercentibus; & Reges Pastores dictos esse, eò quòd inferiori Ægypto Regem è suo medio præfecerint; originem ipsorum obscuram benè convenire prognatis è Concubina, & hominibus vitam agrestem agentibus; ab Oriente quoque benè posse dici venisse, nec minùs Phœnices, utpote descendentes ab Abrahamo, unde & simul liqueat, quare templa ac Deos Ægyptiorum malè tractaverint, quippe idolatriæ [ob avitam Religionem] infensi; porrò hac ratione se ostendere implementum Prophetiæ Genes. 16: 10. nec non quare Jacobus ita benignè exceptus, ob Stirpis scil. ab Abrahamo communitatem, donec alius Rex hæc oblitus & politicis rationibus adactus illos Jacobi posteros malè habuerit; tandem per hanc sententiam commodè explicari, undenam ritus circumcisionis apud Ægyptios ortus sit: cùm hi annô 14tô, uti ferè Ismaëlitæ vid. (sch. 2. §. 1367.) circumcisionem suscipere soliti fuerint.

1372. *Semen liberatum* [id est, complures de eo] *beneficiorum fœderis particeps factum est:* cùm enim veram doctrinam [adeòque fœderis] ipsis à Deo annunciatam, ac Majoribus traditam receperint (§. 1363.), vocationis participes facti sunt (§. 1007.), & dum conformiter ei doctrinæ officia præstarunt (§. 1365.), fuit id vocatio interna, sanctitas, fidei vivæ documentum (§. 1010. 1093. 1167. 1172. coll. 1173.), consequenter postulatorum fœderis præstatio

Participatio piorum de bonis fœderis.

præstatio (§. 993.), ubi verò postulata quis præstat, ibi promissorum fit particeps [per naturam fœderis] (§. 743.), justificationis, quæ piis contigit Gen. 15: 6. Rom. 4: 3. 9. juris ad vitam æternam, cujus participes facti, Genes. 5: 24.

Sanè cùm fœdus gratiæ in se sit immutabile (§. 1006.), beneficia ejus quôvis tempore locum habere debuerunt, circumstantiis nonnisi quibusdam mutatis; ut beneficia illa sint generale, quod verò omni Ecclesiæ ætati determinatô quôdam modô inest; quod idem tenendum de iis, quæ Locô VII. VIII. idem X. de Sacramentis in genere, & hôc ipsò de Ecclesia interna ac externa habentur. Quoad sanctificationis beneficium addimus, historiam Patrum, fideliumque hujus ætatis præbere speculum fidei vitæque egregium in plerisque, ut memoratum (sch. 1. §. 1365.); vid. autem omnino Cl. LAMPIUS Gnadenbunds *Tom.* 2. *Cap.* 12. Quoad Juris vitæ participationem ante Liberatoris actualem satisfactionem (§. 959.), infra ad secundam Ecclesiæ ætatem pluribus (§. 1413. seq.).

Conscientia ejus. 1373. Cùm igitur beneficiorum fœderis gratiæ particeps factum sit semen liberatum (§. 1372.), è beneficiis autem illis quædam simùl sint postulata fœderis (§. 993. 998.), consequenter semen liberatum postulata hæcce præstiterit (§. 1365. & per §. 1372.), *circumcisio ei fiebat sigillum bonorum fœderis*, Rom. 4: 11. *ac salutis conscientiam clariorem firmioremque reddebat:* vid. (§. 1238. 1242. 1263.).

Hùc & pertinet, quod SPENCERUS *Lib.* 1. *Cap.* 5. *Sect.* 2. p. 52. sigillum fuisse circumcisionem 1. à parte Dei, qui signô hôcce fidem Abrahamo datam firmare voluerit; unde dixerit: *Hoc est Pactum inter me & vos*, Gen. 17: 10. 2. à parte hominum: dum, qui circumcidi se patiebantur, ad legem observandam [officia illa] (§. 1365.) se obstringebant. Interim

terim malè dicit, circumcisionem Patriarchalem fuisse Religionis Naturâ præscriptæ signum ac tesseram; quasi non æquè & magis Religionis revelatæ (§. 1363. seq.)? Etiam Rabbini Veteres de signo & sigillo circumcisionis loquuntur, loca eorum complura affert Cl. SCHOETGENIUS *Hor. Tom.* 1. ad Rom. 4: 11. Ad Conscientiam autem illam firmandam facere quoque poterant præter promissiones (sch. 2. §. 1363.), tùm typi, tùm apparitiones Liberatoris: siquidem tùm excitant ad postulata præstanda, tùm spem ingenerant salutis, auctorem ejus repræsentando, objiciendo. De apparitionibus jam supra (sch. 3. §. 1363.); de typis aliquid occasione sacrificiorum (sch. 3. §. 1365.); de utriusque in compendio GÜRTLERUS *instit. theol. Cap.* 18. Typorum notio ac divisio supra (sch. 2. §. 159.) breviter tradita; tales typi Messiæ hâcce ætate fuêre v. gr. Adamus Rom. 5: 14. quem & Veteres Rabbini antiquæ Cabbalæ custodes Messiæ typum faciunt; unde loquuntur de Adamo primo הראשון & posteriori האחרון mystico, cœlesti, vid. Vir harum rerum peritissimus CHRIST. SCHOETGENIUS *Hor.* ad 1. Cor. 15: 45. 47. iidem Henochum talem faciunt typum, Noachum item, Abrahamum, Isaacum, vid. Vir laud. *Hor. Tom.* 2. p. 473 -- 475. sanè Isaacus in holocaustum faciendus, lignumque ad id ipse portans luculentus fuit Christi typus; addimus, qui post Abrahamum ponendus, Melchizedekum, ut egregium Liberatoris typum, Heb. 7: 1. seq. Ad Enochum ut typum ac præcursorem Messiæ Rabbinis antiquis agnitum pertinet etiam, quod SURENHUSIUS *βιβλ. καταλλ.* ad Jud. v. 14. 15. ex MENACHEMO [proferente ea ex antiquo libro mystico] adducit.

1374. Patet autem, *tum temporis fuisse Ecclesiam externam ac internam*, item *& hostes Ecclesiæ*: namque fuerunt, qui veram profitebantur doctrinam (§. 1363.), quod facit Ecclesiam externam (§. 1315.); fuerunt etiam, qui doctrinam eam corde tenebant, actionibus exprimebant (§. 1365.) *Duplex tùm Ecclesia status.*

1365.). beneficiorum fœderis participes fiebant (§. 1372.), id facit Ecclesiam internam (§. 1300.); porrò & erant, qui veram doctrinam odio habebant (§. 1371. & sch. 2.), consequenter hostes doctrinæ (§. 1360.), etiam odio habebant affligebantque profitentes veram doctrinam (§. 1371. & sch. 2.), adeòque hostes personarum (§. 1360.).

Ideò & Ecclesia, quia tùm quoque fuit interna, erat ac poterat dici sancta, etiam per (§. 1372.).

Deviatio à vera Ecclesia.

1375. Dùm vero erant, qui veram doctrinam rejiciebant (§. 1371.), ij insuper fovebant erroneam talem, quâ rebus personisque perfectiones soli Deo proprias affingebant, seu eas perperam pro Deo habebant; cujusmodi sunt ac dicuntur *idola* (§. 1279.), uti Cultus, quem opinioni de illis erroneæ convenienter non poterant non exhibere, *idolatria* & ipsi hi *idolatræ;* vel & è contrà falsa Deo affingebant attributa, aut ex veris confusè cognitis agendi desumebant motiva, quod utrumque *superstitio* audit; *eâ* igitur *ætate extra veram Ecclesiam*, seu *apud semen serpentis tum idolatria tùm superstitio vigebat.*

Sch. 1. De idolatria quinam exposuerint, non est hîc loci, adductis multorum nominibus commemorare, ut aliàs sæpe fit: Bibliographorum id est; notus est, qui ex professo in vasto ac egregio Opere de *Theologia gentili &c.* ea de materia exposuit JOHAN. GERH. VOSSIUS, Belgarum illud quondam lumen; item alius Belga, præter doctrinam, reconditâ in talibus eruditione ac subactô judiciô pollens ANT. VAN DALEN, non una de materia Scriptis &c. ut alios prætereamus, sicuti & tales, qui specialia Numina Cultûsque genera elucidare sibi sumserunt. Dijudicandis verò iis, quæ Docti de hisce materiis scripsére,

sêre, tanquam præcognita vel cautelæ egregiè inservirent, quæ Cel. Criticus JOH. CLERICUS in docta ac judicioſa animadverſione, quam recenſioni Tract. SELDENI *de Diis Syris* præmiſit *Biblioth. choiſ. Tom. 7. art. 2.* p. 80 --- 116. ubi in genere tria deſiderat tum in illo Tract. tum aliis 1. ut Auctores, qui de talibus ſcire ac teſtari potuerunt, cum delectu advocarentur; 2. ut non Dii græcorum cum is Barbarorum perpetuò ferè confunderentur; 3. ut explicatio allegorica non advocaretur, ubi non debet.

Poteſt autem materia de idololatria conſiderari vel philoſophicè vel hiſtoricè, & utrôque modô origo investigari; quoad originem priori modô, homines rebus creatis perfectiones Divinas affingere cœperunt ob influxum earum ſeu vim ac uſum in terram, genus humanum; quô modô cùm Sol præ cæteris ſe exhibeat, hunc & præ reliquis pro Deo habuerunt, (*Phyſ. Tom. 2. §. 45.*): unde & MACROBIUS *Saturnal. Lib. 1. Cap. 17.* » nam quòd omnes penè Deos, qui » ſub cœlo ſunt, ad Solem referunt, non vana ſu» perſtitio, ſed Ratio Divina commendat; » licèt aliâs hiſce Macrobius nonniſi tendat, uti & alii ſequiorum Seculorum Scriptores, fœdam illum multitudinis Deorum labem, quos antiquiſſimi [Græciæ] incolæ, rudes, & ad horum ductum Poëtæ ex hominibus demortuis [& quo de mox] fabricarunt, abſtergere, culpâque illos, contra autem rei veritatem, liberare; uti & laud. modò CLERICUS benè notat id Scriptorum inſtitutum, quô Deus omnes pro uno habent, loc. cit. p. 112 - 114. quàmvis interim verùm maneat, Solem ita primitùs & primariò ob rationes dictas, & quià maximè ſenſus percellit, pro Deo habitum fuiſſe. Cultus etiam cùm cognitionem ſequatur (per princ. mor. vid. etiam prol. §. 22. & §. 53.), eum homines adorarunt; inde adoratio, id eſt, ut ad Deos orarent, uti vocem eam explicat NIEDEK in erud. *de populorum Veterum ac* &c. *adorat. Tract. C. 1.* nec verò explicationem deſumendo à manûs ad os admotione ſeu oſculatione, vel & odorum incenſione: cum hæ nonniſi accidentes precationum fuerint ritus; ſynonima ponit *rogare*, *ſupplicare*, *precari* &c. apud Græcos εὔχεσθαι, λίτεσθαι, [illegible] & præcipuè προσκυνεῖν; hebr. קדד כפף, כרע השתחוה,

incurvare

incurvare se, שאל *petere*, קרא *invocare*, עתר *supplex orare*; hinc potrò formulæ adoratoriæ ortæ, de quibus idem V. D. *Cap.* 2. quales apud Latinos [petitoriæ scil.] v. gr. *annue, adverte, juva, libera, eripe*; apud Græcos, χαῖρε, *salve*, δίδε *da*, κλῦθι *audi*, ἴδε *aspice*, ἐλέησον, *miserere*; hebr. הושיעני *serva me*, ענני *responde mihi*, חנני *miserere mei*, &c. etiam species adorationis, de quibus idem V. D. *Cap.* 6. & quarum quinque: *Salutatio, laudatio, petitoria preces, vota, gratiarum actio.* Ut verò redeamus ad originem illam Cultûs idololatrici; à Sole ad Lunam pervenerunt homines ob eandem rationem, licèt non pari gradu: cùm influxum ejus ac usum minorem senserint; quod idem & de Stellis valet. A cœlestibus ad terrestria progrediebantur, v. gr. ventos &c. inde ad homines, dùm pari ratione [ob egregia scil. præstita, adeòque usum ex iis ad alios redundantem] semi-Dei constituebantur, uti Sol Deus primarius: antiquissimi scil. tam Græcorum quàm Barbarorum Dii non erant nisi homines rerum gestarum gloriâ magnitudineque inter suos inclyti [ut & indigitatum] (prol. sch. §. 1.) monente Cel. MOSHEMIO *ad Cudworth.* p. 257. 258. qui enim de suis gentibus per Leges, instituta, inventa, aliaque beneficia præclarè merebantur [cujusmodi v. gr. apud Ægyptios tenendi sunt fuisse Isis, Osiris &c. apud Græcos, Saturnus, Jupiter &c. apud alios populos itidem sui] hi ab iis ipsis vel posteris in grati animi testimonium ad Deorum evehebantur fastigium; opinabantur nimirùm, semi-Deos illos, Dæmones aut genios [uti & appellabant] tales fuisse homines, qui, postquàm Deus iis tutelam hujus Mundi commiserit, ad certum tempus mortali concluſi fuerint corpore, v. gr. Osiridis, Jovis, Apollinis [hominum insignium] ut res populorum eorum tantò melius curare possent. Ut Mythologia ferè nonnisi antiquissima sit Regum Heroumque obscura ac depravata historia; proinde tantùm non prorsùs ex Historia seu historicè sit explicanda; dico prorsus ferè: nam, uti judiciosè animadvertit CLERICUS l. cit. p. 88. seq., fabulæ reperiuntur duplicis generis, quarum unæ non sint nisi antiquissima [Græciæ] historia, incrustata & malè intellecta, *historicæ* ideò appel-

appellandæ; Poëtis circumstantias historiarum addentibus, fingentibus [sicut v. g. in historia Saturni ac filiorum apud HOMERUM, HESIODUM] etiam ad formam antiquarum novas invenientibus [proùt sint conflictus Deorum pro & contra Trojam], unde veritas antiqua historica maximè fuerit obscurata; quod præprimis etiam factum, quià consuetudines in Græcia valde fuerint mutatæ, & expressiones historiæ antiquæ non intellectæ &c. aliud autem fabularum genus esse, quæ clarissimè sensum postulent figuratum, *allegoricæ* hinc dicendæ, cujusmodi v. gr., quæ HOMERUS narret de precibus & crimine, sub personarum specie, item de duobus doliis, quæ sint ad portam palatii Jovis, uno pleno bonorum altero malorum à Jove hominibus distribuendorum; item aliæ apud eundem prosopopœæ invidiæ, somni &c. facile autem fabulas historicas distingui posse ab allegoricis, attendendo v. gr. num ope historiæ antiquæ, linguæ item explicari possint; unde explicationes allegoricæ Saturni & filiorum, connubii Jovis ac Junonis per ætherem terram fœcundantem, Neptuni per Mare, Cereris per frumentum &c. pura sint figmenta ac violentæ detorsiones, quo de & deinceps.

Ad Deos illos ex hominibus desumtos ut revertamur, eorum procedente tempore pudebat Sapientiores [Ægyptiorum, Persarum, Græcorum] seu tales coli pro Diis, quos homines fuisse manifestum erat, aliquando etiam probris infames; antiquam ideò Deorum historiam ad præcepta physica & philosophica, quæ apud quámvis gentem obtinebant, accommodare studebant [adeòque Theologiam μυθικὴν ad φυσικὴν inflectentes]; è quo fonte Theogoniæ, omnis item antiquissimarum historiarum [ùt modò dictum] obscuratio: dùm Deos illos non modò è Chao nocteque natos exaogitabant, verùm & familias eorum certô modô distribuebant; unde & Philosophi quidam excellentes, uti ORPHEUS, PARMENIDES &c. theogonias contexuerunt, uti hæc suppeditat Rever. MOSHEMIUS Lib. cit. p. 227. Ideò &, si de Sacris gentis cujusdam agendum, bene distinguenda ea, quæ ad priscam terræ historiam pertinent, ab iis, quæ prudentiorum studium exornandi ac explicandi causâ invenit, judiciosè idem Vir Cel. monet pas-

sim *ad Cudworth. Cap.* 4. vid. ex. gr. ad §. 13. p. 247.

Insequentium dein Philosophorum studium quòd & quomodo ulteriorem adhùc mutationem veteri Mythologiæ jam à Theogonistis incrustatæ induxerit, infrà ad secundam Ecclesiæ ætatem dicetur.

Sch. 2. Inde satis liquet, malè diversarum gentium Deos inter se misceri, ut v. gr. Mithra Græcorum pro eodem habeatur Numine ac Venus Græcorum; qua in re Græci Scriptores peccarunt, quod verò παράδειγμα tòt in Theologiam Veterum introduxit Joves, Mercurios &c. defectum hujus distinctionis Numinum quoad regiones in recentioribus etiam [qui eô laborant, seu V. D., qui de Mythologia aut idolatria scripsêre] notat CLERICUS ubi ante p. 85--87. licèt enim antiquissimi Græciæ incolæ fuerint advenæ ex Oriente, & supestitiones inde advexerint, tamen semper considerandum esse, quid Scriptores dicant quoad originem Deorum illorum; ubi dicant, quòd venerint ex Oriente, etiam tenendum esse, sic ex. gr. Venus, quòd Cyprô fuerit oriunda &c. at quoad eos, qui ab antiquissimis Scriptoribus Græcis proponantur ut homines in Græcia nati ac educati, sicuti Saturnus, Rhea cum posteritate, Jupiter, Neptunus, Pluto &c. historiam Deorum perverti, ubi tales ex Oriente deducantur, vel teneatur, quôd Orientales adorassent Græcorum Numina & assumsissent; cùm Orientales sat habuerint ipsi Regum antiquissimorum; sic Isidem malè à Græcis haberi pro filia Inachi, *Jo* nominata: cùm fuerit antiquissima Ægypti Regina; malè Jovem, Regem Thessaliæ confundi cum Belo Assyriorum, etsi & Scriptoribus græcis appelletur *Jupiter*, *Belus* &c.

Judiciosè verò & notat Cel. MOSHEMIUS l. cit. ad §. 19. p. 415. seq. ne in una quadam Regione, v. gr. tota Ægypto eosdem ubivis Deos in quavis Provincia obtinuisse putandum esse; quod uti quoad ejusdem Regni diversa loca, ita non minùs quoad diversa tempora teneri debere.

Ex hisce porrò liquet, parùm solidè antiqua Ægyptiorum, Phœnicum, Græcorum Numina ab HUETIO Viro aliàs longè doctissimo in *demonstr. Evang. Prop.* 4. *Cap.* 3. 4. 7 —— 10. converti in Mosen [quod verò commemorare pertineret ad secundam Ecclesiæ ætatem];

qua

qua in re præiverunt, licèt moderatiores longè, Viri Magni, VOSSIUS & BOCHARTUS, qui v. gr. in Saturno, Jove, Neptuno ac Plutone Noachum cum tribus filiis invenerunt, in aliis alias personas in Scriptura celebratas, vid. ille *de idololatr. Lib. 1. Cap. 15. 18.* [ubi & in Adamo Saturnum perspicit, ob aureum Seculum &c.] 19. 29. hic *Geogr. S. P.* priori seu *Phaleg. Lib. 1. Cap. 1. 2.* bonâ equidem intentione, ut historiæ S. auctoritatem ratam faciant, ac doctè; quos ideò complures V. D. secuti sunt, vid. v. gr. STILLINGFLEETUS *Orig. S. Lib. 3. Cap. 5. p. 1165.* seq. circa quæ adhùc veri species, ubi regiones concordant, nec tempora apertè abludunt, uti v. gr. ubi in Apide Josephus invenitur &c.

Ulterius perspicitur, quàm parùm tutum sit, Numinum alienæ Regionis [seu aliûs populi] appellationes ex hebræa velle deducere lingua; quod sibi sumsit Gallus modò laud. in literatura quacunque versatissimus in *Geograph. S.* hinc inde &c. ingeniosè equidem non minùs quàm eruditè; in quem censum an non & quodammodo referri possit laud. in anteced. Vir eruditiss. J. CLERICUS, doctâ tentatione abreptus Numinum Græcorum etymologias ex lingua phœnicia deducendi in *Notis ad* HESIODI *Theogoniam* aliàs laudatissimis, Doctioribus dijudicandum relinquimus; cùm & ipse alibi (*Bibl. sel.* l. cit. p. 114. 115.) modestè dicat, saltem non circa omnia se deceptum sibi quendam persuasurum; cùm casu non potuerit fieri, ut ròt nomina in linguâ phœnicia denotent, quod notare debent; præterea nomina olim ad res notandas vel ob circumstantiam quandam peculiarem imposita fuerint, ùt vel è Scriptura pateat; ipse etiam circumspectè priùs respiciat characterem Divinitatis &c. dicimus nonnisi, quamlibet Gentem proprios suos ac nativos plerumque habuisse Deos; uti benè iterum [etiam quoad etymologias illas] monet Cel. MOSHEMIUS l. cit. ad §. 19. p. 415. seq. unde in etymologiæ investigatione non ad aliam Gentem linguamque recurrendum, nisi rationes aliæ, aut linguæ unius ab alia ortus &c. suadeant. Id Ipsum verò aperit viam, quâ mediante deductiones tales è lingua phœnicia vel hebræa distinguantur, nec omnes eundem in censum referantur; quædam fundamentò neutiquàm

quàm destituuntur, v. gr. ubi aut de Numinibus Phœnicum, Orientalium, agitur, aut ubi constat Phœnices quòdam venisse ac aliquid fundasse, sic & ubi à Scriptore Phœnicio voces adhibentur cum hebræis sanè affines; quâpropter etymologiæ v. gr. Numinum, Molochi, Baalis &c. benè à SELDENO tr. *de Diis Syris* & ab aliis ex hebr. deducuntur lingua; benè Celeb. BOCHARTUS *Chanaan Lib.* 1. etymologias plerasque urbium, quas antiqui Scriptores à Phœnicibus conditas prodidêre, ex hebræa derivavit lingua; nec minùs SANCHONIATHONIS quasdam voces, ib. *Lib.* 2. *Cap.* 2. uti aliâs in hocce Opere passim hebræam linguam solerter ac egregiè illustrat.

Quòd si verò rationes sint nonnisi à quadam soni convenientia petitæ, lubricum est fundamentum: cùm in linguarum tòt vocibus non possint non complures sonô convenire. Interim tales doctæ ac ingeniosæ deductiones [ut ut deceptrices] nihilominus jucunditate se commendant, nec de cætero nocent.

Tandem & id concluditur, superfluum esse disceptare, ubinam idolatria initium sumserit, seu quænam gens & quandonam &c. alteram infecerit [quod spectat originem idolatriæ historicè talem, qua de (sch. 1.) & ad quam jam antecedentia ducebant] cur enim non quælibet Gens satis à se ipsa Numina sibi fingere potuerit? ingenii humani perversitate ac stupore ad id sufficiente, monente id Rever. MOSHEMIO *ad Cudw.* §. 18. p. 361. 362. interim de origine idolatriæ conferre juvabit, quæ in compendio *Hist. univers. Tom.* 3. p. 141. seq. item STANLEIUS *Philos. Orient. Lib.* 3. *Cap.* 1. & CLERICUS *ind.* ad. voces *Astrorum*, *Belus*, *Idolatria*, nec non excutienda, quæ de talibus ultimæ antiquitatis SANCHONIATHON apud EUSEB. *præp. Ev. Lib.* 1. *Cap.* 10.

Differentia idolatriam inter ac superstitionem.

1376. Patet exinde: idolatriam circa adorationis objectum peccare, superstitionem verò circa modum; nec minùs patet, per utramque Religionem ac Ecclesiam fuisse corruptam, per (§. 1320. 1350.).

Utraque

Utraque, tàm idolatria quàm superstitio possunt dici Religionis excessus; uti intemperantia quoad ciborum quantitatem & qualitatem peccat. Superstitio etiam est, ubi rebus creatis plus virium tribuitur, quàm revera habent; ut hinc tripliciter committi possit: duplex quippe modus jam habetur (§. 1375.).

Hujus tertii generis plurima dantur inter homines plebejos exempla &c. vid. autem de superstitione BUDDEUS *thes. theol. de Atheismo & superstit. Cap.* 8. 9. 10. quædam etiam CANZIUS *Jurispr. theol.* §. 670. seq. 688. seq. hinc inde quoque ad materiam de superstitione quæ pertinent, affert, uti solet, eleganter non minùs quàm eruditè [ut Anonymus licèt] P. BÆLIUS *pensées sur les Cometes*, vid. ex. gr. §. 10. 25 -- 27. 31. 50 -- 53. 61 -- 63. 67 -- 69. 81. 82. 93-99. 101. 148. Non tangimus autem hîc quæstionem; quænam à vera Religione deviatio sit pejor, Atheismus an superstitio [vel idolatria]; BÆLIÔ hanc pro pejore ferè habente, vid. ibid. §. 71. 114 -- 124. 130 -- 133. 144 -- 146. 161. 174. 177. & in *Continuation &c.* §. 76 -- 80. 90. 91. 97 -- 99. 108. 109. 117 -- 120. contrà sentientibus autem V. D. aliquid hac de re OLEARIUS Lib. Jesus der wahre Messias, p. 456. 457. 469. seq. 801 - 805.

Quæstionis verò hujus decisio requireret, ut priùs determinarentur gradus, modus utriusque, ratio item hominum, Statûs etiam vel regionis, ubi vivunt; vid. interim principia distinctè evoluta (*Mor.* §. 21. 22. *Pol.* §. 368. 369.). Nonnisi quoad corruptionem Religionis per idolatriam ac superstitionem hancce lubet, utpote dignam, addere observationem eruditiss. SHUKFORDI, nimirum primos Religionis corruptores non fuisse Sacerdotes; verùm Reges ac Legislatores: ita Ninum Assyrios docuisse Cultum ignis; Syphin Ægypti Regem scripsisse librum S., complexum omnes Cultûs ceremonias; Nebucadnezarem simulachrum aureum adorandum proposuisse; sic & Romulum, Numam &c. Cultum instituisse. Reges & Legislatores id facillimè potuisse: utpote auctoritate sua Instituta munita præscribere valentes, Sapient. 14:16. per hannce auctoritatem etiam Regibus potestate circa Sacra gaudentibus; uti & Pontificatum simùl ab initio gesserint, postmodùm verò Sacerdotes

constituisse, verùm ùt sibi subjectos; opinionem interim populi de revelatione quadam præsupposuisse, nec primum animis instillasse &c. ita V. ille D. *Vol.* 1. *Lib.* 5. p. 232. seq. edit. germ.

Nomen hujus Ecclesiæ ætatis.

1377. Tota autem hæcce Ecclesiæ ætas à lapsu primorum parentum inde usque ad tempus exitûs Israëlitarum ex Ægypto vocatur *sub promissione*, seu & *ante Legem*; & ratio, quâ Deus Ecclesiam rexit, *Oeconomia*, ex Eph. 1: 10. 3: 2. analogicè ad domum, ubi familiæ Rector, Pater-familiâs; tales, quos regit, infantes, domestici; pensum item, quod præscribitur præstandum.

Sch. 1. Vid. de rationibus, ob quas Ecclesiæ ætates Oeconomiæ nominentur, & analogia ad domum, LAMPIUS Gnadenb. *Tom.* 2. *Cap.* 6. §. 6. 7. ubi & de aliis appellationibus, cùm v. gr. dicuntur *tempora*, χρόνοι, Gal. 4: 4. καιροὶ Eph. 1: 10. χρόνοι αἰώνιοι (עולמים) Tit. 1: 2. A Judæis [antiquioribus] tempus id ante Legem vocari תוהו *inane* ex Gen. 1: 2. notat eruditiss. SCHOETGENIUS *Hor. Tom.* 2. *Lib.* 5. *Cap.* 1. p. 497.

Sch. 2. Patet autem è superiùs dictis & aliâs, totam hancce ætatem percommodè in tria posse distingui intervalla, imò ita dividi debere: namque primum intervallum determinatur omninò per diluvium [constituens periodum annorum 1656.] quoniam per id facies rerum in quibusdam mutata, longævitas Patrum, & inde pendens tùm adhùc hominum multitudo (*sch.* 3. §. 1363.); & aliâs Ecclesia ad tres Noachi filios reducta παλιγγενεσίαν quasi subiit; de hâcce autem per diluvium παλιγγενεσία Mundi egregiè ac eruditè Cel. HEIDEGGERUS *Hist. Patriarch. Tom.* 1. *Exerc.* 19.

Secundum intervallum non potest aliter determinari quàm evocatione Abrahami è Chaldæa: siquidem tùm Ecclesia per eam mutationem subiit non solùm, quòd familiæ

familiæ Abrahami alligata, verùm & quòd circumcisione signata fuerit, ut taceam promissiones uberiores &c. intervalli hujus annos Chronologi ut plurimum numerant 427. alii autem nonnisi 367.

Inde tertium intervallum per se determinatur tempore Mosis: siquidem tùnc [ut dein videbitur] ita insignes quoad Ecclesiam factæ mutationes, ut aliam planè constituerent Oeconomiam; complectebatur autem id juxta unanimem consensum 430. annos, ab egressu scil. Abrahami usque ad egressum ex Ægypto.

Sch. 3. Quoad hancce Ecclesiæ ætatem [prætermissis multis aliis rebus, quàm maximè aliàs memorabilibus ac investigatione dignis] de diluvio saltem non prorsus tacere convenit, uti nec de ruderibus & conservatione Factorum in Historia S. memoratorum apud Scriptores exoticos: cùm illud fuerit eventus inde à creatione in rerum natura maximus, determinans etiam Ecclesiæ intervallum (sch. 2.), istud verò faciat ad confirmationem veritatis Historiæ S. (sch. 2. §. 121.). Diluvium scil. fuit talis eventus maximus, quia non solùm erat partiale, super hanc illamve aut aliquas se extendens regiones, verùm super totum terrarum globum, seu universale: ùt Eruditi hodiedum prorsus tenent ac probant, quo de WHISTONUS *Lib.* 3. *Cap.* 4. præter alios exinde ac mox citandos; priùs adhùc notamus, quòd hæc diluvii universalitas non adstrui posset Sariptorum antiquorum testimoniô, etsi ea memoraretur [uti aliàs diluvium ipsum memoratum, quo de ad] (sch. seq.) quoniam Græci & reliqui tenuem valdè ac nimis limitatam habuêre Orbis terrarum habitati etiam notitiam: quò facit, quod de EPHORO magni nominis Historico constat, eum Ægypti nullam habuisse notitiam, Hispanos verò unam putasse Civitatem, ut hæc suppeditat VOSSIUS *de Histor. Græc. Lib. I. Cap.* 7. p. 35-37. ac ibid. JOSEPHUM *contr. Appion.* 1. commemorat concludentem, quòd Græci serò admodum incolarum Occidentis notitiam fuerint nacti; eòdem pertinet, quod STILLINGFLEETUS *Lib.* 1. *Cap.* 4. §. 11. ex Strabone (*Lib.* 1.) Eratosthenem adducente notat præter alia, quòd Palus Mœotis & Colchis ante tempus Mithridatis non prorsus fuerint no-

tæ, uti nec Hyrcania, Bactriana & Schythia ante bellum Parthicum; præterquàm quòd Scriptores ij, de quibus dein ad (sch. 4.), quoad diluvium Armeniæ saltem faciant mentionem. Interim universalitatem ejus eruditi adstruunt tùm è MOSIS verbis Gen. 7: 21-23. tùm ex altitudine aquarum ib. v. 19.20. tùm quòd Orbis terrarum magnò tunc fuerit gavisus incolarum numerò (sch. 3, §. 1363.), item quòd aliàs arcâ non adeò fuisset opùs, imprimis verò è fossilibus, quæ ubivis terrarum reperiuntur, plantis aut partibus plantarum, animalium &c. vid. de his rationibus breviter *Hist. univ. Lib.* 1. *Cap.* 1. *Sect.* 6. p. 161. 162. quoad fossilia autem Diss. BAIERI inscripta: *Fossilia diluvii universalis monumenta*, Altorf. 1722. recusa; ubi de lignis fossilibus arborum truncis, fructibus, partibus corporis humani, ossibus giganteis, corporibus belluarum terrestrium, volucrium, aut & partibus, organis, animalium item aquaticorum, in lapidibus fissilibus terrâ sepultis, tanquàm argumentis, quòd aquæ ibi terræ insederint quondam, stratis ita è limo residuo formatis.

Quoad diluvium jam verò per rationes physicas explicandum celebris præ cæteris est hypothesis laudati WHISTONI, Philosophi Angli doctrinâ & ingeniò aliàs præcellentis: scil. Terram nostram ac cometam ita in cursu suo vel orbita sibi invicem concurrisse, ut illa per caudam hujus transierit, ac per 12. præterpropter horas [*Hist. univers. Tom.* 1. p. 168. nonnisi 2. ponit] in ea subsistens receperit in superficie maximam vaporum copiam, qui juxta specificam gravitatem ascendendo condensati per magnam pluviam [40. dierum] delapsi sint; accessisse apertionem abyssi: cometâ scil. Terram premente, lacus per oppositas sciissuras [quales jam post lapsum factæ] in altum erupisse; ita V. D. *nov. tell. theor.* ubi vid. *Lib.* 4. *Cap.* 4. p. 445. 446. seq. Vers. germ. Noachum interim potuisse tranquillè arcam intrare: cùm latus illud terræ imbre nondum fuerit perfusum, sed demum aliquòt horis pòst, terrâ interim circumrotatâ, p. 455. 456. inde & nullum hominum tùnc viventium Cometam conspicere potuisse; ac ideò etiam nullam ejus fieri mentionem, p. 459. documentum providentiæ Divinæ fuisse, quòd arca fuerit fabricata in parte terræ altissima,

altissima, monte &c. ubi eò citiùs ad siccum perveniri potuerit, p. 471. hancce desiccationem [quæ æquè difficilis ac inundatio] factam esse, dum aquæ in viscera terræ defluxerint, ventô quoque eas evanescere faciente &c. præterea multas regiones, præsertim ad mare sitas, diu aquâ obtectas mansisse p. 474. 476. quòd verò nulla terræ ante diluvium monumenta: ac horum rudera [v. gr. ædificiorum & talium] remanserint, inde factum esse, quia superficies terræ materiâ fuerit obducta limosâ ultra 200. pedes, p. 493: montes interim jam antea fuisse p. 483. non autem pluviam [quippe vapores ita diu in aëre pendentes non fuisse, *Lib.* 3. *Cap.* 3. p. 329.] nullum magnum Oceanum: talem enim terræ profunditatem ac cavernam tantam cum figura terræ sibi non constitisse, fuisse tantùm lacus, rivos ac alia majora aquarum receptacula p. 443. 444.; vapores inde à Sole in altum sublatos interdiu, etsi ob aëris puritatem condensari ac per pluviam decidere non potuerint, tamen noctu per nebulas descendisse, atque ita terram fuisse humectatam; tandem monet diluvium, etsi per rationes physicas, mechanicas, tamen non minus à Dei [per cursum naturæ pœnas præmiaque distribuentis] providentia, conformiter præscientiæ Ipsius immissum fuisse p. 510--512. convenienter Theol. nat. princip. (*Met.* §. 1003. 1007. 1028. *Mor.* §. 37. 709.). Exponunt illam Viri ingeniosi. hypothesin ejusdem Nationis Viri eruditissimi illi Auctores de *l'Hist. univers. Lib.* 1. *Cap.* 1. *Sect.* 6. p. 168. seq. nec probant: eò quod atmosphæra Cometæ non talis sit naturæ, quæ aquam terræ communicare benè potuerit, ac si vel maximè esset, tamen nondum sequi, quod sufficientem aquæ copiam relinquere potuerit; uti nec è nubibus talis derivari possit copia, etsi vel maximè per catarractas [quæ sit notio vocis, uti & è LXX.] decidissent, sicut & hodiedum in India fiat; nec etiam è cavernis: cùm non possit concipi, quomodo aqua inde potuerit expelli; atque ideò ad potentiam Dei effectricem confugiendum tenent; quod num hic benè fiat, doctioribus dijudicandum relinquimus; principia Cosmol. & Theol. nat. (*Met.* §. 639. 1039. seq.) hypothesi examinandæ applicanda; dijudicandum itidem relinquimus, num forsan meliùs

terribile illud phœnomenon explicari possit, ponendo [ubi priùs receptacula aquarum tantùm ferè aquæ ac hodiedum continentia præsuppositа fuerint] quod Cometa appropinquans, aquas atmosphærâ suâ augens priùs, illas, queis receptacula referta, ardore suô dein ebullire fecerit, ut excoctæ quasi in vaporibus ascenderint, dein per pluviam in terram deciderint; & quidem ita; ut unô locô major aquarum quantitas depluerit quàm alterô, nec necesse sit ubivis tantâ terram cooperuisse altitudine ut ibi, ubi in Scriptura memoratur.

Hic saltem aliquid de mutationibus, quas diluvium in tellure effecerit, aliquid commemorandum; quam in rem Auctores modò laudati *Sect.* 7. p. 185--187. BURNETII ac WHISTONI explicationes adducunt; quorum prior uti fœcunditatem terræ primivam tribuit æquinoctio perpetuo, venienti à Situ terræ parallelo versus solem, inde & sterilitatem telluris præsentem malignumque aërem deducit ex inæqualitate tempestatum, quæ à diluvio provenerit, dum terra æquilibrium tùm perdens nacta sit Situm præsentem obliquum, è quo inæqualis temperatura aëris, exhalationes violentæ, venti turbulenti, pluvia, grandines, tonitura, nix. De illo cœli Situ mutato vid. Vir doctrinâ aliâs præstantiss. *tell. theor. S.* ex. gr. *Lib.* 2. *Cap.* 3. & 10. ubi posteriori p. 159. doctrinam seu traditionem Philosophorum antiquissimam erudiè adducit [de Mundi Situ inclinato facto vel depresso versus partes australes] Diogenis & Anaxagoræ ex PLUTARCHO, , Leucippi ex LAERTIO; ùt & ejusdem Anaxagoræ tenentis, Astrorum motum se ab initio habuisse ὁλοειδῶς, ita ut circa verticem terræ semper appareret Polus &c. Inclinationem autem eam juxta Illos factam esse hunc in finem, ut Zonæ frigidæ ac torrida habitabiles quoque fierent: cùm très Zonas inhabitabiles asseruerit Antiquitas p. 160.

PLATONEM porro in *Politico* adducit, ubi duplicem ætatem Mundi, duplicem Naturæ & rerum humanarum ordinem statuit, sub Saturno primum, sub Jove alterum, sub illo Motum cœlorum fuisse uniformem, ἰσόῤῥοπον, causam ætatis illius aureæ; è contrà cœlorum ἀναμοσίαν fuisse causam omnis mali posteà sub Jove; sub illo etiam homines vitam

longiùs

longius produxisse, ac sine tempestatum differentia, p. 161. favere locum Gen. 8: 22. ubi tempestatum anni constitutio post diluvium; eadem illa & tractat *Archæol. philos. Lib.* 2. *Cap.* 5. 6. Interim cum maledictio in terram mox post Lapsum à Deo fuerit pronunciata (§. 787. & sch. 2.), ideò Auctores de l'*Hist. univers. Lib.* 1. *Cap.* 1. *Sect.* 2. non posse illa à diluvio demum derivari existimant. Posterior, seu WHISTONUS paria sentit quoad effectus, quos diluvium effecit, & inde ortam in corpore humano turbationem, uti & quoad terræ fœcunditatem; at aliunde phœnomenorum horum rationes arcessit: nempe 1. cometam, diluvii causam per proximitatem suam terræ orbitam mutasse. 2. terram è diluvio nactam particularum heterogenearum, crassarum, quantitatem maximam, quibus cauda Cometæ erat repleta, quarum partem aër receperit, dum cæteræ novam terræ crustam superinduxerint, auctam per limum ab aquis subterraneis & montanis. Priori causâ annum longiorem devenisse, nos à Sole remotos, calorem Solis valde diminutum fuisse; posteriori Solum primitivum fertile, sepultum esse sub crusta illa [unde conchæ, fossilia]: compositionem heterogeneam particularum per cometam effectam aërem nostrum impurum reddidisse; diversitatem climatum effectam etiam, præter calorem Solis, qualitate aëris, qui & per mixturam confusam certarum particularum, aliarum frigidus, aliarum autem calidus redditus; sub zona torrida aëre plenô exhalationum sulphurearum, fervidarum, in frigida verò nitrosarum, frigidarum; quales particulæ cum per ventos in omnes pelli possint regiones, inde mutationem subitam temperaturæ aëris &c.

Sch. 4. Diluvii autem, uti aliarum quoque rerum in Historia S. memoratarum, quæ primâ hâcce Ecclesiæ ætate evenerunt, memoria conservata est inter Gentiles, ac adhuc dum reperitur [non obstante, quòd antiquissimi Scriptores gentium Asiæ & Ægypti omnes, græci verò plerique, ingenti quasi naufragiô periêre, quo de aliquid] (sch. 3. §. 176. & sch. 4. §. 184.) præsertim apud tales, qui nunc deperditos adhuc habebant, eorum loca, cuivis inspicienda, allegant, ac ita fragmenta

menta deperditorum nobis servarunt; quos inter eminet eruditiss. ille Seculi 4ti Episcopus EUSEBIUS *Præp. Evang. Lib.* præcipuè IX. ubi vid. *Cap.* 11 -- 25. ibi v. g. *Cap.* 11. ex JOSEPHO, quàm multi Scriptorum gentilium diluvii meminerint; *Cap.* 12. ipse ex ABYDENO [Scriptore rerum Assyriarum, VOSSIO *de Histor. Græc. Lib.* 3. ætatis incertæ, p. 313. ubi paucis de eo; juxta Auctores de l'*Hist. univers.* autem *Præf. Tom.* 3. paululum Berosô posteriore] locum affert.

Cum diluvio interim hocce Noachio non putamus idem fuisse illud Ogygis aut Deucalionis: Ogygeum enim invasisse solùm Atticam perhibetur, & quidem annis 1020. ante Olympiadem primam [regnante Argis Phoroneô] quod esset tempus itineris Jacobi in Ægyptum: uti id ex antiquis Scriptoribus [deperditis maximè] conficit AFRICANUS apud Euseb. *Præp.* &c. IX. 10. adstipulantibus recentioribus Chronologis Principibus. Deucalionis diluvium 248. annis serius fuit, Cerope Athenis regnante [licèt JUSTINUS II. *Cap.* 6. demum sub Amphyctione secundo à Cecrope evenisse scribat] præterea juxta Scriptores græcos Ægypto non infestum fuit, sed Græciæ solùm; ut eò minus, cum distincta fuerint diluvia, Noachicum potuerit in utroque latere; vid. autem & de tempore utriusque in compendio PETAVIUS *Ration. tem. P.* I. *Lib.* 1. *Cap.* 7. p. m. 17. 29. *P.* II. *Lib.* 2. *Cap.* 5. p. m. 107. 134. Nunquam Noachicum in alterutro aut utroque quæsitum fuisset, nisi Scriptorum studium, ea, quæ aliquam cum Historia S. habent similitudinem, nimis facilè pro iisdem aut inde adulteratis habendi, ita tuiisset; ut inde & Deucalion, qui tamen Rex Thessaliæ, pro Noacho fuerit habitus. Revertimur ad commemorationem verè talem factorum in Scriptura narratorum, ubi præter ea, quæ quoad Abrahamum ac Jobum supra (sch. 2. §. 1363.), occurrit apud EUSEB. l. cit. *Cap.* 21. prolixus DEMETRII [cujus nomine plures fuêre Scriptores: vid. Magnus VOSSIUS *Lib.* 3. p. 352. & cui hic noster non pro eodem habetur cum *Phalereo*, quo de *Lib.* 1. *Cap.* 12. p. 73 -- 75. eò quòd prior annos numeret usque ad Ptolomæum 4tum, phalereus autem jam sub Philadelpho diem obierit, p. 353.] locus ex ALEXANDRI Polyhist. *Annal. Cap.* 22.

ex

ex eodem hocce THEODOTI [cujus tempus juxta VOSSIUM *Lib.* 1. p. 419. ubi paucis, determinari nequit; VIGERIO autem ad Euseb. IX. 22. non videtur idem cum eo, qui TATIANO apud eundem X. 15. inter rerum phœniciarum Scriptores refertur] satis prolixus, metricus, itidem de Jacobo; *Cap.* 23. ARTAPANI de Josepho [Jacobi filio]. Sic & apud ipsos fontes adhuc reperire est Historiæ S. commemorationem, interim falsis multis aspersis; cujusmodi, præter alia, sunt illa JUSTINI [è TROGO] *Lib.* 36. *Cap.* præcipuè 2. TACITI item *Histor. Lib.* 5. ab initio, non paucis. Hæcce verò & alia quæcunque adhuc ab Eruditis Sec. superioris & præsentis, omnia undequaque perveſtigantibus, diligentissimè conquisita ac discussa fuêre & exhibentur; sive datâ operâ, ac ex professo, sive aliâs hinc inde, & qui satis sunt noti.

Nonnisi hîc adhuc quoad illam Veteribus, Poëtis præcipuè [adeòque Mythologis ferè, vel quoad rem ad mythologiam pertinentem] decantatam auream ætatem, vel ita dictum *aureum Seculum*, aliquid addere lubet: cùm ùt Status rerum antiquissimus ad primam hancce Mundi vel Ecclesiæ pertineat ætatem; nisi quis illud de primigenio potiùs statu rerum felici in paradiso [ùt obscuram de hoc traditionem] sumere velit (§. 718. & sch.), proùt Celeb. THOM. BÜRNETIUS ita sumit; vid, ubi de Seculo hocce aureo sub Saturno quædam, *Tell. theor. S. Lib.* 2. *Cap.* 1. p. 83. 84. & *Archæol. philos. Lib.* 2. *C.* 5. p. 483. 484. *Cap.* 6. p. 492. 493. Doctioribus autem dijudicandum relinquimus, num Poëtarum traditionibus talis sit assignanda antiquitas & epocha, quæ ad antediluviana pertineat [nisi pro ratione adduci posset ac fundamentum haberet illa (sch. 3.) memorata traditio de Motu astrorum vel terræ æquabili ante diluvium, vel Situ terræ recto erga Solem ac inde pendente Seculo aureo] immo porro num Seculum dictum ad res, Facta & Statum, de quibus Scriptura, & quæ in Ecclesia locum habuerunt, sufficienti ratione referatur; an non æque de alio populo sumere liceat, cujus res & Statûs antiquissimi memoria facilius per traditionem apud Scriptores græcos [unde Latini hausêre] servari & iis nota esse potuêre: cùm

in

in alia quacunque regione Status quondam felix ac innocens vivendi modus obtinuerit; ut hâc ratione [locis & personis in Scriptura memoratis id applicando] erratum committatur, quod circa Numina gentilium, ubi diversarum regionum inter se confunduntur (sch. 2. §. 1375.), præsertim cùm Seculum id sub Saturno dicatur fuisse; adeòque Græcia innuatur &c. interim placent de illo BURNETII verba, ubi postquàm Poëtarum quædam loca de longævitate hominum antiquissimis temporibus attulisset, sic dein p. 83. » ita » semper pinxêre Veteres aureum Seculum, notissimum » apud Poëtas ferè omnes argumentum, in quo luse» runt ad fastidium usque, materiæ dulcedine allecti; » ut neque id sibi proposuisse videantur ex iis nonnul» li rem ipsam verâ narratione exponere, sed ingeni» um qualitercunque exercere in adornanda idea feli» cissimi rerum statûs. Loca dein HESIODI, VIRGILII, LUCRETII affert Vir eruditiss. de fertilitate Soli illô Seculô. Hic scil. & applicari posset, quod de Poëtarum studio ac arte antiquissimam adornandi historiam tribus verbis memoratum (sch. 1. §. 1375.).

Initium secundæ Oeconomiæ Ecclesiæ.

1378. *Secunda Ecclesiæ ætas vel Oeconomia incepit à Mose:* tùnc enim Ecclesia aliô prorsus modô regi cœpta est; dum 1. Verbum scriptum dabatur; 2. Cultûs externi, præcipuè publici, forma præcisè quoad omnia determinabatur; 3. Strictè cuidam regioni vera alligabatur Ecclesia, ubi ea seu populus simùl statum, regimen, formabat; prætereâ & 4. cognitionis Capita amplificabantur.

Sch. 1. Oralis traditio (sch. 3. §. 1363.) tunc ampliùs sufficere non poterat propagandæ veræ doctrinæ, ob mutatas illas circumstantias, de quibus (sch. §. 127.): vitâ hominum decurtatâ Ps. 90: 10. Ecclesiâque in magnam excrescente multitudinem [comparatè scil. ad intervallum post diluvium] ut veræ doctrinæ alteratio sine Verbo scripto evitari non potuisset. Unde

MOSES

Moses rerum ante se gestarum historiam, cui simul vera doctrina implicita, scripto consignavit; qui & bene scire potuit [abstrahendo quoque à via revelationis ipsi factæ] (sch. §. 139. 141.) res revera ita esse gestas, ut consignabat, per genealogias Majorum, posteris scriscque nepotibus diu superstitum, ac horum accurate servatas; unde per successionem non-interruptam traditio incorrupta, monente Stillingfleeto *Orig. S. Lib. 2. Cap. 2. §. 9.*

Etsi vero Moses non pro inventore artis scribendi, seu literarum alphabeticarum haberi possit, vid. (sch. 4. §. 1363.), tamen quod scriptionem hebraicam perfectiorem reddiderit, recte tenetur. Ab hebræis autem literis [quas characterem eum, quem *Samaritanum* hodie dicimus, fuisse V. D. plurimi tenent, hodierno charactere hebræo ab Esdra ex Assyria desumto, inde & *Assyriaco* dicto; majori autem veri specie cum Cel. Schultensio *institut. ad fundam. Ling. hebr. Sect. 1. §. 1.* p. 15. seq. tenetur, fuisse unum eundemque ab initio characterem hebræo, כתב *quadrato* etiam appellato, è Samaritano enato per artem seu studium rudiora perficiendi, exornandi] ab hebræis inquam græcas esse ortas ostendunt V. D. ex antiquissimarum literarum græcarum similitudine cum phœniciis, quas Cadmus primus Græciæ intulit ac Jonibus primo tradidit, vid. Cel. Bochartus *Chan. Lib. 1. Cap. 20.* & eruditiss. Shuckford *Vol. 1. Lib. 4.* p. 169. seq. A Græcis Latini literas acceperunt per successorem Pelasgi aut Arcades, id. p. 147. atque utrorumque Alphabetum primo paucioribus constabat literis, id. p. 148. 170. seq. quod & de hebræo nonnulli tenent, vid. Herm. Hugo *de prima scribendi origine &c. Cap. 4.*

Literæ alphabeticæ [quas Hebræi אותיות *signa* vocant, Græci σημεῖα, σήματα, τύπος, χαρακτῆρες &c. id. *Cap. 2.*] ita devenerunt medium exoptatissimum memoriam rerum servandi: dum constitutæ in signa arbitraria sonorum, seu quibus soni [signa rerum] depingi quasi seu visui repræsentari potuerint; soni inquam, qui aliàs nonnisi auditu percipiuntur; atque quod propriè aures solum, idque ut momentaneum quid & citò priens, sentiunt, oculi ut fixum ad perma-

permanens sentire possent. Quod palatum, lingua, dentes in sonorum efformatione fecerunt, id dein manus [ab Intellectu quasi directæ ac ductæ] in characterem efformatione fecêre; unde ad absentes loqui possumus, loqui tacendo: quippe sine sonorum prolatione; scientiæ, artes utilissimæ, inventa nobilissima seris possunt tradi nepotibus, licèt interea temporis negligantur, oblivioni mandentur, en commodum eximium! Etiam dici potest, literarum picturam linguis proficiendis inservire: dum per eam melius unius vocis ab altera origo deprehenditur, & rebus similibus seu conjunctis etiam voces tales vel ejusdem stirpis assignantur: dùm & pronunciatio admodum variabilis, ut vocis unius ab altera Ortus non pateat, ita è contra literæ pictæ [præsertim consonantes ùt apud Hebræos] mox convenientiam & derivationem vocum ostendunt. Sine scriptione ars grammatica sibi non constaret, hinc nec linguarum perfectio; vocum quoque confusioni obsistit illa pictura: dùm sæpè pronunciatio diversarum literarum ferè eadem, hinc voces scriptione discernendæ.

Literæ alphabeticæ adeò sunt materialia, quibus mediantibus miranda illa ac egregii usûs res habentur; legendus de admirabilitate ac utilitate artis scribendi HERM. HUGO *præf.* ad librum laud., ubi testimonia Veterum ac recentiorum adducit; ipse inter alia p. 15. ita loquitur: » quid enim magis mirum, quàm » tàm pauculis literis, quæ omnes omnino sunt 23., » tòt jam varia in omnibus linguis nomina constare; » quæ sibi singula sunt dissimillima? esse autem vo» cabula adhùc ferè infinita, nondum excogitata vel » audita, quæ quilibet potest sibi fabricare. » Illud autem facit hanc rem ferè incredibilem, nisi » oculis ipsis usurparemus, tòt & facta & ficta esse » vocabula tantùm ex consonantibus vocalium inter» jectu sejunctis, quæ si pronunciari possent ex solis » consonantibus facta, sicùt possent scribi, Deus bo» nè! quanta, quàm incredibilis novorum verbo» rum vis indies conflari posset! Una hæc res est, » quam inter Naturæ arcana præcipuè demirantur, » CLAVIUS noster —— & olim admiratus est TUL» LIUS *Tusc.* 1. sic exclamas: *Quis sonos vocis, qui* » *infiniti videbantur, paucis literarum Notis terminavit?*

Supererat,

Supererat, quod operæ pretium, insignem hancce artem paulatim commodiorem reddere: per instrumenta, quibus scriberetur, seu, ut aptè characteres efformarentur, per res, quibus [ùt tabulis] illinerentur, item materias, in quibus pingerentur.

Et ad instrumenta quidem, primò stylô ferreô literæ seu characteres efformabantur, quo de & Job. 19: 24. succedebat osseus, pòst calamus [cujusmodi Ps. 45: 2. indigitari vult Vir laud.] è juncis seu arundinibus quibusdam aquaticis propè Memphin; penna, penicillus [post chartæ inventionem] sic & rubrica, creta, carbo & plumbum erant scribendi instrumenta: vid., qui hæc suppeditat, HERM. HUGO *Cap.* 9. ubi semper conf. eruditæ ac amplæ in eum Notæ Cl. TROTZII. Iidem & docent *Cap.* 10. res, in quibus scribebatur, fuisse primò saxa, latera [uti & MOSES decem Præcepta tabulis lapideis inscripsit] pòst folia arborum; in horum dein locum surrogatis libris arborum, id est, tunicis interioribus corticis; postea tabellas ligneas adhibitas fuisse, *pugillares* dictas etiam, & *pugillaria* [à pungendo] item *cereos pugillares*, quià cerâ oblinebantur, nec non *codices* & *codicillos* à caudice; δίπτυχα τρίπτυχα dicta esse, prout vel duplices erant, seu duabus constabant paginis vel tribus. In usu dein fuisse laminas plumbeas [quò pertineat Job. 19: 24.] item lintea; secutas membranas [à membris animantium dictas] cutes animalium, ab urbe Pergamo, ubi optimæ fiebant, *pergamenas* nuncupatas; membranas tales *chartas* etiam esse appellatas, à verbo χαίρειν epistolis præfigi solito; chartâ, cujus & usus ante Alexandri tempora, dictâ pro qualibet chartæ specie, pro papyro ægyptiaca, membranacea, corticea, bombycina &c. papyrum autem olim esse dictam à herba virente, papyro, βίβλῳ, papyrum & ipsam notante; hæc idem HUGO *Cap.* 11. conf. & de *papyro frutice* Diss. erudita UNGERI Lipsi. 1731. etiam PRIDEAUX *Tom.* 1. [Vers. germ.] *Lib.* 7. ad finem p. 489-492.

Sic & tandem quoad materiam, quâ scribitur, seu literæ pinguntur, eâ primò & semper, ubi stylô ferreô characteres efformabantur, non erat opus, uti nec ubi rubrica, creta & carbo erant scribendi instrumenta; membranæ, chartæ & papyri inventio pigmentum

quoddam requirebat; cujusmodi maximè vulgare atramentum, μελανηρία, quo de idem HERM. HUGO *Cap.* 12. Scriptio verò, uti per se patet, sicùt ratione lateris, unde inceptum, & quò perrectum, diversimodè fieri poterat, ita inde scribendi modus non omnibus & ubivis idem erat receptus, quo de idem HERM. HUGO *Cap.* 8. ubi de quadruplici scribendi modo: nempe in latum 1. à dextra lævam versùs, hebræorum more; 2. à læva dextram versùs, nostrô more; 3. à læva ad dextram, & rursùs contrà, βουστροφηδὸν dicebatur à bobus inter arandum lineas tales revertendo describentibus; præter hos modos 4. in longum seu deorsùm, nimirùm à summo sinistro chartæ latere in imum versùs dextram sine regressu, *Tanpocon* dictus, mos Indorum, Sinensium.

Ad perfectionem scriptionis: quippe commoditatem maximam [paucis signis sufficientibus, hinc celeritatem in scribendo] faciebat introducere compendia literarum, *sigla*; item occultam scriptionem, per alias Notas; quo de idem HERM. HUGO *Cap.* 10. ubi semper conf. eruditiss. ejus amplificator TROTZ; qui plurima adhùc, quæ ad Scriptionem pertinent, in seq. eruditè ac jucundè exhibet, præcipuè verò, quæ res Veterum Romanorum tangunt. Revertimur verò, unde digressi, generalibus hisce contenti, quæ & jam prolixitatem ferunt, interim utilia sunt cognitu, hinc commemoranda: cùm modum, quô revelatio scripto mandari ac ad nos propagari benè potuit, indicent.

Sch. 2. Alligabatur populus veram constituens Ecclesiam terræ seu regioni Cananeæ, quæ erat terra Patribus promissa Deut. 34: 4. de cujus præstantia, fertilitate leg. eruditiss. Philologus Belga HAD. RELANDUS *Palæst. è Vet. monum. &c. Lib.* 1. *Cap.* 57. [uti de nominibus ejus variis prolixè *Cap.* 1 - - 9.] ut præfractè TOLANDUS fertilitatem regionis illius negaverit; testimonio Scripturæ v. g. Exod. 3: 8. 17. Strabonis auctoritatem opponens, ac hodiernum terræ Statum objiciens: cùm tamen STRABO de Tractu nonnisi circa Hierosolymam loquatur &c. & alii Scriptores antiqui, idonei testes, regionem eam fertilem deprædicent; ex hodierno verò Statu ad antiquum concludi

concludi neutiquam possit; TOLANDUS adeò in hisce uti & in aliis audaciam prodiderit: vid., qui in compendio hac de re Cel. BUDDEUS *Hist. Eccles. V. T. Tom.* 1. p. 397--400. faceret hùc & omninò eruditiss. & Cl. SCHLÆGERI [quæ memoratur edenda *Act. erud.* Lipsi. 1743. p. 480.] *summa Vet. Palæstinæ fertilitas, à Q. Tolandi ejusque asseclarum calumniis nummorum veterum auxilio vindicata.*

Expellebantur ex illa regione priores incolæ [veteribus ita migrare jussis colonis] posteri Chami, Chananæi, horrendis criminibus regionem contaminantes, infamantes, Lev. 18: 24. 25. Deut. 18: 12. ut jure expelli ac patriâ possessione spoliari potuerint: tantò magis quòd terra hæcce jam anteà ad Israëlitas propriè pertinuerit, à Deo Majoribus ipsorum, Patriarchis firmiter ùt hæreditas à posteris ipsorum pro semper possidenda, præcellens, promissa, vid. Gen. 13: 14--17. Deut. 1: 8. 8: 7--9. hinc posteri hi jus suum possessionis, hactenus nondum exercitum, occupatione executioni dare ac sibi vindicare sine omni injuria non solùm sed & justè potuêre. Nec probari potest, nullam esse factam belli declarationem, etsi nulla formalis legatur; contrarium haud obscurè concluditur ex Num. 14: 15. 16. Deut. 9: 28. vid. hac de re doctiss. nostet J. FRID. STAPFERUS *Instit. Theol. polem. Tom.* 2. *Cap.* 10. ubi *de Naturalismo*, §. 182 - 194. contra Tindalium disputans, ac benè monens, juxta hujus hypothesin Deo nequidem jus competiturum, quale Regi, qui subditos rebelles Regnò fugare vel exscindere potest.

Interim Israëlitæ incolas illos non omnes & prorsùs expulêre, mandato Dei per MOSEN dato non satis, in propriam verò perniciem, morem gerendo, vid. Jos. 13: 13. 14. Jud. 1: 27. seq. 2: 2. seq. 11. seq. 3: 1 tot. Pulsi verò à Josua diversis appellebant Oris, ac regionibus adhærescebant: eam in rem & memorantur notæ illæ in Africa Tingitana columnæ [inter alios à Cel. BOCHARTO *præf.* ad *Chan.* p. m. 2. è Procopii *Vandalic.* 2.] inscriptæ ἡμεῖς ἐσμεν οἱ φυγόντες ἀπὸ προσώπου Ἰησοῦ τοῦ λῃστοῦ υἱοῦ Ναυῆ, *nos sumus fugientes à facie Josua latronis filii Nave.*

Tòt inde antiquis Scriptoribus, Geographis præsertim, observata Phœnicum vestigia, diversas in regiones de-

latorum seu colonias eò deducentium, vel inde horum ab ultima antiquitate tradita ac servata memoria; quo de eruditissimè exponit Magnus BOCHARTUS *Chan. Lib.* 1. ubi cum ratione nomina locorum ex hebræa vel phœnicia deducit lingua; licèt & in quibusdam nimius fuisse existimari possit ac & existimetur Eruditorum quibusdam.

Doctrina salutis in ea quomodo amplificata.

1379. *Cognitio seu vera Ecclesiæ doctrina confirmabatur & augebatur in secunda hacce Oeconomia: dum non solùm porrò mediantibus apparitionibus & oretenus tradebatur* (§. 1363.), *verum per Scriptores S. seu Prophetas excitatos Verbum scriptum amplificabatur:* Libros enim MOSIS alii dein excipiebant à Viris Divinitùs inspiratis scripti, vid. (§. 134. 141. 142.), in quibus [præter ulteriorem confirmationem articulorum Relig. natur. Patriarchis notorum] (§. 1363.) nota fiebant multa, quæ priùs adhùc ignorabantur, quoad doctrinam salutis: v. gr. è quanam Tribus familia proditurus esset Liberator Ps. 72: 1. 17. 89: 37. Es. 11: 1. 10. Jer. 23: 5. 33: 15 -- 17. [Divinitate simùl Messiæ clarè adstructâ præter humanitatem, nec minùs Unitate, hinc duarum Naturarum Unione] (§. 884. seq.) è quonam loco Mich. 5: 2. quânam Matre nasciturus Esaj. 7: 14. quônam tempore Dan. 9: 24 -- 26. quasnam exantlaturus esset passiones Ps. 22: 2. 8. 17. seq. 69: 2. seq. 21. seq. Esaj. 53: 3 -- 7. 10 -- 12. quomodo ad statum dein glorioſum transiturus, ib. vers. 8. 10. 12. Regnum erecturus, Ps. 2: 8. 9. 110: 2. 3. Zach. 9: 9. officium administrandum susceperturus Deut. 18: 15. 18. Ps. 110: 2. 4. 6.

Sch. 1. Inter doctrinæ proponendæ seu patefactæ modos vel

vel revelationes pertinent adeò hâcce secundâ Ecclesiæ ætate etiam apparitiones uti & primâ (sch. 3. §. 1363.), de quibus ALLIXIUS Ausspruch ꝛc. *Cap.* 14. 15. etiam SCHOETGENIUS *Tom.* 2. *Lib.* 4. [quô continetur *Historia Messiæ ante adventum in carnem*] *Cap.* 4. ubi *gesta Messiæ tempore Mosis*; ibi è Veteribus Judæis & *Targum* loca profert, asserentia, omnibus, quæ Mosi evenerunt, quæ ab eo gesta, ac rebus in deserto præsentem fuisse Shekinam: fuisse in rubo ardenti &c. p. 451. miracula in Ægypto facta esse per Verbum Domini, p. 452. præcessisse in deserto [è *Sohar*] p. 453. fuisse rupem illam [è *Targum & Tikkune Sohar*] p. 454. Verbum Domini elocutum esse decem verba, p. 455. præcipuè habitasse in tabernaculo fœderis [è *Sohar chadasch*] Levitas propterea dici שכיני שכינה *vicinos Shekinæ* [in *Pesiktah Sotartah* fol. 87. 2.]. Nomen *Shekinah* scil., quod hîc loci commodè notari potest, denotare essentiam Divinam probat V. D. *Lib.* 1. *Cap.* 1. p. 6. 7. siquidem, ubi in V. T. occurrat gloria Dei, ibi Interpretes Chaldæi ferè semper ponant Shekinam; Messiæ jam id nomen tribui in *Sohar* & alibi; notat porro, Shekinam Cabbalistis esse vel superiorem vel inferiorem, illâ Divinam, hâc humanam innui naturam; uti phrasin *Verbum Domini* [nonnisi apud Targumistas occurrentem] & de qua jam (sch. 1. §. 920.) significare tum Deum ipsum tùm & Messiæ tribui ib. Vir laud. probat p. 5. inter alia locô clarissimô Num. 23: 21. ubi JONATHAN Verbo Domini jungit Regem Messiam; locum etiam PHILONIS egregium adscribit. Ad apparitiones ut redeamus, ac [alias extraordinarias omittentes] nonnisi de illa Exod. 23: 20. 21. quid dicamus, ibi ducem Israëlitis se præbebat angelus Dei, id est, Deus ipse: nomen scil. Dei, quod in ipso fuisse prædicatur, notat Deum ipsum: vid. Lev. 24: 11. 16. Ps. 20: 2. & vocatur יהוה Exod. 14: 19. 21. item *Angelus faciei ipsius* Es. 63: 9. etiam, quod ille Israëli promiserat, Exod. 23: 20. tribuitur Deo Deut. 4: 38. Ut non tantùm habuerit potestatem delegatam, prouti Translator Wertheimensis exponit; contra quem locum illum vindicat REIZIUS *Observat. in Pentat. quædam &c.* p. 41. seq. Columna nubis & ignis aliâs & hùc pertineret,

tineret, qua de BIERMANNUS **Moses und Christ.** *Lib.* 5. *Cap.* 4. vid. etiam BUDDEUS *Hist. Eccles. V. T. Tom.* 1. p. 460--463. & quos ibi citet.

Sequentium temporum apparitiones exhibet Cel. in anteced. laud. SCHOETGENIUS *Lib.* cit. p. 462-467. ubi *gesta Messiæ tempora Josuæ, Judicum & Regum*, ac quoad illam Josuæ factam, Dominô exercitûs ei apparente, Jos. 5 : 14. notat *Sohar* eam sumere de Rege superno, *Bereschit Rabbah* de Principe exercitûs superni, qui dixerit : ubicunque appareo, Deus S. B. conspicitur, p. 463. Omittimus, quæ quoad Gideonem, Davidem, Salomonem &c. V. D.

Pertineret huc glorioſa Dei [Messiæ] inhabitatio (שכינה) posteà in Templo, qua de vid. eruditiss. Philologi DANZII *Shekina cum piis cohabitans* in MEUSCHENII *N. T. è Talmude illustrato*, p. 701. 721. seq. ubi *Program.* 1. & 2. qui etiam notat, audire illam & Veteribus *gloriam Dei*, item *Michaëlem*; etiam inter Messiæ nomina apud antiquos Judæorum Theologos seu Doctores celebre est מטטרון *Metatron*, Angelus metator, quo de ejusque significatione idem Vir Cel. ib. Programm. 3. p. 722 -- 740. De apparitionibus tempore captivitatis SCHOETGENIUS *Lib. cit.* notat, Veteres Theologos tenuisse, nec in captivitate Deum populi sui curam omisisse, p. 467-469. de iis autem, quæ posteà, ita V. D. ib. »ex illo » tempore nihil amplius de Messia narrant Judæi, » postquàm Canon V. T. desiit, quàmvis credibile, » eundem etiam temporibus Machabæorum non otio- » sum fuisse, sed Ecclesiæ suæ omninô auxilium tu- » lisse.» Notamus adhuc, quòd in locum Prophetiarum & in genere revelationum à Deo sub primo Templo factarum, sub secundo autem cessantium Judæi succesisse velint בת קול *filiam vocis*; qua de Eruditi non eadem sentiunt, vid. de illa eruditiss. modò laud. DANZIUS *diatr. inaugur. Christi &c.* [quæ itidem extat in MEUCSHENII N. T. p. 306.] §. 24. seq.

Sch. 2. Quoad locum Psal. 22 : 7. occurrit digna, quæ hîc adducatur, observatio, in *Histoire univers. Tom.* 2. *Cap.* 7. *Sect.* 5. p. 421. Not. nimirùm cùm Messias

ibi

ibi dicatur תולעת, & vox hæcce notet vermem coloris rubri, coccinei [colori huic conficiendo ipsummet adhibitum] item & colorem ipsum, cui aliquando jungatur שני *dibaphum*; Messiam ad literam dicere, se reputatum esse ut vermiculum talem; figuratè autem, reputatum se nocentem: peccata quippe sub emblemate coloris rubri in Scriptura proponi, Es. 1:18. uti innocentiam per albedinem.

1380. *Quòd verò loca illa* (§. 1379.) *citata de Messia agant, & ita ab antiqua Ecclesia Judaica fuerint intellecta, probatur, tùm quià in N. T. Messiæ applicantur, tùm quià antiquissimi Judæorum Doctores de Messia exposuerunt:* vid. enim 1. allegationes & applicationes plerorumque apud Scriptores N. T. Matth. 1:23. 2:6. 21:5. 27:35. seq. Luc. 1:33. Joh. 7:42. Act. 3:22. 23. 8:32. Rom. 15:12. Hebr. 5:6. 1. Petr. 2:22. 24. Scriptorum jam verò per miracula & aliàs θεοπνευστίαν suam probantium (§. 115. 119. 121. 141.) expositio eò ipsò indubia est. Etiam 2. eorum testimonium aliàs habetur, de Liberatore passim in V. T. nunciatum esse Luc. 24:24. 25. Joh. 5:39. dies ejus ab omnibus Prophetis inde à Samuele fuisse prænunciatos Act. 3:24. omnes testimonium illi præbere, 10:43. ut PAULUS è Scripturis Judæos convincere potuerit, 18:28. 26:22. Unde simùl patet, locos eos (§. 1379.) ab antiqua Judæorum Ecclesia sumtos fuisse: cùm Apostoli 3. illos ùt tales allegaverint, ex principiis à Judæis tùm temporis concessis contra hosce argumentati; quod & satis hodiedum adhùc probari potest 4. ex antiquissimis Judæorum Commentariis

Per dicta Revelationis scripta Liberatorem indicantia.

mysticis, traditiones continentibus libris ipsis longè antiquiores, Doctorum sub secundo Templo viventium, de Ecclesia pura; quibus loci dicti de Liberatore luculentè explicantur, uti & ab Interpretibus Chaldæis.

Sch. 1. Expositiones CHRISTI & Apostolorum auctoritate gaudere, quæ convincat, jam tribus verbis indicatum (sch. 5. §. 905.). Monemus verò hîc in antecessum, quòd, etsi loca illa jam supra Loc. VIII. præcipuè quoad Status Christi de Hoc nobis fuerint allegata, tamen non inutilis fiat repetitio: ibi enim de eo agebatur, ut ostenderetur, Christum præstitisse, quæ locis illis continebantur ut prædicta, & characteres descriptos exhibuisse; hîc autem agitur, ut ex instituto probetur, Ecclesiam Judaicam ante Christum dicta ea seu loca de Liberatore futuro, Rege spirituali intellexisse, quo de verò ibi paucis nonnisi aliquando. Amplissimè autem id ac magna cum eruditione nec minori cum labore ex antiquissimis Judæorum Commentariis, מדרשים & רבות, ostendit, ita ut palmam hac in re aliis V. D. præripuerit, Vir Cel. CHRISTIAN. SCHOETGENIUS *Hor. Tom.* 2. [nisi fortè & quædam è libris illis prolata loca de Seculo retributionis seu Statu post hanc vitam sint sumenda] quæ pertinent ad traditionalem explicationem, magni in hisce ponderis (sch. §. 185.): scil. libri ij etsi Seculum Apostolorum non attingant, tamen continent fidem ac sententias Ecclesiæ Judaicæ multò ante Christum, & nondum ita corruptæ; ut quoad hosce libros benè distinguendum sit Seculum compilationis, seu tempus, quô partes eorum congestæ, collatæ in unum, à Seculo laciniarum singularum, quæ omninò longè, antequàm in libros congestæ, prolatæ fuêre ac interea conservatæ: nimirum & [quod probè notandum] libri midraschici ita congesti fuêre à Judæis, quasi omnia, quæ unâ & continuâ serie exhibentur, etiam eôdem tempore prolata essent; cùm tamen aliter prorsus se res habeat: dum nempe in compilando, describendo, typis tradendo Judæi accurati non fuêre, diversorum temporum res, traditiones &c. eôdem locô, eâdem serie exhibendo.

hibendo. Ut hisce observatis satis perspiciatur, parùm solidè objici, è Judæorum libris de rebus ante Christum nil posse probari, eò quòd libri hi natales suos habuerint demum Seculis post Christum: quasi verò Doctores, quorum dicta libris iis exhibentur demùm, non essent multò anteriores libris iis & Auctoribus, qui illa compilarunt; quin & diversorum Seculorum; uti hæc benè monet ac distinctè evolvit Vir laud. *Lib.* cit. *Rabb. lect. Lib.* 1. *Cap.* 9. p. 821. 822. qui accuratiùs, quàm usque hùc factum, vetera & genuina à sequioribus ac adulteratis, etiam quoad Theologiam Judæorum præcipuè secernit.

Quomodo autem & quibus in libris antiqua Judæorum Fides fuerit conservata, infra ad (§. 1399.) ex eodem V. D. monebitur. Hìc hisce præstructis [quæ stabilimenti loco poni debuere iis, quæ Christiani è V. T. quoad Messiam adducunt] ad rem ipsam pergimus: & 1. quoad loca ipsa Vir Cel. prolixè ac doctè è libris midraschicis & Targumim affert ac exhibet explicationes locorum quorumcunque V. T. de Messia, verbis ipsis αὐτολεξεὶ appositis. Sic [ut ordinem sequamur, secundùm quem nobis loca V. T. juxta scopum citanda fuêre] (§. 1379.) probat p. 238-240. Ps. 72: 1. 5. 8. 9-11. 16. 17. omnia à veteribus Rabbinis de Messia intellecta esse; sic & Ps. 89: 23--26. 28. 37. p. 241. de Es. 11: 1. seq. multa V. D. è *Sohar* & aliis, qui de Messia; p. 160--164. conqueritur autem, in editionibus quibusdam loca nonnulla esse expuncta; Jen. 23: 5. Judæis antiquis de Messia sumi, qui sit Jehovah, germen, ostendit Vir D. p. 200. ibi inter alia ex *Midrasch. Mischle* (f. 57. 1.) locum producit, quô docetur, octo esse Messiæ nomina: scil. Jinnon, Schiloh, David, Menachem, Jehovah, justitia nostra, Zemach; uti & quòd iidem crediderint, Messiam è Tribu Juda, familia autem Davidis oriturum, ostendit Vir laud. *Lib.* 6. [ubi *Historia vita Messiæ, è Scriptis Judaorum contexta*] *Cap.* 1. §. 3. seu p. 525. ac notat quoad Messiæ Majores, etiam Thamarem incestam & Rutham Moabitidem inter eos ab illis Hebræis referri; ut eò minùs id MATHÆO vitio verti possit, ibid. §. 4. Mich. 5: 1. de Messia sumserunt Veteres [conf. Matth. 2: 4--6.] notante Virô laud. *Lib.* 2. p. 213.

qui & *Lib. 6. Cap.* 1. p. 527 -- 529. probat ex hierosol. *Berachoth & Midrasch Echa Rabbathi*, quòd tenuerint, Bethlehemi nasciturum esse. Ad Dan. 9: 24. autem notat, ad huncce librum Veteres ferè ut pisces mutos esse, nec nisi obscura Veritatis vestigia reliquisse, p. 264. Ps. 22: 8. 9. 16. *Pesiktah Rabbathi* in *Jalkuth* SIMEONI de Messia filio Davidis sumere; *Midrasch Tillim* dicere: *Peccata ipsorum devolve in me, & ego portabo*; Esaj. Cap. 53: *Sohar* ac Midraschim egregiè de Messia interpretari docet anteà laud. SCHOETGENIUS p. 183. ad v. 5. *Sohar* v. g. dicere: cùm Deus voluerit sanitatem afferre Mundo, unum ex illis justum percussisse, & propter hunc sanitatem obtigisse reliquis; idque probare ex hocce v. 5. sic & Ps. 110: 1 - 5. 6. de Messia sumere, p. 246. 247.

Sch. 2. Quum itaque inprimis id agatur, ut certum sit, loca illa (§. 1379.) citata de Messia agere, & verò circa nonnulla id non ita planum sit: cùm & antiqui Judæi ferè sileant, & recentiores obstrepant, præcipuè citationes eorum in N. T. criminentur, quædam de hisce hîc apponenda sunt, & præcipuè circa locum Es. 7: 14. cit. Matth. 1: 22. 23. utpote quem Judæi inprimis objectionibus premunt; quo de loc. equidem jam quædam (sch. 2. §. 878.), hîc autem è docta & prolixa Cl. SURENHUSII βίβλ. καταλλ. p. 151 -- 165. discussione uberiùs elucidenda.

Objiciunt nimirùm Judæi: 1. Prophetam agere de ejusmodi Partu, qui Achaso futuræ liberationis signum aliquod esse potuerit contra duos Reges Pekachum & Rezinum, & propterea Prophetiam malè referri ad puerum (Jesum) post plura demùm Secula nasciturum; unde 2. nativitas mox post prædictionem sequi debuerit: ut Judæi confirmarentur, Reges illos exscindendos fore, antequam puer ad annos discretionis perveniisset, cujusmodi signum, si confirmandi vi gaudere debeat, præcedere ideò oportere, uti & Gideoni, Ezechiæ &c. factum; 3. implementum etiam tùm temporis factum clarè indigitari Esaj. 8: 3. ubi Prophetæ uxor concepisse dicatur, & comm. 18. 4. Jesum Naz. à die nativitatis non comedisse mel ac butyrum; 5. juxta Christianos in Jes. Naz. non cadere ignorantiam,

uti

uti è contrà puer ille memoretur bonum & malum nondum discernere valens; è quibus omnibus conficiatur, oraculum referri debere aut ad filium Achasi aut Prophetæ (Schear Jaschub) aut ad alium puerum, quem tunc conceperit uxor עלמה vocata ob ætatem adolescentulam. Quòd si verò regeratur Judæis, ita nullum signum à Deo proponi per Prophetam, respondent, signum in hoc consistere, quòd ante Partum certò prædicere potuerit Propheta, uxorem parituram masculum; & vaticinium optimè explicari, ubi referatur ad puerum quendam tùm temporis jam natum: de quo dici potuerit, antequam ad annos discretionis pervenerit, terram ab hostibus derelictum iri. Jam autem V. D. respondet ad hæc ac obviam it, detegendo scopum & connexionem oraculi [quam brevitatis studiô præterimus] tantundem Prophetam dixisse Regi: quàm verè Messias tandem è virgine nasciturus est, tàm verè ego conservaturus sum domum Davidis, è qua ille nasciturus est; Prophetam nimirum Judæos ad promissionem de Messia considerandam advocare, per quam conservatio domûs Davidicæ certa fuerit &c.

Si excipiatur: promissionem de Messia potuisse ratam esse, etsi Achasus in manus hostium venisset, quoniam inter hos cum familia potuerit conservari, uti pòst familia Davidis inter Assyrios; responderi, primarium Dei scopum fuisse, domum Davidis conservandam esse, quasi ESAJAS dixerit: si Deus non solùm verax est in Messia exhibendo, sed & satis potens in domo Davidis conservanda usque ad Messiæ tempora, utique & satis verax potensque censendus in liberatione nunc ab hostibus &c. Etsi etiam promissio de Messia sine liberatione illa ab hostibus impleri potuisset, tamen non potuisse ex hypothesi: quià Deus eam proposuerit ùt medium exequendæ promissionis suæ de Messia; imo hoc & concludi debuisse argumentô à minori ad majus: cùm scil. conservatio domûs Davidicæ usque ad Messiam, hujusque exhibitio, majus sit beneficium, quàm conservatio præsens ab hostibus Hierosolymam obsidentibus; præterquàm quòd Prophetæ soleant promissione Messiæ [utpote fundamentô ac basi] alia confirmare,

vid.

vid. Es. 9: Jer. 23: & promissio de Messia includat, ut terra ab hostibus derelinquatur: unde comm. 16. utrumque promissum. Quod ad illud לרעתו idem est ac עד כי ידע. Non addimus de comestione butyri ac mellis, valdè communi in Cananæa, ob utriusque affluentiam; quæ notat frugalem educationem, cibis, quos Natura præbet, uti & de Christo dici potest; nec de allegandi formula, quæ alibi eôd. Opere à Viro Cel. elucidatur; uti nec de vocibus עמנו אל, de quibus p. 164. 165.

Præterimus alia loca (§. 1379.) citata; ex Deut. 18: Mich. 5: Zach. 9: & quæ itidem in N. T. allegantur, ac idem conciliat SURENHUSIUS [licèt aliquando duriùs ipsos Scriptores N. T., morè tùm Rabbinis receptô, datâ operâ aliter legisse existimet] nil addimus, inquàm, de hisce locis: cùm hîc solùm agatur, num de Messia loquantur, non verò, cur ita in N. T. allegentur, uti allegantur. De loco Deut. 18: 15. 18. vid. SHERLOCK *Usage & fins de Propheties, Disc. 6.* p. 186 -- 195. ubi & contra illos disputat Interpretes, qui de successione Prophetarum locum sumunt.

Quæ articulos de Illo superiùs explicatos complectuntur.

1381. Patet è dictis, *locis illis* (§. 1379.) *citatis dogmata de Messia contineri, quæ* [& *uti*] *Locô VIII. exposita*; nec minùs *Ecclesiam Israëlis seu Judæos ante Christum dogmata ea tenuisse* [licèt aliqua cum obscuritate semper, uti infra (§. 1416.) videb.: cùm eadem veritates ac prædicata vel obscuriùs vel clariùs, magis aut minus distinctè nosci possint: uti è Log. & psychol. constat.] quippe itidem in libris Judæorum antiquis sententias ac effata Magistrorum multò priorum & ante Servatoris adventum exhibentibus dogmata illa haud obscurè proponuntur.

Sch. 1. Quòd Veteres Judæi articulos de Messia ita tenuerint, ut conformes fuerint orthodoxæ fidei, qualem Christiani ad ductum N. T. tenent, amplè itidem ac eruditè laud. sæpiùs Cl. SCHOETGENIUS ostendit, conquisitis magnâ diligentiâ è Judæorum monumentis [antiquis semper] testimoniis, *Hor. Tom.* 2. *Lib.* 3. ubi *de Persona Messiæ*, & *Lib.* 7. ubi de ejus *muneribus*; è quibus cùm Theologia dogmatica, quod nemo non videt, egregie illustrari possit, omittere utique non convenit, quin nostram opellam è V. D. penu, quem nobis adeò largiter profert, locupletemus.

Et quidem quod ad Messiæ personam, ostendit Vir eruditiss. *Lib.* 3. [ante omnia quoad unitatem Messiæ, seu num plures à Veteribus crediti sint] *Thes.* 1. p. 359. seq. etiam veteres Cabbalistas sibi voluisse, Messiam non esse nisi unum; quòd verò duplex [etiam jam in *Sohar*] scil. filius quoque Josephi è Tribu Ephraimi apud eos occurrat, oriri è modo proponendi cabbalistico, juxta quem subjectum aliquod memorabile, quod plura habet prædicata, aut dum de eo pluribus diversis verbis in Scriptura quid dicitur, ipsum tùm multiplicetur, ac è re una plures fiant: sic v. gr. quia de hominis creatione adhibeantur tria verba עשה ברא & יצר, inde triplicem fecisse Adamum, creationis (אדם דבריאה) formationis & factionis, licèt unum tantùm esse bene sciverint ac & voluerint; è talibus inde & mysticas suas elicere meditationes; alia adhùc exempla profert V. D., ut minimè id affingi tantùm Veteribns dici possit, v. gr. de quadruplici Spiritu Es. 11: 2. de duplici Sabbatho Exod. 31: 16. licèt nonnisi uno &c. Originem autem dogmatis de duplici Messia è N. T. esse repetendam, scil. quià Messias ibi sæpè vocetur Josephi filius, genealogia etiam ejus ùt filii Joseph à LUCA pertexatur. Jam porro quod ad naturas Messiæ, prolixè V. D. [præcipuè è *Sohar*] probat p. 369 - - - 378. Messiam agnitum fuisse à Veteribus ùt verum Deum: dùm ei ab hisce tribuuntur nomina Divina, qualia in N. T., *imago Patris*, *splendor gloriæ Ipsius*; uti & jam notavit p. 358. ubi de paralleliśmo Operis currûs (מעשה מרכבה) genuinæ antiquæ Cabbalæ [& quo de infra dicendum erit] cum doctrina N. T., ac

ac ita: » Heb. 1: 3. ἀπαύγασμα &c. - - - Messias » est imago Dei, & sigillum, cui Majestas Divina im- » pressa est - - - est Facies Dei placida - - splendor » supernus; » ita scil. antiquis nominatur.

Nec non & tribuuntur præter attributa Divina Opera quoque talia, uti creatio, benedictio [id est, omnium bonorum ad aliquem propriâ potestate & auctoritate demissio] victoria de Satana, salvatio hominum; Cultus etiam: adoratio.

Ulteriùs, quòd Veteres tenuerint, Messiam esse personam à Patre & Spir. S. distinctam, probare sibi sumit V. D. *Thes.* 4. p. 378 - - 381. tùm è locis in anteced. allatis, tùm ex aliis è libro *Sohar*; interim tamen quòd cùm Deo Patre & Spir. S. sit juxta Veteres unus Deus, probat *Thes.* 5. p. 381. 382. etiam è libro precum Judaicarum, in quo Deum vocant אחד *unum*, interim ואין יחיד *non unicum*; hasce verò preces jam ante Talmudis tempora receptas fuisse.

Alibi etiam jam, scil. *Hor. Tom.* 1. ad 1. Joh. 5: 7. seu p. 1072 - - 1075. ostendit, locis è *Sohar* prolatis, quòd veteres Judæi in unitate agnoverint Trinitatem.

Ad originem jam vel modum possidendi essentiam Divinam per generationem æternam (§. 371. seq.), hancce veteres mystici libri, *Sohar*, *Tikkune Sohar*, *Sohar chadasch* Messiæ tribuunt; vid. *Thes.* 6. p. 382-386. memorantur scil. duæ personæ, una generans, punctum primum, altera generata, quæ prodiit [filius etiam illis nominatus] fundamentum Mundi, vivens in æternum, columna item media appellata; modus hujus generationis illis describitur factus silenter, per modum emanationis, per modum accensionis luminis de lumine &c.

Quòd verò & tenuerint, Messiam fore ac esse verum hominem, satis dein probat Vir eruditiss. *Lib.* 6. ubi de curriculo vitæ Messiæ in his terris; uti quòd Divina humanaque ejus Naturæ ita uniendæ fuerint, ut unam tantùm constituerent personam, *Thes.* 8. [*Lib.* 3.]; ibi *Sect.* priore p. 388 - - 414. amplè loca Rabbinica producit, quibus id continetur; *Sect.* alterâ p. 414 - - 420. *exhibet dogma de unione personali, ex locis allatis ordine justò derivatum*; nimirum locis iis agi de Shekina, Stella è Jacobo oritura, trunco

Isai

Isai [adeòque Messia]; ejus indigitari Naturam Divinam: dùm expressè nominetur filius Dei, Adamus cœlestis, Sol propriô lumine corruscans &c. Naturam humanam: dum dicatur Adamus inferior, Servus, Templum manu Dei ædificatum, luna à Sole lumen accipiens &c. tempus indicari: Seculum futurum, זמנא דאתי , אחרית הימים &c. unionem item ipsam: dum Shekina cum Adamo inferiore dicatur אתבחרת *consociata &c.* & dici יחודא קדושא *unionem sanctam*; finem assignari, scil. ut pax æterna firmetur; effectum, ut Rex multis coronis & splendoribus cœlestibus coronetur &c. Ad unionem hancce & refert V. D. propositiones, quas producit è Veteribus, *Thes.* 10. p. 424. 425. v. g. *Shekina est cum indumento hominis meri; Shekina facta est corpus Regis; puer Metatron est Princeps Mundi; ille, qui ex Boas natus est, vocatur nomine Dei S. B.; Messias nascitur Bethlehemi &c.* Cùm etiam per hancce unionem in humanam naturam non potuerint non dona redundare (sch. 2. §. 886.), quod *unctio* Messiæ dicitur, Veteres inde & memorant unctionem Messiæ per Spir. S., ita *Targum*; nec non, quòd vi hujus unionis pluribus donis, quàm socii ejus, fuerit instructus, *Sohar* egregiâ meditatione eloquitur, docente Virô laud. p. 431-433.

Sch. 2. Jam ea cùm ad redemtionem procurandam spectaverint, hæc autem peragenda fuerit Missiæ Munere triplici (§. 865.), inde & triplex tale Munus Rabbini antiquiores Messiæ vindicarunt: uti ostendit idem Cl. SCHOETGENIUS eôdem *Hor. Tom.* 2. *Lib.* 7. & Propheticum quidem [quo de *Cap.* 4. p. 665 - - 674.] dùm dicitur in *Tikkune Sohar* Pastor fidelis, posse aperire abscondita omnium absconditorum, esse filius domûs, ad quam neque Propheta neque Videns possit ascendere, nisi potestate ei factâ, ipse verò opus non habeat veniæ impetratione &c. §. 2. alia quoad officium hocce memorabuntur infra (sch. §. 1425.).

Sacerdotale verò officium, quô propriè redemtio peracta, ab ipsis exertè Messiæ tribuitur: dum illis vocatur [de Michaële nimirum & Principe Magno loquentes, Messiam eô ipsô loquuntur] Sacerdos in

cœlo

cœlo superiùs, Sacerdos Summus, superior omnibus illis, qui januas custodiunt, id est, angelis, Sacerdos Magnus ad latus dextrum, item sacrificia offerre, *Cap.* 2. §. 3. 4. è *Sohar*, *Sohar chadasch*, *Tikkune Sohar* & *Midrasch Tillim*; eò & pertinent dolores Messiæ, quorum antiquos meminisse [licèt hodierni renuant] probat Vir Cel. *Lib.* 6. *Cap.* 3. dum mortem cruentam subiturum tenebant, quin & tempus passionis memorabant, mensem Nisan; de passionibus verò Messiæ vicariis clarissimum ac egregium locum V. D. profert ex *Jalkut* SIMEONI ib. *Cap.* 5. §. 4.

Hisce uti redemtio peracta (§. 948. 949.), inde & Veteres Messiam dixerunt פריק *Redemtorem*, *Liberatorem*, [in *Targum* & *Echa Rabbathi*] המלאך הגאל *angelum redemtorem*, & redemtionem ipsam גאולת עולמים [in *Midrasch Tillim*] contradistinctè ad temporariam, notante V. D. *Lib.* 7. *Cap.* 2. §. 9-11. nisi tamen fortè ex hisce quædam, uti difficiles sunt ac intricati hi libri, liberationem Israëlis terrestrem innuant.

Jam passionis eæ constituebant Statum Messiæ exinanitionis (§. 898.), de quo Vir laud. *Cap.* 5. p. 674. seq. qui ille & faciebat Ministerium Messiæ, quo de *Lib.* 6. *Cap.* 2. ubi §. 19. notat, quosdam ei annos tres cum dimidio tribuere, uti *Echa Rabbathi*, *Midrasch Tillim*; alios autem libros 40. annos, ita *Pesiktah Rabbathi* & *Sanhedrin*; quæ ita concilianda, ut per posteriores intelligendi sint anni ab initio Ministerii ad devastationem Hierosolymorum usque.

Non addimus hîc, quæ ab hisce præsupponuntur, lapsu hominis primi, posterorum Statu miseriæ, circa quæ sententia antiquæ Ecclesiæ Judaicæ ex iis, quæ V. D. hinc inde ad loca N. T. profert *Hor. Tom.* 1., patet; pertinerent hæc ad Loc. VII. hûc verò propriè nonnisi, quæ de Messia; circa quæ & aliâs prolixitatem evitare non potuimus.

E Statu exinanitionis & munere Sacerdotali in terris peracto provenit Status exaltationis, functio sacerdotalis in cœlo ac Munus regium: vid. (§. 964. 972. 975.); hinc & de omnibus hisce Veteres Hebræorum Theologi: vid. de Statu exaltationis Vir laud., ubi modò, de Statu exinanit. item & *Lib.* 6. *Cap.* 7.

Cap. 7. §. 4. de functione sacerdotali in cœlis per intercessionem *Lib.* 7. *Cap.* 2. ubi §. 24. docet, Messiam ob eam vocari פטרון (*Patronum*), סיניגור (συνήγορον) oppositè ad קטיגור (sch. 1. §. 964.), ita *Schir haschirim & Pesiktah Rabbathi*: item dici Michaëlem, lucem dextram, ἐπίτροπον magnum Israëlis [in *Sohar Exod.*] factum συνήγορον pro Israëlitis, & liberare eos ab accusatione adversarij, §. 25. Michaëlem & Sammaëlem dici [in *Shemoth. Rabbah.*] stare coram Shekinah, ubi Satan accuset, Michaël autem excuset, & illum ad silentium redigat, q. d. Ps. 85: 9. §. 26. ratione hujus Muneris Metatronem [Messiam] dici פתחון *apertorem*, quoniam preces aperiat, uti ratione impiorum סגרון *occlusorem*, quoniam januam precum claudat, §. 27. per Shekinam preces nostras Deo S. B. acceptas fieri &c. §. 29. item ubi homines ascendunt ad Templum cum precibus suis, Shekinam pro ipsis intercedere dici, §. 30.

Tandem quod ad munus regium, tritissimum est apud Judæos, Messiam Regem fore [unde vulgatissimum מלך המשיח & chald. מלכא משיחא *Lib.* 1. *C.* 1. p. 13.] etiam spiritualem, notante & Virô laud. ib. *Cap.* 1. §. 1. 2. ac eò refert, quod Judæi de אבן שתיה *lapide positionis*, per quem scil. Messiam indigitaverint [qui sanè in genere per triplex Munus est fundamentum] (§. 1323. & sch. 1--3. ib. §. 1324. ac sch. ib.) & de quo egregiè è *Sohar*: leg. ib. §. 3--7. lapidem hunc ab Ecclesia Pharisaica esse rejectum, factum autem in lapidem angularem Ecclesiæ, quæ à Judæis appelletur S. Sanctorum.

De lapide hocce etiam occasionaliter quædam VAN DER WAYEN *Var. S. diss. de hirco Azaz*, p. 152--165. quæ verò tanquam conjecturam examinandam proponit: nimirùm cùm in Templo secundo Arca defuerit [ut ex unanimi Rabbinorum consensu ac & Jer. 3: 16. probetur &c.] ejus locô lapidem ibi fuisse; arcam jam fuisse typum Christi, & locô arcæ vel in hujus locum veterem Ecclesiam Judaicam aliquid expectasse, scil. Messiam, qui & ut lapis proponatur Gen. 49: 24. Deut. 32: 15. Ps. 118: 22. Es. 28: 16. cùm verò Judæi

dæi cortici inhæserint, facilè factum esse, ut lapidem locô arcæ reponi voluerint, & inde lapidi isti tribuerint, quæ Messiæ conveniunt, uti quum de illo [lapide] dixêre, Deum eum in medio Mundi collocasse, quià inferius Mundi firmamentum ac fundamentum fuerit. Cabbalistas loqui de lapide capitali (אבן הראשה) &c. monet laud. Theologus; ut nil dicatur de Zach. 3: 9. nonnisi addendum illud Judæorum de nomine Tetragrammato lapidi illi inscripto, unde Jesus artem suam didicerit &c.

Successivè omnia revelata ad priores revelationes elucidandas.

1382. Patet etiam ex anteced., gradatim factam esse revelationem doctrinæ de Messia vel salutis; seu paulatim, diversis temporibus, unum articulum post alterum, qui priùs adhuc tacebatur, à Viris θεοπνεύστοις sub V. T. fuisse prolatum. Nec minus clarum est ac liquet, omnia se retulisse ad promissionem Abrahamo factam & hinc primam in paradiso (§. 1363.); ut hujus & illius evolutio fuerint, quæ hâc ætate de Messia patefacta.

Quippe Messias hôc tempore promittebatur ùt proditurus è Terra Patribus antea promissa, cujus locus specialis nunc &, designabatur. Quòd autem & quomodo per gradus noscenda de Liberatore indicata sint, seu una Subjecti determinatio vel adventûs Ejus expectati, circumstantia post alteram, facilè perspicitur attendenti loca V. T. (§. 1379.) citata, & ætatem Virorum ea proferentium vel Scriptorum S.: sic ex. gr. DAVID prædixerat tum alia tum mortis genus, Ps. 22: 17. ESAJAS post Ortum è Virgine, 7: 14. MICHAS nativitatem Bethlehemi 5: 1. DANIEL in captivitate tempus præcisè determinatum, 9: 26. HAGGÆUS etiam & MALACHIAS post captivitatem alia, ille 2: 7. 9. hic 3: 1. Ad revelationem hancce gradatam & præcipuè quomodo posteriores revelationes se retulerint ad priores, uti hæ ad primam, faciunt, quæ SHERLOCK *l'usage & les fins de la Prophet. disc.* 4 -- 6. hinc inde.

1383.

1383. Cùm verò Ecclesia ac Religio postulent Cultum (prol. §. 19. & §. 1319. ac sch. 1.), & quidem ante omnia illum universalem, immutabilem (§. 53.), hinc & officia itidem talia, sempiterna (§. 57. 59. 80. 81.); ideò *Deus non potuit non Israëlitis officia hæcce immutabilia expressè injungere* [vid.] (§. 76. 78.), *quæ decem Præceptis continentur*, Ex. 20: 3. seq. quod enim quôlibet Præceptô aut vetatur aut mandatur [exceptis quibus circumstantiis] est obligationis perpetuæ: Ratione & Lege Naturæ ostendente, Deum non essé perversô modô colendum, reverentiam Nomini Ejus exhibendam (*Mor.* §. 662. 710. seq.), peculiare tempus Cultui Ipsius destinandum (ib. §. 763.); Parentibus, Superioribus deberi honorem, obsequium (*Pol.* §. 124. 433.); eâdem Lege damnante matrimonii violationem (*Pol.* §. 44. seq.), impuritatem (ib. §. 28. seq. §. 38.), violationem famæ aliorum (*Mor.* §. 806. seq.), læsionem quoad corpus (ib. §. 437. coll. 768. 820. *Pol.* §. 370. 371.), furtum, fraudem (*Mor.* §. 894. 897.), denique radicem horum omnium, concupiscentiam pravam (ib. §. 182. 387. 390.).

Officia Juris Naturæ per decem Præcepta Judæis præscribebantur.

Circumstantiæ & annexa nonnullorum præceptorum, quæ juris positivi aut non-universalis, erant: in Præcepto 4to severa illa diei præcisè septimi [nec alius] injuncta observatio, item quòd hæc omnis planè operis [vitæ hujus gratiâ susceptî] prohibitionem ferret, & quidem sub pœna mortis Ex. 31: 15. 35: 2. 3. quæ aliâs de Sabbatho, ejus moralitate &c. disputata, præcipuè in Belgio, non est hujus loci prolixiùs commemorare; nominamus nonnisi Theologum præ aliis Celeberrimum J. COCCEJUM, qui hac de re *to.* 7.

opp. non paucis, scil. *indagatione naturæ Sabbathi & quietis N. T.*; cui subjuncta commentatio erudita exhibens *testimonia veterum & recentiorum Ecclesiæ Doctorum, ex quibus intelligi potest, quid Ecclesia primis temporibus & à reformatione de Sabbatho, cessatione & Dominicæ origine ac celebratione senserit*; item alia adhuc &c. de lite Sabbathica vel quæ ad ejus historiam etiam in compendio BARTELS *de Sabbatho Christiano &c.* Vitemb. 1731. Pertinet inter illa 10. præceptis adjuncta, quod statui populi accommodatum, hinc hôc sensu non universale, Promissum Præcepto quinto annexum; licet τὸ generale, quod hôc Promissô continetur, seu benedictio temporalis (sch. 1. §. 669.) etiam Naturâ notum dici possit, hinc gentiles id noverint; quò pertinet, quod CLERICUS in h. l. seu Ex. 20: 12. suppeditat, vitam promitti longævam ijs, qui Parentes honorant, propterea, quia Parentes tum Bonum id à Deo exorent: ipsorum quippe pro Liberis preces efficaces semper fuisse habitas; allegat Not. ad Gen. 27: 33. inde quòd gentiles tenuerint, quomodo Patres Liberis nocuerint precando contra eos, locô è PLATONE *leg.* prolatô docet, ubi exemplum Amyntoris Phœnici filio, Thesei Hippolyto ita nocentis; non addimus ex eodem V. D. ib. de momento hujus Præcepti quinti, bono ex ejus observatione in totam redundante societatem; ratione, quare Parentum erga Liberos officia non injungantur; quòd Patri Mater jungatur, ut Ægyptiorum Instituto contraeat MOSES, apud quos Matrem inferiori fuisse quoad honorem à Liberis exhibitum locô patere vult ex HERODOTI & DIOD. SIC. locis allatis &c. Pergimus ad ea, quæ 10. Præceptis continentur, statui populi accommodata; inter quæ & interdicta quædam vel potiùs modi hæc transgrediendi, uti Præceptô secundô expressi illi Deum perversè colendi modi, ex idololatria gentium ejus ævi [ad quam Israëlitæ maximè erant proni] explicandi, uti benè fecit idem Vir eruditiss.; interim hæcce neutiquàm eoùsque sunt extendenda, ut cum SPENCERO dicatur decalogi scopum fuisse idololatriæ inhibitionem: vid. ejus hac de re *diss.*, quam exhibet editio Tubing. 1732. *Lib.* 1. *Cap.* 2. quàmvis scelera v. g. adulterii, furti &c. inter gentes idolatricas illas communia fuerint, ut ib. V. D. p. 38. 39.

Ex

Ex 10. hisce Præceptis Judæi 7. illa decantata, ita dicta *Noachidarum Præcepta*, desumsêre, quæ ideò & Proselytis portæ erant observanda, & de quibus amplâ Commentatione Anglus longè eruditiss. JOH. SELDENUS exposuit in notissimo illo *de Jure Naturæ & Gentium juxta disciplinam Hebr.* opere.

1384. Præcepta decem itaque Juris sunt naturalis; ob moralitatem intrinsecam (§. 67.) dicuntur *moralia*, item *lex moralis*, uti ob numerum denarium *decalogus*; & quia ad proximum quod attinet, damnum ei quôcunque modô inferre vetant, adeòque ex principio: suum unicuique tribuas, fluunt, ideô continent Jus Naturæ, quod *externum* & *cogens* dicitur, vel *strictissime sumtum*, ac officia, quæ *necessitatis* vocantur. *Quomodo illa audiant.*

Sch. 1. Quæ ex principio hocce determinantur, constituunt, quod dicitur, *justum naturale*. Nimirùm principium illud [quocum idem est: ut omittantur, quæ alterum ejusque statum imperfectum reddunt] quià respicit τὸ suum alterius, quod vel Naturâ solâ vel aliunde determinatur, hinc vel *naturale* vel *acquisitum* est, adeòque id, quod huic, illi &c. competit, de quo ei nil detrahendum, in illo non turbantus, fert obligationem moralem *perfectam*, & jus tale in alterum, consistens in libertate eum, si renitatur, cogendi ad officia illa [quæ ideò & *perfecta* dicuntur] nobis exhibenda, seu ad custodiam ejus, quod nostrum; Vid. Cl. SCHIERSCHMIDII egregium syntagma, inscriptum: *elementa Juris naturalis, socialis & gentium*, Jen. 1742. *Cap.* 1. §. 199. 242. seq. 252.

Sch. 2. Duabus tabulis lapideis Præcepta hæcce Deus dedit inscripta; quarum prior, 4. continens Præcepta, officia erga Deum injungit [quæ si sint naturalia, dicuntur *pium naturale*, V. laud. §. 98.]; posterior verò, 6. continens, officia erga proximum; uti &

JOSEPHUS dividit *Antiq. L. 3. C. V. 5.* ùt divisionem communiter receptam referens: quemadmodum & reverà per eam numerus denarius cum discrimine præceptorum convenientissimè simùl stat, seu omnium divisionum hæc optimè utriusque satisfacit. Interim aliter Præcepta illa dividunt Pontificii & Lutheri discipuli: illi nimirùm [quò faciliùs Interdictum imaginum nonnisi Deos gentilium spectasse evincant] secundum Præceptum sub primo comprehendentes, hinc priori tabulæ tria tantùm assignantes; è decimo autem Præcepto contra rei naturam duo facientes. Aliâs autem si nullus subesset scopus malus dogmati cuidam erroneo succurrendi [à quo longè absunt ὁ μόψηφοι nostri in Ecclesia Evangel.] non esset cuiquam lis movenda, vel contentiosè de partitione decalogi disceptandum. Non addimus, quomodo alioquin in Ecclesia antiquiori ac recentiori diversimodè fuerit divisus decalogus; aliquid hùc pertinens ALTING *Theol. problem. Loc. 10. probl. 6.* Nec etiam, quæ SPENCERUS loc. (sch. §. 1383.) cit. p. 37. ubi rationem reddere vult, quare Tab. primæ & secundæ Præcepta conjungantur, cùm tamen nil commune habere videantur; scil. ex hypothesi, quòd lex hæc debuerit esse obstaculum idolatriæ, quæ tempore Mosis ita obtinuerit, ut idolatræ simùl scelerum Tab. secundâ vetitorum rei essent; item ex eo, quòd Deus duplicem in lege illa sustinuerit personam, unde & duplex in proœmio nomen sibi attribuerit, יהוה & אלהים; tabulam primam jam occurrere debuisse deviationibus, quæ adversatæ Johovah, quâ Deo supremo; tabulam secundam verò eos mores eradicare voluisse, quæ Deo quâ Regi contrariatæ, & Politiam illam, quam Deus erigere volebat, everterint &c.

Sapientia Legislatoris in iis præscribendis.

1385. *Sapienter* autem *omnino Deus officia illa Præceptis determinatis* [*promissionibus ac minis sancitis*, Lev. 18: 5. Deut. 27: 26.] *injunxit*, & *quidem præcipuè officia erga Eum ac proximum*, *hæcque absolutæ necessitatis* (§. 1384.): distinctè enim nisi expressa fuissent, & solùm relicta

relicta cognitioni, quâ Israëlitæ per se de iis gavisi, uti quoad Patriarchas res se habebat (§. 1365.), omissio eorum ac transgressio multò fuisset frequentior: corruptione originali (§. 812.) nimis se prodente, præsertim apud gentem numerosissimam, consuetudini inter gentiles [institutа prava moresque perditos sectantes] innutritam; unde porrò necesse erat Promissis ac minis illa sancire; è quo simùl necessitas patescit crimina vetandi, seu damni illationem alteri (§. 1384.): cùm à malo priùs retrahendus sit homo, antequam ad studium boni perduci possit (*Mor.* §. 672.). Interim cùm nil aliud juberent, nisi quod homini utile, salubre, nec vetarent, nisi quod noxium, Præcepta illa Deum ùt benignum Patrem exhibebant (§. 79.). Ulteriùs sapienter Israëlitas convincebant ingenitæ corruptionis, impotentiæ propriæ (§. 816. 830. 1024. seq.); hinc justitiæ propriæ opinioni (§. 1136.) præstruebant. Tandem sapienter officia erga Deum præcipuè ac proximum ijs præscripta: eò quòd Deus sit objectum primarium, intuitu cujus quid præstandum; ea verò erga proximum faciliùs violentur quàm ea erga seipsum, ut tantò magis expressè sint memoranda.

Præcepta secundæ tabulæ quia officia, sine quorum observatione tranquillitas publica in societate sibi non constat, inculcabant, hinc ad salutem, pacem Regni conservandam, ac bonum publicum promovendum spectabant, uti SPENCERUS *Lib.* 1. *Cap.* 2. edit. Tubing. p. 35. loquitur, eâtenus cum ipso possunt dici *politica*, ib. cùm Politicæ seu Scientiæ Civilis sit talia per applicationem Juris Naturæ curare, immutabilia hujus Præcepta injungendo.

Quoad interpretationem decalogi autem rectè tenetur, ubi peccatum ac vitium vetetur, ibi è contrà virtutem oppositam juberi & vice versâ: id ostendente voluntate Dei, cui non sufficit simplex mali vitatio [quippe tum nondum glorificaretur] sed æquè postulat studium boni: vid. (§. 52. 58. 80. & sch.); etiam ostendente intentione Legislatoris: quam quippe satis & ample alibi ita explicuit, inculcando interdictorum mandata opposita; adeôque clarè ostendendo, & in decalogo, ubi violatio officii severè interdicatur, simul præstationem officii è contrà injungi. Hinc cùm interdicta ferant ac eò tendant, ne alter in τῷ suo turbetur (sch. 1. §. 1384.), adeòque primò & proximè necessitatis officia injungendo vetent perfectionem statûs alterius minuere, felicitatem ejus turbare &c. ita per intentionem Legislatoris æque dein ferant, ut faciamus erga alterum, quæ statum ejus perfectiorem reddunt, felicitatem illius promovent, quæ sunt ac dicuntur *officia humanitatis* [obligationem ad amorem erga alios ferentia] item *imperfecta* [scil. talia seu imperfectæ obligationis, neutiquam respectu Dei, verùm spirituum creatorum, uti & monet CANZIUS *notion. fundamental.* §. 691.] ad quæ præstanda alter cogi nequit, sed solùm invitari; complexus verò legum naturalium, quæ inde [ex amore aliorum] derivantur, vocatur *jus naturæ internum*; sicut utrarumque legum [tàm ex hoc quàm ex jure externo seu cogenti (§. 1384.) fluentium complexus vocatur *jus naturale strictius sumtum*; uti hæc (ib. sch. 1.) laud. SCHIRSCMIDIUS loc. cit.

Jam & CHRISTUS [qui ipse Legislator in Sinai fuit Act. 7: 38. hinc legem optimè habuit perspectam] docuit Summam ejus esse amorem; scil. Summam præceptorum, quæ alios concernunt, amorem proximi, uti Summam illorum priorum, Deum concernentium, amorem Dei, Matth. 22: 40. licèt omnino amoris notio erga Deum non eadem esse possit ac ejus erga homines: cùm Dei felicitas vel perfectio augeri nullâtenus à creaturis possit: vid. (§. 332. seq.), & Ipse in statu versari propriè dici nequeat (per definit. Statûs in ontolog. & per §. 322.); amor verò proximi seu humanitatis officia erga alias præsupponunt ea

neces-

necessitatis, seu quæ damnum vetant (§. 1384.), ut adeò Summa Legis [officia erga proximum complectens, non potuerit meliùs quàm per amorem proximi à CHRISTO exprimi [etsi & notio vocis græcæ potuerit esse amplior notione amoris erga alios modò memoratâ] uti Summa vel complexus officiorum erga Deum, ex præceptis, quæ Ipsum spectant, resultantium per amorem erga Deum; ut generale omnium officiorum utriusque Tabulæ convenientissimè constituatur amor Dei ac proximi; notione & effectu utriusque (*Mor.* §. 693. 776.) congruente; sicùt jam & in statu innocentiæ erat Summa seu generale officiorum (§. 722. & sch. ib.), licèt tùm nondum obtinuerint status, qui posteà decalogô injuncto (709. 713. seq.(.

Ad interpretationem decalogi ut redeamus, ex eadem Legislatoris intentione explicata, uti & Sapientia Ipsius summa (§. 268.) patet interdictum & mandatum quodlibet etiam sub se comprehendere omnia media ac adminicula &c. quæ vel ad vitium vel virtutem ducunt: cùm Sapiens & media velit (§. 266.); ut lex etiam radicem seu fontem actionum externarum spectet, interna cordis [uti decimum ostendit præceptum] unde audit *spiritualis* Rom. 7: 14. vid. & §. 812. ac sch. 1. ib. §. 818. sch. 1. ib.). Tanto magis rectè tenetur, sub uno vitio aut virtute cardinali etiam speciales Lege indigitari; pertinent hùc & ea, quæ dicta (sch. 1. §. 915.

Ex his & jam quodammodo patet, non rectè se habere illorum sententiam, qui decalogum nolunt esse legum moralium compendium. uti sentit SPENCERUS *Lib.* 1. *Cap.* 2. p. 28. edit. Tubing. non agnoscens in illo Legem de amando Deo; contendens item, nimis amplos decalogo per interpretationem affingi sensus: dùm non respiciat privatos actus, animi sobrietatem, gratiarum actionem, dilectionem proximi, p. 35. Quibus consentanea, quæ CLERICUS in Ex. 20: 1. hinc æquè malè, quæ autem pluribus tangere vel discutere tùm institutum non fert, tùm & potiùs pertinerent ad Theologiam moralem.

1386. Quoniam verò & externus *Cultus exter-*

ni publici ordinatio. Cultus, isque publicus Deo debetur (*Mor.* §. 759. 763. seq.), hinc in Ecclesia talis requiritur, & is quoad multa variè admodùm determinari potest (*Pol.* §. 320. seq.), ideò *Deus per Mosen Israëlitis etiam quoad omnia Cultûs externi, publici formam præscripsit:* definivit namque determinatè prorsùs 1. personas, quæ Cultum huncce peragere deberent, seu Ministros sacrorum; 2. res, circa quas hi operari & actiones instituere deberent, seu quæ ad Cultum vel Usum sacrum adhibendæ; 3. locum, ubi; unicum scil. nonnisi pro Sacris publicis; 4. tempora, quandonam peragendus esset Cultus, diversa [uti tam templa quàm dies festi in Republica requiruntur: vid.] (*Pol.* §. 320. seq. 324. seq.); 5. aliàs adhuc modum, juxta quem; circa omnia illa & sacrorum honori cum cura prospiciens: vid. de omnibus ijs Ex. 25: - - 31: Cap. Lev. 1: - - 8. 16: 17: 21: - - 25: Cap. prætereà universa hæcce pœnis [sine veniâ infligendis] munivit, execrationemque in transgressuros pronuntiavit: vid. Exod. 28: 43. 30: 19 - - 21. 33. 38. 31: 15. Lev. 7: 20. 21. 25. 27. 10: 2. 19: 8. Deut. 27: 26. 28: 15.

Ad 5. hosce articulos omnia referri possunt, quæ quoad Cultum publicum Judæi ut regulam seu determinationem in agendo sequendam observare debebant; ad 4. etiam aliàs à quibusdam reducuntur, uti à Cl. RELANDO in *antiq. S.* ubi tùm modus sub reliquis, præcipuè sub rebus ac personis, comprehenditur.

Itaque 1. quod ad personas, quæ demandatas sibi Cultûs publici functiones habebant, erant eæ è Tribu Levi; quam Deus tantô dignabatur favore, ut sacris obeundis sola ac omnis [locò Patrumfamiliâs ac primogenitorum

mogenitorum sub Promissione, de quibus aliquid] (sch. 2. §. 1365.) vocare posset ac deberet, atque ita gratioso ad Deum appropinquandi gauderet privilegio; cum hocce tamen discrimine, ut quibusdam propius accedere liceret, adeoque interioris admissionis gauderent favore, posteri nempe Aaronis [qui titulo קדוש יהוה honoratur Ps. 106: 16.] quibus *Sacerdotii* tradita dignitas, unde כהנים appropinquantes quasi, vid. COCCEIUS *Lex*; cum reliqui Levi posteri [*Levitæ* inde dicti, & loco primogenitorum sanctitatis, seu Deo sub Lege sacrorum, uti quævis primogenita, ab Ipso sibi vindicati Num. 8: 16 - - 18.] Sacerdotibus subministrare deberent; uti his dein alij, servilibus ferè functionibus à Josua destinati, Nethinæi, Jos. 9: 21. 27. Esdr. 8: 20. Inde ante omnia de genealogia legitima debebat constare, quo ita per continuam successionem dignitas sacerdotalis procederet; hac de re ex Jud. Magistris [Talmudistis & recentioribus] SELDENUS *de succeff. in Pontific. Hebr. Lib.* 2. ubi *Cap.* 1. quod, uti solum, qui masculus erat, ad munus sacerdotale admittebatur, ita & duntaxat is, qui ex masculis tantum in stirpe Aaronica erat oriundus; adeo ut nepos ex filia &c. arceretur, sic & quisquis è Matrimonio Lev. 21: 7. prohibito natus, *Cap.* 2. ubi etiam, quod in כתבים היחש *Scripta* seu *libros familiæ* referre soliti fuerint Sacerdotes, Esdr. 2: 62. Neh. 7: 64. 13: 28. ne fama de familia profanis (חלל) inquinata functioni successivè adversaretur &c. *Cap.* 3. Josephum adducit ac excutit.

Variis dein ritibus ac solenniter Sacerdotum fiebat inauguratio, Ex. 29: 1 - - 37. Lev. 8: tot. [uti & ea Levitarum ceremoniis quibusdam peragebatur Lev. 14: 8 - - 12. Num. 8: 7 - - 15. 20. 22. interim & horum & Sacerdotum inaugurationem, gregariorum scil. nonnisi in Sacerdotii institutione, in deserto, Judæi factam volunt] requirebatur certa ætas, certæ qualitates, externæ, corporis, quibus destituti à Munere hocce excludebantur, Lev. 21: 17. seq. de ætate cit. Tract. *Cap.* 4. uti de vitiis corporis *Cap.* 5. etiam de vitiis animi *Cap.* 6. Certæ quoque Vestitus formæ [quo de Tractatus longè præstantissimus ac amplus Cl. BRAUNII]

BRAUNII] prætiosæ, splendidæ, quasi Muneris insignia injungebantur inter ministrandum, & Candidatis induebantur, ut scil. per hæc omnia Religioni sua constaret dignitas, debitus honos; quò & pertinet, quòd non liceret ijs luctui ob mortuos, ad instar cæterorum hominum indulgere, Levit. 21: 1-3. 11. [cùm, si promiscuis funeribus se funestassent, facilè contingere potuisset, ut sacra quotidiana omittenda fuissent: quoniam polluti ea obire non audebant] quod circumspectè matrimonium contrahere deberent, ib. v. 7. 13. 14. quòd decimarum ac primitiarum quasi Domini constituerentur; unde divitiæ, & nemo ijs exprobrare poterat, quòd alienò vivant sumtu: quippe reditus hi propriè Deo erant dicati, ac & priùs in Templum deferebantur; uti hæc perbenè notat SPENCER. *Lib.* 1. *Cap.* 1. *Sect.* 3. ubi ostendit, quomodo lex personarum sacrarum honori singulariter quoque prospexerit.

Certæ functionum Classes certis, & temporibus determinatis, demandabantur, tàm Levitis, quàm Sacerdotibus [inter hos Pontifici Max. Vestitu pro certa functione solenni variatò Lev. 16: 4.] præcipuè à Davide pòst, eos in suos ordines dividente ac subdividente, 1. Chron. 24: - - 26: Cap. 28: 13. 2. Chron. 8: 14.

2. Res, quæ ad Cultum adhibebantur, erant, quæ in sacrificia fiebant, item quæ ad impuritatem tollendam, seu ad lustrationem, sumebantur; nec non & eò pertinent instrumenta vasaque utrique illi rei inservientia. Nimirùm totus Cultus non poterat non eò tendere, ut liberatio à peccatis impetraretur, ùt Loc. VIII. ostendit ac natura Religionis: conf. (prol. §. 19. coll. 38. sch. 1. §. 92. & §. 93.), & sacrificia eò spectabant; ea hâcce ætate admodùm multiplicata, desumebantur vel ex animatis vel ex inanimatis rebus; illa dicebantur *cruenta* (זבחים), quoniam desumebantur ex animalibus, tùm è pecudibus, quæ ideò *pecudes sacrificales* dicuntur, tùm è volatilibus; è prioribus erant tres species, בקר, כבשים & עזים, quæ ratione ætatis faciunt 6., & ratione simùl sexûs 12. è posterioribus erant turtures & pulli columbarum; *incruenta* sacrificia erant, quæ ex inanimatis desumebantur,

bantur, ijsque vel liquidis: vino, oleo, ac *libamina* (נסכים) dicebantur, vel aridis: thure, farina, [uti panes propositionis & pentecostales] hordeo [uti manipulus paschalis, quo de uberiùs, quàm hactenus factum, exposuit doctiss. noster GRUNERUS *diatr. de primitiarum oblatione & consecratione*, Lugd. B. 1739. ubi vid. præcipuè *Cap.* 2. 4. & 5.] dicebantur *ferta* (מנחות).

Ratione finis sacrificia erant vel expiatoria vel eucharistica [uti Religio peccatoris consistit in liberatione à peccato per remissionem & gratitudinem pro hac erga Deum: vid.] (§. 106. 109. 988. 1119. seq. 1157.) illa ad gratiam Dei seu Ejus favorem sibi iterum conciliandum erant comparata (חטאת & אשם) [cujus utriusque discrimen Doctis perplexum Cl. & eruditiss. IKENIUS *Antiq. Hebr.* P. C. 13. §. 24. in eo ponit, quòd prius ad pœnam averruncandam, posterius autem ad conscientiam tranquillandam offerretur] hæc [eucharistica] ad gratum animum pro favore exhibito testandum (תודה & שלם; ad gratiæ Divinæ impetrationem spectabant quoque, quæ in benedictionis temporalis proventum offerebantur ferta: manipulus paschalis &c. utrique fini poterant inservire Vota (נדרים). Aliò respectu: pro quibus offerebantur sacrificia, erant vel publica [pro Cœtu] (זבחי צבור) vel privata [pro singulis hominibus] (זבחי יחיד); uti & adhuc respectu sanctitatis ac modi offerendi dividuntur.

Quod ad res impuritati tollendas adhibitas, erat inter eas præcipuè aqua, eaque vel nuda, vel cineri vaccæ rufæ mixta; etiam sanguis, aliquando & oleum sumebatur.

Requirebatur autem quàm maximè in animantibus, ut omnis labis essent expertia, ut scil. res sacræ convenienti gauderent dignitate; in quem eundem finem & vasa sacra unguentò pretiosissimò erant ungenda Ex. 30: 27--30. item quòd Sacerdotes omnès res sacras reverenter admodum ac modò ijs dignò tractare deberent Ez. 22: 26. inde tùm illi tùm alij immunditie laborantes ab usu rerum sacrarum arcebantur,

Lev.

Lev. 7 : 20. 21. 22 : 3. seq. & res sacræ aliâs usibus humanis eximebantur; ut per hæcce lex rebus sacris honorem eximium asserit, quod iterùm benè monet SPENCERUS *Lib.* 1. *Cap.* 7. *Sect.* 1. 2. Jugum interim in hisce præcipuè erant Leges de immunditie: cùm facilè contingere potuerit, ut ob ea nec conjux conjugi nec Liberi Parentibus officia potuerint exhibere necessaria sine molestia: quoniam se impurorum Contactu impuros reddebant; cujusmodi interim Casus plurimi ac varii potuerunt emergere, atque possunt cogitari; uti hæc notat CLERICUS ad Lev. 5 : 3.

Ad materiam autem de sacrificiis, eam universam absolutiùs longè, quàm unquàm factum, elucidare in animum sibi induxerat consummatissimus Philologus THEOD. DASSOVIUS in opere, quod ea de re meditabatur; ut dolendum sit, ipsum in Proposito præpeditum fuisse; licèt in aliis suis Scriptis recentiores nonnisi ferè, MAIMONIDEM &c. adducat.

3. Locus Cultûs publici erat Tabernaculum, portatile, אהל מועד ob Conventus publicos dictum; obtinebat hunc in finem usque ad tempora Salomonis, qui ad similitudinem ejus aliud dein longè magnificentius extruxit, Templum (היכל) palatium; quò destructô Zorobabel iterùm tale ædificavit [בית השני aut האחרון dictum]. Unicus solùm ex institutione Dei ordinatus erat talis Locus publicus aut ædificium pro sacris faciendis per oblationes, vid. Deut. 12 : tot. fere: plura enim si fuissent, facilè scissio aut in Religione aut in Politia oriri potuisset, Tribus discindi; facilè item inter Sacrorum Ministros lites oriri, vel & paulatim aliorum ac variorum Deorum potuissent statui ac sacrari altaria, & ita idolatria introduci; quæ mox etiam subintroiisset, si in ædibûs privatis Deus sacra facere permisisset. Cæterùm tàm in Tabernaculo quàm Templo iidem erant gradus sanctitatis diversis, respectu divisionis in intimum, interius & exterius; in illud [*Sanctum Sanctorum* dictum] solô Sacerdote Summô intrare ausô, idque unicô tantùm quôtannis die; in interius [*Sanctum*] Sacerdotibus nonnisi permissum erat intrare; in

in exterius, atria complectens diversa, Israëlitis reliquis, peculiaribus interim Maribus destinatô & peculiari fœminis [licèt semper, qui potiori gaudebant jure, etiam in reliquorum seu cæteris assignata loca ingredi auderent] uti & gentilibus suum erat atrium; polluti verò loca sacra calcare non debebant.

Ad jugum id pertinebat: dum ita Israëlitæ indigni quasi pronuntiabantur, qui ad Deum appropinquarent; etiam spectabat ad reverentiam erga loca sacra ingenerandam: dum non ita communia & cuivis patentia reddebantur; uti & eidem locorum sacrorum honori prospiciebatur, quòd, præter splendidam ac sumtuosam extructionem, unctione solenni, oleo pretiosissimô, in Usum sacrum destinaretur [tabernaculum scil. Ex. 30: 25. seq. Templum autem aliis ritibus augustis 1. Reg. 8: 62. seq.] quòd opera impenderetur per custodiam Templi exactam, ubi Levitæ excubias agebant, à sordibus purgabant; uti & quòd Sacerdotes sollicitè sibi cavere deberent à potu inebriante, Lev. 10: 9. Templi descriptionem quinam dederint, noti sunt; ipsam autem ejus extructionem juxta similitudinem dedit & procuravit Ultrajecti, ad meliorem de illo ideam efformandam [præclarè hinc de amatoribus Philologiæ S. meritus] Cl. MILLIUS.

Reliqua loca pro Cultûs publici quibusdam partibus, uti lectione Legis, precatione &c. erant in Levitarum urbibus, item Prophetarum ita dictæ scholæ, de quibus autem infra (§. 1399. & sch. 1. ib.).

De Excelsis non prorsùs hîc tacere convenit: cùm & in iis Sacra sint facta, & verò disceptetur, an, item quando & quomodo id licuerit; eruditè hæc discutit SPENCERUS diss. edit. Tubing. insertâ, *Lib.* 2. *C.* 33. p. 449 -- 460. Ubi, ut alia prætereamus, notat, Excelsa fuisse interdicta Lev. 26: 30. Num. 33: 52. Deut. 12: 2. seq. quò populus scil. omnis ad unum ac solum Cultûs S. locum confluëret, ac ita schisma, idolatria [ùt modo memoratum] præcaveretur: Excelsorum quippe origine ethnicâ ac Ægyptiâ, p. 456. 457. ubi de חמנים, במות &c. porrò distinctionem indicat inter Excelsa naturalia: montes,

&

& artificialia: altaria; unde & concilientur loca 1. Reg. 15: 14. & 2. Chron. 14: 5. Excelsa artificialia tolerata non fuisse: ib. 2. Chron. 14. coll. 15: 17. p. 458. talia, scil. altaria multis gradibus ascendenda & in altum elevata, sive monte sive valle structa, vel montes aris talibus, item Lucis, delubris statuis ac similibus idololatriæ monumentis instructos, habita fuisse Excelsa dæmoni sacrata, Cultûs profani signa, Deum ad iram semper provocantia, Ps. 78: 58. At è contra non sentiendum esse, Deum ab Excelsis reliquis, Ipsi sacratis, abhorruisse, aut ea dæmonis fuisse: cùm Templô nondum conditô, multi Cultum Deo gratum in Excelsis exhibuerint; & Templi primi tempore multi, Deô non recusante, Sacra in Excelsis fecerint; licèt ea in re Legis suæ Præscriptum secuti non sint, p. 461.

Fuisse tolerata autem ob Patrum antiquorum exempla, Gen. 12: 8. 22: 2. quò & pertineat Prophetia de Zabulone, Deut. 33: 19. exemplùm Samuelis, 1. Sam. 9: 13. Salomonis 1. Reg. 3: 4. inde & Israëlitas adeò deamasse, uti etiam quià Deus ipsorum in excelsis habitans prædicetur Es. 57: 15. &c.

4. Tempora Cultûs publici erant α. in quavis hebdomade dies septimus, quô omne planè Opus, quod non circa Deum versaretur [exceptis misericordiæ operibus & necessitatis summæ] omittendum erat, adeoque ab iis quiescendum [unde שבת dictus]: ingressu propterea ejus aç & exitu per tubæ clangorem indicatô oppidatim & vicatim; cujusmodi locum in Templo editiorem, unde id fieret, per illud מוכך השבת [quod *Tectum Sabbathi* vertitur] 2. Reg. 16: 18. indigitati ingeniose non minùs quàm eruditè conjicit etuditiss. Philologus Belga RHENFERDIUS *conject. de Tecto Sabbathi*, *Opp. Philol.* p. 773. seq.

β. Quôvis mense primus dies, *novilunium* dictus, tùm ut mensis felis faustusque esset, tùm ut aliis diebus computandis inserviret: γ. Quôlibet annô tria solennia tempora, שלש רגליכם dicta, instituta in memoriam insignium quorundam beneficiorum; quæ hinc [ùt & Sabbathum] magna cum alacritate ac lætitia

lætitia celebrabantur : Festum scil. Paschatis חג המצות [ob azymorum Usum] aut simpliciter חג dictum, mense Nisan, seu primô anni sacri, tempore vernô, ad recordationem liberationis ingentis in Ægypto, Exod. 12 : 2. seq.

Festum Pentecostes, septem post illud hebdomadum spatiô, (חג שבועות) ideò dictum, in memoriam legislationis in deserto ; Festum tabernaculorum (חג הסכות) ob habitationem in tabernaculis, tentoriis in deserto, tempore autumnali ; quo de Tract. Talmudicus agens eruditô à BERN. FRID. DACHSIO, Pastore in agro Bernensi meritissimo, illustratus Commentariô.

Præter hæc Festa alius erat in anno dies, insignis tum ob expiationem peccatorum totius populi, eô impetrandam, tùm ob adytum tunc reclusum per ingressum Pontificis in id seu Sanctissimum, dictus יום הכפורים aut etiam יומא simpliciter & κατ' ἐξοχήν Judæis [unde Tract. talmud. ejusdem nominis doctè à SHERINGHAMIO illustratus] decimus mensis Tisri ; & de quo egregia Cel. Philologi DANZII *diatribe : functio Pontific. Max. in adyto anniversaria* in MEUSCHENII *N. T.* p. 912 -- 1012.

Sequentibus temporibus præter ea alia adhùc ordinabantur ab Ecclesia Festa.

δ. Inter complures annos erat tum quilibet septimus, analogice ad diem hebdomatis septimum *sabbathicus* ideò dictus ; tùm è talibus annorum quasi septimanis resultans quadragesimus nonus aut quinquagesimus, *jubilæus* dictus ; priori ad similitudinem Sabbathi terra quiescebat, uti & posteriori, agrorum culturâ omni suspensâ ; servis libertatem ac debitoribus remissionem utèrque ferebat ; posterior verò & præterea possessionum venditarum, fundorum, domuum &c. recuperationem ; quæ verò Legis forensis, qua de pòst ; etiam tempori computando jubilæa inservire poterant, uti apud Græcos Olympiades, apud Romanos lustra, Christianos indictiones ; saltem in contractibus respiciebatur annus ille, num magis aut minùs remotus, Lev. 25 : 27. seq.

Quædam ex hisce molestiam attulerunt, uti Sabbathi observatio rigorosa, execratio &c. item quòd ad tria illa Festa è tota regione ad Urbem, ubi Tabernaculum aut Templum, venire oportuerit.

5. Ad modum Cultûs pertinet [præter ea, quæ & ex anteced. hùc referri possunt] α. in sacrificiis, & quidem cruentis v. gr. adductio pecudis, (הקרבה), mactatio (טבוחה), præcipuè autem sanguinis fusi ad expiationem sparsio, diversimodè facienda; excoriatio &c. Quædam comburebantur tota (ὁλοκαυτώματα), quædam extra castra, eorumque sanguine ædi sacræ pòst illatò: quædam ex parte cremabantur &c. Quædam ad Dominos [seu qui attulerant] redibant, vel ex parte, vel tota: uti tota redibant decimæ animalium ac agni paschales, ablegminibus scil. in altari crematis; quædam verò comedebantur à Sacerdotibus nonnisi & in loco sancto, *Sanctissima* ideò dicta; in genere autem, quæ intra statutum tempus non comedebantur, cremandis, uti carne, quæ impuritatem contraxerit, Lev. 7: 17. seq. sanguine interim, quià ejus ad expiationem Usus, nunquam [nequidem & in mactatione ad Usum privatum] comedendò, ib. v. 27. & Deut. 12: 16. uti nec adipe, Lev. 3: 17. In festis modus observandus erat illa תנופה & תרומה &c. β. In Sacerdotibus, quòd v. gr. eos toties se lavare oporteret, omnia tali peragere modò, qui planè nil irreverentiæ secum ferret; uti ex. gr. & clivum altaris ascendendo &c. nil cursim & aliud agendo, verùm quodlibet solum ac seorsim, animò præsenti; ut, quemadmodum omnia pulcherrimo erant instituta ordine, etiam tali ordine peragere oporteret. γ. In reliquis, qui sacrificia adducebant, ut v. gr. confessionem peccatorum eorumque adeò detestationem ederent, conf. (sch. 2. §. 929.); vel & ubi ferta quædam apportabant, quæ Sacerdotibus cedebant (מתנות כהנה) uti primitiva, primitias &c. magno cum gaudio id fieret. δ. In sacrificiis, quæ totus pro se offerri volebat Cœtus, seu publicis, quòd sub Templo primo aut paulò ante consuetudo introducta, ut non neces-

necessariò totus Cœtus debuerit esse præsens; verùm lecti solùm exinde seu è populo hujus universi nomine adstarent [hunc adeò repræsentantes] *Viri stationarii* אנשי מעמד dicti; in 24. Classes divisi uti & Sacerdotes; quâlibet tali Classe hebdomade assignatâ sub Præfecto proprio (ראש המעמד) officiô ac vicibus fungente. 8. Aliàs quoad Templi Cultum [quem egregiè expositit LIGTFOOTUS in *Ministerio Templi*] quòd inter Musicæ concentum, à Levitis faciendum, peragereturque; quo de lectu digna ac erudita, quæ SAL. VAN TIL *Digt-Sang-en Speel-Konst, &c. Part.* 3. tot.

Notamus adhuc nonnisi quoad fontes, unde antiquitates S. hauriendæ, quòd è Talmudicis Tractat. hauriri possint ritus S. & antiquitates, quales sub secundo Templo obtinuêre, etsi Talmud ipsum multò sit posterius; circa quod adeò objectio eadem potest moveri ac circa libros midraschicos supra (sch. 1. §. 1380.), hinc & eôdem modô responderi; quod & facit præter alios, ac præjudicio huic occurrit laud. ib. SCHOETGENIUS; benè comparationem instituendo cum Cod. Justinianeo ostendit futilitatem objectionis; scil. Corpus id, etsi serius sit, tamen ULPIANUS, CAJUS &c. quorum & aliorum laciniæ ibi apponuntur ac servatæ sunt, multô sunt priores; qui cùm de rebus sui temporis loquantur ac testentur, ùt testes hinc idonei allegari possunt de rebus ævo Justinianeô multùm antiquioribus, hinc & Codex ille: pariter jam se res habet cum Talmude. Uti etiam, quod memorat V. D., Leges in Opere Justinian. feliciter explicantur, si attendatur ac sciatur Seculum Auctoris, qui legem eam statuit; ita & fore ac fieri posse quoad traditiones ac decisiones in Talmude allatas: ut nempe pro diverso Seculo, quô diversi vixêre Rabbini, quorum decisiones in corpore compilato [Talmude] allegantur, diversum traditioni ac decisioni statuatur pretium; inde admodum utilem fore [exoptandam propterea quæ à V. D. concinnetur] Chronologiam Rabbinicam: ut, ubi sciatur, quandonam quilibet Rabbi vixerit, hinc & sciatur, quanti testimonium ejus sit ponderis. De modo nimirum, juxta quem Talmud conscriptum ac exhibitum est, idem valet,

quod supra (sch. 1. §. 1380.) de Midraschim dictum. Interim & quoad Talmud seu antiquitates S. ex eo hauriendas Vir Cl. cautelam suppeditat, de qua nunc: scil. cùm Vir laudatiss. judiciosiùs quàm in genere Viri D. quoad hebraica benè discernere doceat antiqua & genuina à sequioribus, inde loc. cit. [*Rabb. lect. Lib.* 1. *Cap.* 9. §. 3. 4. seu p. 816. 817.] conqueritur, quòd in Antiq. S. concinnandis Viri D. non meliorem adhibuerint Scriptorum delectum: malè nimirum pro ducibus sumi recentiores, MAIMONIDEM & tales &c. è contra sequendos ac excutiendos esse [post S. literas] Targumim, ante Opus talmud. natos, *Sohar* etiam; horumque traditis esse acquiescendum: cùm partim Templum secundum ipsi viderint Auctores ibi allegati, partim eorum, qui viderunt, auditores ac assecla fuerint. Talmud ad hæc & juxta ea conferendum esse adhibitô judiciô: dùm decisiones Talmudistarum & Rabbanitarum disceptent adhùc & potiùs, quid sequendum sit, quàm verò quid apud antiquos receptum fuerit. Collatione inde omnium factâ sequendum, quod antiquo statui, Scripturæ & analogiæ rerum convenientius deprehendatur; recentiores inservire, quâtenus juxta regulam traditam antiqua genuinaque exhibeant. Hâc methodô haberi posse antiquitatum hebr. syntagma vel systema puris & magis fide dignum quàm ea, quæ hactenus exhibita, nec adeò nævis consuetis laborans.

Quomodo dicatur. 1387. Cultus hicce dicitur *cæremonialis*, quià omnia in illo institutorum quorundam memoriam animo ingerere debebant, cujusmodi res autem audiunt *cæremoniæ* (*Mor.* 176.); Leges hinc, quibus præscribebatur, [Cultus ille] vel earum Complexus *lex cæremonialis*, item *Leges rituales*: dum ritus præscribebant; dicebatur etiam Cultus *Leviticus*, quoniam Tribui Levi honos eum administrandi conferebatur, item & *choragium Leviticum*.

Leges

Leges ceremon. dicuntur & δικαιώματα σαρκὸς Heb. 9: 10. quià præcipuè carnem ſeu externum ſpectabant, vel circa id verſabantur; licèt & ad interna, uti mox dicetur, tenderent. Scil. » Hebræi, [ſunt verba Cl. SCHOETGENII *hor. Hebr.* ad illum loc.] » quo» ties rem aliquam vilem & non admodum magni mo» menti indigitant, addunt phraſin בשר ודם *caro & » ſanguis:* ſic מלך בשר ודם Rex terrenus, ut » contradiſtinguatur Regi ſupremo; ſic hôc locô » משפטי בשר ſunt ritus exiles, quorum non magna » Vis eſt, quique tantùm in rebus externis conſiſtunt.

Dicuntur quoque [illa ſtatuta ceremon.] στοιχεῖα τοῦ κόσμου Col. 2: 8. 20. elementa, fundamenta fœderis antiqui (יסודי עולם הזה) ut idem Vir Cl. ad h. l. & ad Gal. 4: 3. Alia nomina commodiùs ad (§. ſeq.) memoranda.

1388. *Lex hæc ceremonialis nonniſi ex arbitrio Dei fluebat, hinc erat merè poſitiva, particularis*, interim *ſapienter à Deo lata* ſeu *ſapientiſſimè Deus Iſraëlitis talem præſcripſit Cultum:* aliter namque ſtatuta illa omnia ordinari potuiſſent, ſine ulla officiorum immutabilium violatione: uti per ſe patet; nec per naturam hominis in genere, proùt omni tempore, locô, ac quibuslibet in circumſtantiis ad perfectionem ſuam quid poſtulat, determinabantur, ſed tantum per indolem gentis Iſraëliticæ, circumſtantias temporum & alias externas. Id verò legem facit poſitivam (§. 724.), & ſimùl oſtendit, ſapienter eſſe latam; quod de lege ceremon. ſequentibus probatur rationibus: quia 1. Iſraëlitæ in gentem numeroſiſſimam facti opus habebant regulâ, juxtà quam Cultum externum quoad omnia peragerent: ſine regulis quippe mox magna in tali multitudine confuſio; 2. proni

Rationes ejus in Sapientia fundatæ.

valde erant ad idolatriam, in Ægypto eam imbibentes, assueti rebus externis, splendore quòdam sensus afficientibus; ideò tùm Cultum splendidum injungendo eos afficere, tùm &, cùm onerosus esset, illos exercere conveniens erat; 3. Cùm Deus populum huncce è reliquis omnibus in peculium sibi selegerit, peculiarem ei inhabitandam dederit regionem, voluerítque, ut parùm commercii cum aliis haberet populis, nec affinitatem cum iis contraheret, atque ita segregaverit, etiam talem Cultum ùt medium ulterius præscribere conveniens erat, id quod sub prima ætate fieri non poterat: cum Patriarchæ sedem fixam non haberent. 4. Externa debebant ac poterant ducere ad interna, lotiones, lustrationes impuritatem animi ingerentes ad hujus emendationem Es. 1: 16. 18. 5. Ita injungebatur gratitudo erga Deum debita: tanquam datorem Bonorum omnium, cui per oblationes ideò quid reddendum, animusque gratus testandus, præsertim cùm sit gratiosus per Messiam, prænunciatum (§. 1363. 1379.); inde præter alia primitiæ, manipulus paschalis, panes pentecostales.

Sch. 1. De sapienti harum legum ratione jam aliquid monitum (sch. 3. §. 118.), etiam quodammodo perspicitur è (sch. §. 1386.), hîc autem ex instituto. Equidem, quæ Deus statuit, semper habent rationem objectivam (§. 235. 405.); at verò ex ipsa rei natura ac ejus intrinseco ostendendum est, eam ita se habere, ut Deus censeri possit eam statuisse, seu ut pro Divina reputari queat. Unde præter memoratas Legis cerem. rationes hîc addimus, conveniisse eam cum genio gentis: dùm hæc pro more Orientalium imaginationi, hinc singularibus inhærens veritates universales non meliùs nisi per imagines addiscere poterat &c.

Sch. 2.

Sch. 2. E Sapienti Dei arbitrio vel beneplacito, non autem sanctitate Ejus immutabili (sch. §. 332. & sch. §. sch. 333.) seu justitia legislatoria (287. 316.), quoniam proveniebant Leges dictæ, & Deus eas statuebat, adeòque bonitate destituebantur intrinsecâ (§. 67. 68.), dicuntur *Statuta* (חקים) *non bona*, Ezech. 20: 25. ἐντολαὶ ἐν δόγμασι Eph. 2: 15. χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν Col. 2: 14.

Sch. 3. Inhibitionem idolatriæ quando etiam assignamus pro ratione, ob quam Deus Cultum Leviticum præscripserit, non dissentimus à Theologis: qui volunt in punitionem Israëlitarum ob commissam per vitulum aureum idolatriam Deum iis onus portatu difficile imposuisse, uti ex. gr. GÜRTLERUS *Instit. Theol. Cap.* 22. §. 72. seq. §. 99. seq. id in eum, quem diximus, finem refunditur: dum enim tenetur, Deum Israëli onus imposuisse grave, ne pronitas ad idolatriam erumperet, id tantò magis facere debuisse statuendum est, postquàm actu & valdè erupit; præsertim post accepta à Deo ingentia beneficia liberationis ex Ægypto &c. & etiam vice versâ dici potest ac debet, quod, dum Deus populo veteri post fusum vitulum aureum juxta illos Theologos onus in pœnam imposuit, prius jam ob pronitatem ad idolatriam de tali onere ut obstaculo idolatriæ imponendo cogitarit; onus id hôc respectu fuit malum cum crimine per vitulum commisso connexum, adeòque pœna (*Mor.* §. 36.). Neutiquàm tamen Leges tòt ceremon. in oppositione ad ritus idolatricos præscriptos fuisse, ut SPENCERUS vult, in seq. dicetur, ubi & de aliis rationibus ac fontibus legum earum ab Ipso productis & non admittendis. Interim quòd Deus in modo, quò populum per desertum duxit, pro fine habuerit idolatriæ inhibitionem, ex eo manifestum fit, quia omnes Ægyptò egressos, exceptis Josua & Calebò, mortem in deserto oppetere sivit ac voluit; quò ita idololatrica indoles extingueretur, & nonnisi tales, qui Ægyptum non viderant, in terram, ubi Deus populum habitare ac ab eo coli volebat, ingrederentur; qui adeò Ægyptiacum superstitionis virus eò secum non inferrent. Licèt verò id fuerit finis [isque forsan primarius] ob quem Deus omnes in de-

ſerto mori voluit, tamen alius adhùc potuit eſſe ac reverâ fuit [cum illo autem connexus] nimirum ut punirentur ob ingratitudinem, pertinaciam, peccata alia.

Sch. 4. De primitiarum illa ratione No. 5. indicata vid. erudit. JOH. ROD. GRUNERI *diatr. de primitiarum oblatione, &c. Cap.* 8. §. 1-6.

Quibusnam præceptis moralibus fuerit adminiculum.

1389. Lex ceremonialis ita & poteſt dici ancillata Legi morali in iis, quibus hæc Cultum Dei ac pietatem ſeu officia erga Deum injungebat.

Ita ZEPPERUS *Leg. Moſaic. forens. explan. Lib.* 1. *Cap.* 1. p. 20. ubi & dicit: Legem ceremonialem prioris Tabulæ Legis appendicem ferè eſſe.

Præfiguratio Oeconomiæ ſalutis futuræ per Cultum Leviticum.

1390. *Legis ceremonialis* autem *finis ac Uſus etiam quàm maximè fuit, ut per eam redemtio futura ac alia ad Liberatorem liberandosque ſpectantia repræſentarentur*; adeòque *typicus* [res enim hunc Uſum ex intentione Dei habentes ita audiunt, uti quæ repræſentantur: *antitypi*] cùm enim Deus conſtituerit Mundum per Filium ſuum redimere, ac hominem ad ſalutem iterum perducere (§. 454. 861.), idque jam ante legem ceremon. prænunciari curaverit (§. 1363.) & pòſt confirmari (§. 1379.), fieri ſanè non potuit, quin ad hancce ſalutis œconomiam in inſtitutione Oeconomiæ particularis apud populum ſuum, Cultûs ordinatione omnino reſpexerit; hinc ceremonias ſimilitudine gaudentes cum futuro liberationis opere ſanxerit ad id præfigurandum. Unde exertè docemur, quòd Chriſtum

ſtum adumbraverint: v. g. Pontifex, Hebr. 7:26. 8:1.ſeq. 9:7. ſacrificia, præcipuè ea, quorum ſanguis adyto inferendus erat, & caro extra caſtra comburenda 9:12. 13:11.12. Paſcha: Joh. 19:36. 1.Cor. 5:7. quod tabernaculum repræſentarit cœleſtia Heb. 8:5. inhabitationem Naturæ Chriſti Divinæ in humana, Joh. 1:14. velum carnem Ipſius, Heb. 10:20. veli hujus expanſio viam ad ſanctuarium cœleſte nondum planè patefactam, Heb. 9:8. 10:19. ſic & Templum, quòd prætereà repræſentaverit Eccleſiam Chriſti ac membra ejus, 1.Cor. 3:16. 2.Cor. 3:16. 1.Tim. 3:15. altare Chriſtum, Heb. 13:10. aſperſiones ſanguine, mundationes, luſtrationes quòd præſignificaverint purificationem [tùm à reatu tùm à macula peccati, qua de] (§. 1144. 1188.) impetrandam & peragendam ſanguine Chriſti Heb. 10:22.23. 1.Joh. 1:7. in Summa tota lex fuerit umbra futurorum Heb. 10:1.

Sch. 1. Perplacent verba SHERLOCKI *Uſ. & fins des Prophet. &c. diſc.* 6. p. 165. » il eſt difficile de s'i-» maginer, que Dieu, ayant réſolu de ſauver enfin » le Monde par Jéſus-Chriſt, - - - eût fait interve-» nir une Loi, qui n'eût aucun egard, aucun rapport » à l'Alliance éternelle, qu'Il vouloit établir. Et cer-» tes, quiconque ſe donnera la peine d'examiner ſeri-» euſement & d'une même vûe toute la conduite de la » providence depuis le commencement juſques à la fin, » appercevra peut-être plus de raiſon, qu'il ne penſe, » d'admettre des types & des figures dans la Loi Mo-» ſaïque. » Certè vel ſolus PAULUS amplè id ac ex inſtituto docet Heb. 4:-- 10: Cap.

Ita [ut nonniſi pauca ac generalia hîc pro inſtituti ratione tangamus, aliis tangendis infra ad] (§. 1419.) Sacerdos S. præfigurabat Chriſtum tùm per qualitates,

quibus gaudere debebat, animi & corporis &c. tùm per functiones sacrificandi, Heb. 5: 1. 9: 28. 10: 5. 10. intercedendi, in genere pro populo, seu per preces pro hoc, 5: 7. in specie, ubi Deus irascebatur, uti Aaron mediatorem ac placatorem agebat, Num. 16: 47. 48. præcipuè ingrediendo in locum sanctissimum Heb. 9: 7. 12. 24. vid. hæc in Christo, antitypo, (sch. 2. 3. §. 930, sch. 1. 2. §. 931. sch. 1. §. 964.); unde & ipse dies expiationis tempus redemtionis per Jesum semel pro semper peragendæ ac præstandæ adumbrabat, Zach. 3: 9. Heb. 9: 25--28. Fuga à locis S. speciatim à Sanctissimo (sch. §. 1386. No. 3.) innuebat, nonnisi per Messiam antitypum Pontificis aditum esse quærendum: ut & haud obscurè indicatur Heb. 9: 8. Ut de reliquis Sacerdotibus nil dicamus, nec de aliis personarum speciebus, uti Nasiræis &c. res sacræ, sacrificia, præsertim cruenta, eaque ἐλάττωμα, Christum præfigurabant: conf. (sch. 2. §. 929.); de iis, quæ extra castra &c, vid. OUTRAMUS *Lib.* 1. *Cap.* 18. de paschate pluribus præter alios, Cel. BOCHARTUS *Hieroz. P.* 1. *Lib.* 2. *Cap.* 50. col. 612. seq. Quod ad Rabbinos Veteres, qui ceremonialia pro typicis agnovêre, iterum Cl. SCHOETGENIUS *Hor. Tom.* 2. *Lib.* 4. *Mantiss.* ubi notat ac probat insigni locô ex *Jalkut* SIMEONI [compilatione libros midraschicos & talmudicos in totum Cod. hebr. excerpente] tenuisse Veteres, Sacerdotem manus imponentem victimæ, inter sacrificandum, monuisse offerentes, fore aliquando, ut Messias eôdem modô mactetur, in hunc peccata esse rejicienda &c. ideò & rectam in sacrificiis postulasse intentionem.

Choragium quoque Leviticum totum fuisse habitum typicum, è prolixo ac egregiô aliâs è *Tikkune Sohar* loco [ubi verò saltem choragium id cum Shekina, ut videtur, comparatur] docet, p. 478 -- 482. inde deducit V. D. p. 482. 483. typos fuisse tentorium fœderis, Sanctuarium, & speciatim arcam, candelabrum, mensam, &c. tempora: Sabbathum, Festum Paschatis, Pentecostes &c. sacrificia, suffitus, preces, benedictionem populi, consecrationem Levitarum.

Cæterùm qui de typis ex professo egerunt, complures sunt, è quibus nominasse sufficiat BIERMANNUM in Moses und Christus, & HERMCKHUYSEN

SEN *Wet der Sehaduwen*; utile quoque conferre tales, qui regulas & cautelas circa typos determinandos suppeditant, inter quos SALDENUS *Exercit. de Typorum V. T. Usu & abusu*, quæ in *Otiis* ejus *theolog. Lib.* 2. est tertia.

Sch. 2. Ita igitur è (§. præs. & 1388.) patet, quòd plures fuerint ac constituendi sint Legum ceremon. fines, uti & aliâs unius rei plures possunt esse ac sæpè sunt fines, & sapiens plures simùl [si fieri potest] intendit; tântòque major est Sapientia, quò plures simùl fines intenduntur (*Met.* §. 916. 919.), si & obtineantur. Nil ergò id officit rationi Legis cerem. typicæ, hæc omninò etiam fuit finis; verùm num propterea alii excludendi, qui tamen simùl stare possunt?

Quinam verò ex iis fuerit Legis illius finis primarius, forsan ita justè, generaliter indicando, non determinari potest, ac debet; quippe unius Instituti sanciendi ac ritûs hic poterat esse finis primarius, alius verò ritûs alius finis; unus ritus aptior reliquis erat ad repræsentandum liberationis Opus, ideò hunc in finem præcipuè præscriptus, & finis ejus primarius fuit præfiguratio Messiæ; alius vero ritus præprimis aptus ad avertendos Israëlitas ab idolatria, ideò hic ejus ordinandi finis primarius, licèt & aliis finibus simùl potuerit inservire; alius adhuc potissimum idoneus puritati mentis ingenerandæ, corruptioni nativæ, ἀδυναμίᾳ hinc ad animum revocandæ, ut hæc primaria ejus instituendi fuerit ratio; quàmvis & cæteræ rationes simùl subministrarint. Præterea & unus vel alter ritus specialis, qui forsan in se indifferens ac nullius Usûs videri posset, tamen utilis quin necessarius esse potuit ob alios, qui alioquin sine eo sibi non constitissent, ut adeò fuerit adminiculum, quò mediante aliis satisfieri potuerit; nempe si de talibus judicium ferendum, non particula quædam speciatim considerandæ, sed Totum; siquidem omnium Legislatorum sapientum Leges inter se connexæ sunt, ut una ob alteram sit, hinc totum earum systema considerari debeat, antequàm de iis judicetur.

Judicent Doctiores, qui simùl præjudiciorum partiumque studii expertes, an non ita convenientissimè, theolo-

theologicè non minùs quàm historicè ac & rationabiliter Legum ceremon. fines reddantur.

Ratio Legis ceremon. generalis. 1391. E dictis patet, generalem legum ceremonialium finem, qui memoratos (§. 1388. 1390.) sub se comprehendat, posse constitui salutem [spiritualem] Israëlitarum, sanctificationem & justificationem.

Sch. 1. Sanè faciunt hæc duplicem hominis finem summum, sanctificatio respectu Dei: dum per hanc gloria Ejus promovetur immediatè, seu ea consistit in Dei glorificatione (§. 1160.); justificatio autem constituit finem hominis supremum respectu sui ipsius: dum per eam vera felicitas homini comparatur, ùt & habetur (§. 1119.). Interim quòd hìc finis generalis statutorum ritualium constituatur, neutiquam tamen id contrariari assertioni (sch. 2. §. præced.) de non determinando fine primario è specialibus illis (§. 1388. 1390.), facilè quivis videbit.

Sch. 2. Cæterùm patet ex (§. 1390. & sch. 1. ib.) neutiquam eorum assumi hypothesin, qui typicam rationem legum ritualium tantùm non omnem rejiciunt, uti ita SPENCERUS [licèt admittere aliquâtenus adhùc videri velit *Lib.* 1. *Cap.* 11.] & nihilominùs legibus illis rationabilitatem adstrui per (§. 1388. & sch. 1. ib. sch. 2. §. 1390.); ut Atheis ac Deistis non relinquatur justus illas sugillandi prætextus, dicendo: tòt inutiles ceremonias non indicare sapientissimum Conditorem; at verò hic satis perspicitur, si attendantur circumstantiæ temporum, populi ac Seculi genius &c. Licèt interim hæc ob defectum monumentorum sat antiquorum (sch. 3. §. 176.), quæ originem rituum, consuetudines antiquissimas Gentium, Ægyptiorum, Sabæorum, Phœnicum &c. exponerent, satis nosci non possint, ut inde [præterquàm quòd hodiedum parvi possint fieri quoad ritus ac Instituta, quæ illò tempore Orientalibus magni æstimata] nec tutò quid de rationibus Legum Mosaicarum à circumstantiis illis petitis pronunciari possit; hinc parùm probent

probent Auctorum profanorum testimonia, quæ Vir ille eruditiss. doctè aliâs ac appositè in rem suam profert, tùm ut evincat Leges in oppositione ad instituta idololatrarum ejus ævi à Deo præscriptas fuisse, *Lib.* 1. [qua in re ideò ipse, qui aliâs eum in multis ac libenter, etiam ubi non deberet, sequitur, ab illo dissentit JOH. CLERICUS, ubique ferè illum & lubricô fundamentô innixum ἀντιθέσεις captare notans passim in *Comment. in Pentat.* v. gr. ad Exod. 12: 9. Lev. 19: 19. prolixè; ad Deut. 22: 6. 25: 4. & alibi] tùm &, quod magis adhuc improbandum, Deum ritus multos, ab Ægyptiis vel aliis desumtos, cultui suo inseruisse ac sacrasse, *Lib.* 3. Oporteret nimirùm Scriptores profanos de rebus Ægyptiorum aliarumque gentium loquentes non ita remotos fuisse à temporibus Mosis, aut saltem è talibus contexuisse è monumentis, quæ non longè ævô Mosaicô posteriora: alterutrum enim ad testem fide dignum requiritur, (*Log. Cap.* 7. §. 6.). Jam HERODOTUS, qui antiquissimus eorum, qui supersunt, Historicorum Græcorum, nequidem captivitatis Babyl. attingit tempora, nec etiam è monumentis sat antiquis aut testibus fide dignis sua hausit: omnibus quippe Seculô Mosaico posterioribus, præterea ipse deceptus à Sacerdotibus Ægyptiis, ac nimis credulus; idem quoad DIODORUM SIC. tenendùm, qui, etsi HERODOTÔ multùm junior, tamen res eô antiquiores, in 4. primis *Biblioth. histor.* libris refert; deceptus & sæpe in ægyptiacis à MANETHONE; præterea non sufficienter & sat prolixè de institutis populorum illorum exponit; è SANCHONIATHONE pauca haberi possunt, aliâs antiquissimo omnium & ex professo de Phœniciis agentem: cùm ejus tantùm fragmenta supersint. Minùs adhùc suppeditare possunt Poëtæ, HOMERUS, HESIODUS [etsi HERODOTÔ multùm antiquiores] cùm, præterquàm quòd ut testes historici non multùm valere possint, ad ritus solùm alludentes, de græcis solùm loquantur, ægyptiaca & cognata parùm tangentes; vid. autem & quoad Auctores, quibus SPENCERUS Opus suum superstruxit, JOH. VAN DER WAYEN *Var. S.*, diatr. *Q. Spenc. Dissert. de hirce Azazel excussa.* §. 673-720.

Quæ

Quæ verò de Sabæis, & quibus ritus multos oppositos à Legislatore vult V. D. *Lib.* 2. ea fundamentô minùs adhuc solidô innituntur: cùm Sectæ hujus notitia ab Orientalibus nonnisi tradatur, qui verò Seculis post Christum demùm vixêre, nec antiqua & fide digna talia sequantur monumenta, ut de rebus Seculi Mosaici audiri possent; unde & Cel. CLERICUS parum firma pronunciat, quæ Spencerus de Sabæis, *indic. philolog. ad Stanleji Philos. Orient.* etiam ille ipse *Lib.* 2. *Cap.* 1. *Sect.* 1. 2. [*de legibus Hebr. rit. &c.*] obscuram valdè incertamque sectam eam ejusque ætatem fateri cogitur; licèt eruditiss. PRIDEAUX illam valdè elevet ac multùm de illa teneat, uti notatur *Hist. univers. Tom.* 2. *Cap.* 7. *Sect.* 5. p. 392. 393.

Ex iis &, quæ dicta de testimoniis Auctorum profanorum probandi vim quoad hæcce non habentibus, satis perspicitur, quòd è similitudine aliquali rituum Ægyptiorum &c. [quos Auctores ij describunt] cum hebræis, lubricè inferatur, hos ab illis mutuò desumtos esse: qua in sententia SPENCERO præivit ejusdem Nationis eruditiss. MARSHAM, *Can. Chron. &c.* ita enim & Deus superstitioni pondus addidisset, idololatricis ritibus dignitatem exhibuisset, imitando Instituta Sacerdotum fraudulentorum &c. conf. quoad hoc eruditiss. BERNARDUS *ad Joseph. Antiq. Lib.* 3. *Cap.* 8. ubi occasione τῶν אורים ותמים contra Spencerum quædam monet p. 165. 166. item Auctores de l'*Histoire universelle Tom.* 2. *Cap.* 7. *Sect.* 5. p. 398. Not. quoad Festum tabernacul., p. 403. Not. quoad Novilunia, p. 421. Not. quoad vaccam rufam.

SPENCERUS equidem consequentiam illam [Deum imitatorem fieri idololatrarum] ægrè admiserit; cùm è contrà sapientes velit Institutorum Dei rationes afferre: dùm ita Israëlitæ facilius ab imitatione idololatriæ gentium cohiberi potuerint, Deô iis, quod innocens fuerit, concedente, non aliter ac infantem talia concedendo ab evagationibus præservare solemus; at verò Deus alia adhuc, eaque convenientiora scivit haud dubiè media populum ab idololatria retrahendi; præterea talis Summi Legislatoris agendi ratio

ratio æquè facilè Relapsum populi ad idololatriam secum ferre potuisset; nec stante illâ ratione, ritus ab Ægyptia superstitione mutuò desumtos Sapientia Ipsius in perpetuum, verùm nonnisi in quandam temporis periodum præscripsisset; nisi dicatur, ritus quosdam Ægyptiis in Usu ac reservatos esse per traditionem inde à Noacho & Patriarchis, quos ideò ut propriè Divinæ originis ac institutionis postliminiò quasi revocare, & populo terram promissam ingressuro Deus injungere sanctè potuerit.

Probè inde & contra Spencerum notandum, quòd multi ritus, quos ab Ægyptiis derivat, jam anteà Israëlitis in Ægypto degentibus in Usu fuerint; & quidem ita, ut non ab Ægyptiis hauserint, verùm à Majoribus acceptos habuerint, interim tantùm ut meros ritus, sine observationis obligatione; quos verò dein Deus Lege & ut Leges injunxit. Uti ita ferè quoad diversa Instituta cerem. tenet, aliàs Spencero in plurimis & perperàm astipulari solens, J. Clericus, v. gr. quoad primitias *Comment. in Levit.* 23: 10. quas offerendi ritum ab Ipsis hominum πρεσβυτέροις ad plurimos posterorum per terram sparsos pervenisse, hominibus antiquissimis temporibus primitias sacrantibus probabilius Dei jussu quàm verò sponte suâ; sic victimarum oblationem & Hebræos & Ægyptios videri à Noacho derivasse, & alia fortè multa exinde; temporis autem lapsu & legislatorum voluntate variasse ritus; idem contra Spencerum monet quoad neomenias in *Num.* 28: 11. quæ censeri possint ipsâ idololatriâ antiquiores: cùm antiquissima temporis divisio vix aliter fieri potuerit quàm per Lunæ periodos, quas homines in serenis Orientis regionibus facilè observaverint ex ejus φάσει; Hebræos eas fortè festas habuisse, quòd à Majoribus, Noacho &c. perpetuâ traditione acceperint &c. Eodem modò cum Ratione tenent Auctores eruditiss. de l'*Hist. universelle Lib.* 1. *Cap.* 7. *Sect.* 5. seu *Tom.* 2. p. 522. 523. ritus quosdam jam ante legem Mosaicam à Deo expressè fuisse injunctos; per Mosen dein autem severiùs; ita interdictum sanguinis Deum jam ante Noacho dedisse Gen. 9: 4. Israëlitis dein severiùs repetitum, Lev. 17: 10 - - 14. ob rationem typicam expiationis sanguine

guine faciendæ, ib. vers. 11. & Heb. 9: 13. 22. conferri & possunt iidem hi Viri laudatiss. quoad quæstionem, num Hebræi ab Ægyptiis, an verò hi ab illis ritus quosdam & Instituta motuò desumserint, ib. p. 112. Not. p. 250. Not. p. 254. 255. Not.

Cæterùm Spencerum complures refutare aggressi; ad specialia etiam descendentes, interim non omnes forsan eidem pares, hinc nec eôdem successu; juxta materiarum ordinem eos indicat Rever. PFAFFIUS *Diss. pralim.* edit. Tubing. præfixa; indicasse autem hîc sufficiat Cel. Theologum Franequeranum modò laud., WAYENUM lib. cit., ubi præcipuè vid. §. 7 - - 90. 290 - - 447. 586 - - 673. Id interea de Spenceri opere dici potest, quòd, etsi in genere hypotheses, quas in eo propugnavit, admitti non possint, tamen non solùm reconditæ eruditionis, è Literatura præsertim profana plenum esse, verùm & plurimis S. Scripturæ locis lucem affundere, uti quoque Institutis Seculi Mosaici ac posterioribus; ut Auctor malè haberi non debeat, quòd viam typicam universaliter tùm calcatam in illlam à rationibus historicis petitam refuderit: cùm & præter alia Atheis, Naturalistis, ac antiscripturariis obviam ire voluerit.

Differentia bonitatis inter rationem Legis generalem & Legem ipsam.

1392. Finis adeò Legis ceremon. in se & immutabiliter bonus erat, media verò ad eum finem (§. 1391.), seu ipsa statuta, aliter se habere ac institui potuissent (per §. 1388.), etiam aliò tempore vel & locò aliter instituta fuissent.

Ideò, quod notare hîc juvat, Leges illæ, uti in se mutabiles fuêre, ita mutationem quandam passæ sunt per totam hancce ætatem: dum non iidem præcisè ritus quoad omnia obtinuerunt v. gr. sub Regibus, ædificatô Templô, qui sub Mose & statim pòst [ut & jam quodammodo videtur ex] (sch. §. 1386.) aut iidem versùs Politiæ Judaicæ finem. Unde quoad antiquos Hebræorum ritus utile omnino est tempora ac diversas

diversas distinguere periodos ; ùt nuperè judiciosè suum hebræorum rituum syntagma ac benè tali exhibuit methodo Vir doctiss. JOH. LEONH. RECKENBERGER.

1393. Patet etiam, cùm lex ceremon. præfigurarit quoque redemtionem futuram (§. 1390.), hâc ratione *fuisse chirographum de peccatis nondum actu expiatis, & sacrificantes id confessos fuisse:* unde & Propheta dicit, peccata Judæorum inscripta fuisse cornibus altaris, Jer. 17: 1. & PAULUS Col. 2: 14. legem ceremoniarum [quippe de hac in anteced. loquitur] fuisse chirographum contrarium Israëlitis. *Ceremoniæ & sacrificia monebant expiationem peccatorum nondum à liberatore peractam.*

Scil. » Veteres fideles [sunt verba HUBERI *exercit. jurid. theol. 6. §. 17.*] » in ceremoniis occupati sic » animos induxêre suos: hæc dogmata ritusque molesti commonefaciunt nos chirographi extantis in nostrum nomen, quô fatemur, nos esse meritos mortem; quod Sponsor, in se pœna jam recepta, auferet aliquando è medio ; beati, qui videbunt hoc » in tempore deletum, oculisque suis expositum!

Quòd interim hi fideles æque redemti ac peccatorum remissionem consecuti fuerint (*§. 937. 949.*), infra (§. 1413. 1415. & sch.) videbitur.

1394. Ex eadem præfiguratione Redemtoris ac Operis redemtionis per legem ceremonialem & in ea (§. 1390.) consequitur, quòd, cùm, quæ à Liberatore & circa Eum fieri suô tempore debuerunt, in Verbo scripto Prophetarum prænunciata fuerint (§. 1379.) [Lege illâ jam priùs equidem sancitâ] *hanc idem egisse quod Prophetiam ac vices hujus tenuisse, legemque ceremon. Prophetiæ instar fuisse & talem dici posse.* *Prophetiæ vices gesserunt.*

Ita SHERLOCK *Usage & sins de Propheties &c.* p. 165. 166. A Verbo & potest dici dependisse: dum id Messiam monstrabat (§. 1379. seq.), & Deus non potuit non intuitu hujus Cultum Leviticum ordinare (§. 1390.), cujus significationem Ecclesiæ Israëlitarum etiam cognitam fuisse, λειψανα Catecheseos eorum ostendunt, quo de aliquid (sch. 1. §. 1390. & infra sch. 2. §. 1419.) item præter alia loca ib. citanda Dan. 9: 27.

Licèt interim Judæi recentiores quàm maximè obstrepant, dicendo: ne unicum apud MOSEN ostendi posse locum, qui doceat, quòd lex ritualis Messiam &c. repræsentare debuerit; verùm perpendendum, tùm quòd tunc temporis aliæ etiam ceremoniarum instituendarum fuerint rationes (§. 1388.), tùm quòd scopus Mosis, qui Historicum nonnisi egit (§. 180. & sch.), id non secum tulerit.

Typi igitur per dicta à Verbo vim suam ferè obtinuisse uti Sacramenta [vid.] (§. 1235. 1250. 1267.) dici potest.

Lex cerem. & moralis ad Liberatorem ducebant.

1395. Per dictam Messiæ præfigurationem in ceremoniis & chirographum, quod hæ secum ferebant (§. 1393), conficitur, *Statuta cerem. manuduxisse ad Christum; nec minùs & moralia:* (§. 1384.): cùm officia injunxerint immutabilia, minis ea dirisque sanciendo (§. 1385.), quæ verò homini servare seu perfectè præstare impossibile (§. 1183. 1184.), hinc ad justitiam Liberatoris confugere faciunt (§. 1103. 1138. 1144.); unde PAULUS in genere de Lege, quòd fuerit prædagogus ad Christum Gal. 3: 24.

Lex moralis scil. & per suam amplitudinem (sch. 1. §. 812. & sch. 1. §. 818.) adigebat talem humiliter adire, qui à minis tutum præstare possit, vid. (§. 1141. seq. ac sch. ib.); » neque enim nos [sunt verba Cl. SCHOETGENII *Hor. Tom.* 1. ad illum Gal. loc.] » sæpenumerò ad Christum perveniremus, nisi »lex

» lex pædagogus noster tumultu & strepitu suo nos » urgeret &c. Qui V. D. & ibidem notat, vocem παιδαγωγὸς Rabbinis etiam antiquis adhiberi פדגוג; ejus fuisse puerum cibare, ad Magistrum ducere; explicari in *Aruch* per אומן *Nutritium.*

Lubet autem præterea egregia, quæ huc faciunt, GROTII verba adscribere, *de imperio Summ. Potest. circa* S. §. 5. ---- » Cùm Pontificatum, utcunque » magnò apparatu insignem, tamen regiò splendore » exutum infraque Regem positum videbant, hôc ip- » sô admonebantur, majorem quendam Pontificem, » qui & Rex futurus esset ut olim Melchisedech, spe- » rare atque in eum fiduciam ponere. Cæterùm » notatu non indignum est, etiam post institutum » Sacerdotium Leviticum aliquas mansisse vetustissimi » moris reliquas: nam Paschatis mactatio Patribus- » familiâs relicta est, quos hac in parte functos Sa- » cerdotiô Judæi rectè notant; circumcisionem quo- » que non desiderasse Sacerdotis Ministerium, sed à » quovis ejus rei perito administratam omnes Hebræi » consentiunt. Illud quoque observatu non in- » dignum, Prophetiam, quæ naturaliter Sacerdotio » videtur cohærere, non minùs Regibus quàm Sacer- » dotibus tributam, imò privatis sæpiùs quàm Sacer- » dotibus; Deô undique multis modis id agente, ut » Levitici Sacerdotii infirmitatem populus agnosceret. » Ita nimirum lex illos quasi manu ad Christum de- » duxit, qui Summus futurus esset Propheta, Sum- » mus Sacerdos, Summus itidem Rex; quique omnes » in se credentes triplicis istius honoris participes fa- » ceret.

1396. Cùm verò Leges ferre non sufficiat, verùm & vel maximè opùs sit prospicere, ut earum executio non impedita sequatur [siquidem hicce finis est, in quem Leges feruntur] hæc autem mediante justâ legum applicatione ad facta obtineatur, & ad hancce requiratur tùm determinatio casuum, sub legibus, tanquàm regulis generalibus, con-

Utraque per quasnam Leges sarta tecta fuerit conservata.

contentorum, tùm determinatio pœnarum diversarum pro diversis casibus infligendarum; executioni legum porrò & auxilium feratur, si transgressioni eorum præcaveatur, ideò *Divinus Legislator prospexit Legis moralis executioni, dùm aliis legibus determinavit Casus sub ea contentos, pœnas ob ejus & ceremonialis transgressionem infligendas*, item *& utriusque Legis transgressioni præcavit:* sic lex naturæ seu moralis Præceptô sextô diversimodè applicari poterat respectu Cædis voluntariæ & involuntariæ, quali pœnâ hæc posterior punienda; item num & quomodo animal etiam comprehendatur, Exod. 21: 28. seq. Præceptô octavô pœnæ furti diversimode determinari; item cùm furtum præsupponat dominium, hujus justæ translationi in diversis casibus Deus specialibus prospiciebat legibus, v. gr. de hæreditate, Deut. 21: 16. 17. ita ne patriæ possessiones pro semper alienari possent, inde ut redirent in jubilæo Lev. 25: 13. ac jam & anteà redimi possent, ibid. v. 23. Et quum dominii omnis privatio constituat paupertatem (*Mor.* §. 519. coll. 891.), ac hæc ad furtum instiget, inde pauperibus prospiciendum per residua in agris vincisque ac alia: vid: Exod. 22: 25. Lev. 19: 9. 10. 23: 22. quô simùl transgressioni præcavebatur; quod & aliàs respectu tàm Legis moralis quàm etiam præcipuè ceremonialis fiebat, dum communio omnis cum gentibus regionis interdicebatur, Exod. 34: 12 - - 16. Deut. 7: 2 - - 5. hinc æquè cum aliis, à quibus & per Leges ceremon. ac aliàs separati erant Israëlitæ; quô ita luxus, bono-

bonorum effluvium, idololatria, crimina præcavebantur. Dùm porrò pœnas infligere ac transgressiones & reos inquirere Judicum erat, ideò Legis moralis atque ceremonialis etiam executioni Deus prospiciebat, modum in judiciis item inquisitione reorum determinando, Deut. 16:18. seq. 17:8. seq. 19:15. seq. qui in se variè institui poterat.

Cùm etiam officia erga alios exceptionem patiantur bellô, prætereà circa hoc benè justèque gerendum plurima præscribi possint, de quibus lex moralis nihil, ideò determinanda, vid. Deut. 20. Cap. modificationem quoque cùm officia illa recipiant ac patiantur per statum personarum diversum, respectu libertatis, gentis &c. ideò & ad ejusmodi vel in talibus lex moralis, quod variè iterum fieri poterat, diversimodè erat applicanda; vid. ex. gr. Lev. 25:32. seq. 46. Deut. 15:3.

Sch. 1. Quoad officia erga Deum, in specie reverentiam nomini Ejus exhibendam lex moralis non determinabat omnes casus transgressionum, nec modum transgressores puniendi; quæ diversimodè poterant determinari, ac sine quorum determinatione Legis moralis applicatio sibi non constabat; requirebantur ideò Leges circa blasphematores, idololatras, magos item, augures, divinationes, pythonissas, præstigiatores, vid. Lev. 24:15. seq. Deut. 7:3. seq. 18:10. seq. commercium cum talibus omne ac prorsus vitandum [ut ne quis inficeretur] etiam per Leges symbolicas significatum fuisse, uti illam, quæ vetat pecudes diversas coire, agrum diversô conserere frumentô, vestem è diverso filorum genere conficere, Lev. 19:19. placet CLERICO ad h. l. contra Spencerum more suô post MAIMONIDEM ἀντιθεσιν Zabiis factam concipientem: quippe symbolicum docendi modum Orientales amasse, etiam Ægyptios,

unde & Pythagoram; Israëlitis inde talia non fuisse nimis sublimia, ac si rudes fuerint talis ænigmaticæ doctrinæ percipiendæ; saltem multis constare exemplis, Deum præter Præcepta claris verbis expressa alia dedisse per symbola, quibus eadem vetaret ac juberet &c.

Quoad officia erga alios, speciatim Parentes, lex naturalis dicebat simpliciter, eos esse honorandos; at ita nondum determinabantur omnes personæ, quibus præterea honos debebatur, nec modus honoris erga diversas; quousque honos etiam per obedientiam & aliàs se ostendere debeat, item pœnæ in diversos transgressionis modos, sive verbis sive factis committantur; quò pertinent Liberi immorigeri &c. igitur hæc per alias Leges adhùc erant determinanda.

Ad præcepti sexti applicationem pertinent v. gr. asyla, item ubi quis per negligentiam occasionem dedisset neci alterius, fossam non obtegendo, Exod. 21: 33. scil. ea in regione, ùt hæc suppeditat Cl. CLERICUS ad h. l., habebantur putei aut cisternæ tectæ tabulis vel trabibus superinjectâ terrâ; quæ posteà aperiebantur, & in quas si apertæ manebant, facilè jumentum incidere poterat, ; ablegat ad Not. in Gen. 21: 19. ubi è DIOD. SIC. de Arabum saltem puteis, quos, quia terra sit argillosa, profundos admodum ac amplos fodiant, orificiis, quæ parva admodùm, obstructis, solo æquatis, signis quidem, verùm non cuivis notis, relictis. Ad ejusdem Præcepti explicationem pertinet mandatum de Tecto domûs peribolô cingendo, Deut. 22: 8. [Tectis scil. Orientalium planis, & in quibus ambulare moris erat: 2. Sam. 11: 2. Matth. 10: 27. quò igitur id sine vitæ periculo fieret, lex cingi volebat Tecta] porro Casus bovis cornupetæ, hominem affligentis, necantis Ex. 21: 28 - - 32. è contra crudelitatis in animalia non exercendæ genera, Exod. 23: 5. Deut. 22: 6. bovis inter triturandum esu non prohibendi, Deut. 25: 4. nisi quis malit hasce Leges pro symbolicis habere, uti eruditiss. CLERICO videtur ad Deut. 22: 6. commendari saltem hîc humanitatem, cui nil magis contrarium, quàm si usque adeò malè quis habeatur, ut nulla ei salutis spes relinquatur, cujus infecilitatis symbola sint pulli, quorum Mater occiditur, & Mater,

quæ

quæ super occisis pullis jugulatur; inde locutionem παροιμιωδην *Matrem super Liberis occidere*, Gen. 32: 11. Hos. 10: 14. SPENCERI sententiam de Legis ratione rejicit; sic & illud Deut. 25: 4. certissimum esse Legis symbolicæ exemplum pronunciat: vel PAULO interprete 1. Cor. 9: 7. seq. significasse Legislatorem, æquum non esse, quenquam rei cuidam operam dare, nec tamen è sua opera fructum percipere, cujus infelicitatis symbolum sit bos talis &c. vid. autem &, quæ paucis (sch. §. 173.). Etiam Auctores de l'*Histoire univers. Tom.* 2. p. 504. statuunt, dictas Leges, sicut & illam de agno aut capella non coquenda in Matris lacte, aliasque tales spectasse ad humanitatem, misericordiam inspirandam: cùm aliàs extirpatio Nationum Cananæarum facilè Israëlitis crudelitatem ingenerare potuisset. Ulterius præstruxit Divinus Legislator, ut Præceptum sextum executioni daretur: dum item Vindices sanguinis expresè ordinavit, ut cædis reus puniretur, quòcunque esset locò Num. 35: 19. etiam è locis sacerrimis vi raperetur, Exod. 21: 14. nec Judices aut Vindices sanguinis pecuniâ se à vindicta Cædis seu ejus justa punitione averti, vel pecuniâ redimi sinerent, Num. 35: 31. 31.

Addendum adhùc, quòd, cùm homicidium deliberatum sæpè sit occultum, & ejus, utpotè maximi in proximum sceleris, reum, seu homicidam, in apricum producere Societatis intersit, ideò & legem politicam [vel quoad hæc *criminalem*] modum ejus præscripsisse ceremoniâ quâdam ac processu planè singulari, horrorem secum ferente, tremorem incutiente, quo de Deut. 21: 1. seq. quò scil. ita & simùl horror talis maleficii animo profundè imprimeretur; non memoramus hîc, quæ SPENCERUS quoad hancce legem, *Lib.* 2. *Cap.* 7. p. 321-323. edit. Tubing.

Ad Præcepti octavi applicationem referenda omnia justitiæ officia, & quæ dominia concernunt, τὸ proprium adeò & suum, quorum violatio fit per furtum, circa quod plurima occurrunt: cùm sit vel simplex vel compositum, violentum; privatum vel publicum, occultum item aut manifestum; hùc pertinet dolus malus in ponderibus, mensuris, Lev. 19: 35. 36. mercibus; item ubi venduntur, quæ in se non

debent, homines, Exod. 21: 16. damnum porro cum injuria in fundo, v. gr. per ignem accensum Exod. 22: 6. damnum, quod pecus cum injuria infert, ib. v. 5. damnum alterius aversum aut avertendum, v. g. in pecore ejus servando, reducendo, ib. v. 10 - 15. 23: 4. quid quoad depositum, commodatum, repertum, pignus, hypothecam, observandum; inde quid respectu pecuniæ mutuatitiæ, ib. v. 25. usuræ, oppignorationis, v. 26. 27. à divite erga pauperem.

Damnum jam postulat restitutionem (*Mor.* §. 825.); inde Leges restitutionis, talionis, quæ ipsæ autem variandæ, v. gr. quantum, qui restituendo par, restituere debeat, quotuplum in pecude majori, minori, mactata, aut adhùc viva inventa, Exod. 22: 1. 4. item aliâs percussa, trucidata, Lev. 24: 18. 21.

Cùm etiam ob talia facilè possint ac soleant oriri lites, hinc rixæ, altercationes, inde injuriæ alterius in alterum, ideò, quali pars offendens judicum pœnæ sit obnoxia, determinare opùs erat, unde plagæ illæ 40. Deut. 25: 1-3. scil. nemo debet ob contestationem aliquam vindictam de altero sumere privatam, juris executionem ipse sibi arrogando, verùm causam judici deferre ac committere: JCtis ita docentibus, vid. ex. gr. doctiss. BÜRNANDI *Diss. jurid. de vi privata, licita ac prohibita*, Bernæ 1732. sub præsidio erud. & spectatiss. G. JENNERI Juris Profess. defensa.

Scelera verò illa dicta quoniam facilè est cuidam committere, ubi non noscitur, quisnam sit, difficulter autem noscitur, ubi vestes mutaverit, inde præcavendum, ac Legis executioni auxilium ferendum per interdictum mutationis vestium Deut. 22: 5. ubi CLERICUS conjicit, spectari mores variorum Orientalium, in Sacris vestes utriusque sexûs miscentium, & nefandis pòst se libidinibus dedentium.

Quum tandem & quodlibet interdictum simùl sit mandatum (sch. §. 1385.); hinc, uti casus ac modi officiorum cogentium (§. 1384.) & pœnarum ob eorum violationem infligendarum determinati, ita & casus ac modi officiorum humanitatis (sch. §. 1385.) determinandi fuêre [quò & jam pertinet illud de usura &c. modò] licèt sine pœnæ irrogatione in transgressores: cùm ad ea præstanda alter cogi nequeat (per princ. Juris); hùc pertinet misericordia, cujus exercendæ

exercendæ modus per spicilegia, decidua uvarum, sponte nata anni Sabbathici, relinquenda pauperibus, etiam agrum in eorum gratiam non totum & prorsùs demetendum [præter ea jam (§. pres.) memorata.].

E paupertate quoque quià venit Status servorum (*Pol.* §. 162.), multa hic decidi poterant & variè à Lege morali non decisa, interim decisione opùs habentia, convenienter circumstantiis temporum, Gentis genio ac reliquis Institutis; respectu mercedis, respectu obligationis ad tempus, quò & quàmdiu serviendum, quomodo servus tractandus, qualis labor imponendus &c.

Sch. 2. Legi morali uti per judicia instituta seu Judicum officia auxilium præstabatur, ita non minùs Legi ceremoniali: dùm pœnæ idololatris infligendæ determinabantur; utrique, dum extirpatio populorum Cananæorum jubebatur, ne idolatriæ ac criminum contage Israëlitæ inficerentur Deut. 7 : 1 - 5. Sic dum ab invicem separabantur gentes ac Israëlitæ; quò faciunt, quæ SPENCERUS *Lib.* 1. *Cap.* 6. *Sect.* 1. p. 97. seq. edit. Tubing. de separatione Judæorum à gentibus tùm politica, tùm naturali; refert eò Num. 23: 9. Deut. 33 : 28. medium separationis hujus fuisse ciborum discrimen, morum rituumque discordiam, linguam, sic & quòd regio ipsa omnia affatim haberet; interim etiam Scripturam malè intellectam separationi illi ansam dedisse: v. gr. cùm præceptum esset, ne quis à gentili vocatus ad epulum sacrificale se conferret Exod. 34: 15. inde putasse omnem interdici Societatem; sic & dum Societas conjugalis vetabatur, v. 16. &c. etiam decreta Seniorum ansam dedisse. Ad idem commercium Israëlitis cum aliis gentibus præscindendum spectasse interdictum esûs carnis porcorum, leporum, cuniculorum, tenent Auctores de l'*Histoire univers. Tom.* 2. p. 157. cùm esus hujus occasio esset sive conviviis ac Festis gentilium & idolatrarum præsentes se sistendi, sive fœdus cum iis feriendi; ideò & aversionem carnis suillæ tantam fuisse.

Notamus adhùc quoad Judices, [per quos applicatio legum etiam in casibus dubiis facienda] Deum tales

שופטים & שטרים in omnibus urbibus constituì voluisse, Deut. 16: 18. quos David è Levitis ordinavit 1. Chron. 23: 4. ut ob hanc etiam rationem fuerint per totam dispersi regionem [quo de aliquid dein] (§. 1399. & sch. 1.) vid. Cel. VITRINGA *Synag. Vet. Lib.* 1. *P.* 2. *Cap.* 8. qui & tenet, eô modô jus dicere significari per הורות (יורוך) Deut. 17: 10. 11.

Quò autem Judices cautè procederent in inquisitione, & pœna justè ac tutò infligi posset, lex ordinabat, ut ne ad unius solùm testis effatum id fieret: Num. 35: 30. Deut. 17: 6. 19: 15.

Quomodo ea dicantur.

1397. Leges hæ itaque erant legum naturalium ad gentem Israëliticam pro genio hujus ac ratione Statûs accommodatio; hinc *fuerunt civiles* seu *politicæ;* quales non sunt nisi lex naturæ ad Reipublicæ statum applicata (*Pol.* §. 401.); & cùm spectaverint res à Judicibus peragendas, adeòque quæ in foro obveniunt, appellantur, idque rectè, *forenses.*

Leges hæ erant itaque explicatio tùm ampla Legis moralis, seu ejus deductio plenior, expositio; quâ inde & adeò applicatio ubivis in emergentibus NB. apud illum populum casibus, pro ratione Statûs hujus ritè fieret [prout jam dictum ac satis intelligitur è (sch. 1. §. præced.) unde & ex illis complura, quæ ib. allata, inter juris naturalis præcepta pertinent, afferenda autem fuêre cum forensibus, quià cum his conjuncta, ac his implicita; quod hic pro seq. etiam monuisse sufficiat] item & ceremonialis sarta tectaque servaretur, per executionem, pœnarum in transgressores inflictionem, præservativa item malorum.

Dictas Leges [forenses] ùt determinationem vel explicationem legum moralium considerare, ac in harmoniam hinc cum hisce redactas digestasque exhibere videmus nunc demum & ZEPPERUM in *legum Mosaic. forens. explanatione, Lib.* 4. *&* 5.

1398.

1398. Lex forensis itaque erat sepimentum ac munimentum Legis, non solùm & præcipuè, moralis, sed & ceremonialis; atque hæc utraque constituebat finem, illa vera indicabat media ad finem, sicùt & ipsorum mediorum justam applicationem.

Quid igitur fuerint respectu Legis moralis ac ritualis.

Etiam inde prudentiam quasi in se continuisse ac exhibuisse dici potest, per definit. hujus (*Mor.* §. 327.).

Tantò magis erat sepimentum lex illa, quià & peregrini in ea quoad quædam respiciebantur.

Distinctè igitur patet harum legum à moralibus differentia ac & à ceremonialibus: his scilicet nonnisi circa Deum, Cultum nempe Ejus externum, versantibus (§. 1383. 1384.); utrique Legi forensis subministrabat [ut porrò in seq. dicetur] ac erat implicita quasi: ceremoniali v. gr. quoad annum Sabbathicum, jubilæum &c. Ideò ut legum forensium rationes introspiciantur, ipsarum non solùm cùm legibus ceremon. & moralibus connexio sed totum insuper illarum systema considerari debet: siquidem omnes sapientes Legislatores id semper in legibus ferendis observant, ut una alteri subministret: aliàs enim non esset medium ad finem, hinc non Sapientia (per princ. Ontol. & Moral.), essent aut antinomiæ aut scopæ solutæ; unde legem statuentes & cæteras præ oculis habent. Præterea & Religionem, ubi Leges civiles feruntur, quàm maximè respici constat, & in seq. memorabitur. Quum etiam [ùt in anteced. (§. 1388. & sch. 2. §. 1391.) significatum, ac & res ipsa fert] Legislatores in legibus sanciendis ùt rationem objectivam vel maximè respicere debeant ac etiam respiciant circumstantias populi, indolem ejus, tempora, nexum relationemque cum aliis populis vicinis, hæ autem circumstantiæ [à consuetudinibus &c. vicinorum populorum desumtæ] quoad tempus adeò remotum sufficienter pervestigari non possint; ideò & de rationibus legum forensium singularibus vel specialibus, fundatis tùm in circumstantiis externis seu relatione ad extra, tùm & relatione ad intra seu connexione

nexione cum aliis legibus, ita liquidò pronunciari non potest, ut totus earum inter se per rationes colligatarum Complexus exhibeatur. Rationes quarundam investigatas pro hypothesi sua affert SPENCERUS, quæ verò hîc ingredi non fert institutum; de hisce ejus hinc inde in anteced. quædam, & pòst quoque, conf. etiam (sch. 2. §. 1391.). Addimus nonnisi [quod hîc non prætermittendum] quoad rationem à populo desumtam, Leges illas fuisse accommodatas genio populi etiam in eo: dum gens ea non servilis ingenii, libertatis ac lenis Imperii amans, legum duritiem ac despotismum ideo ferre nescia.

Personæ injungendis doctrinæ capitibus ac legibus destinatæ, & ubinam id fecerint.

1399. *Ut* verò *Leges illæ omnes, ceremoniales ac forenses* (§. 1384. 1386. 1396.) *item & Capita doctrinæ salutis* (§. 1363. 1379.) *hominibus seu Ecclesiæ ejus temporis instillarentur, hinc & Leges applicarentur, erat expressè huic negotio destinatus hominum ordo, qui peculiaribus locis docebant, etiam inter Tribus dispertiti:* tales enim Doctores, seu qui docendi munere fungebantur, erant Levitæ, Deut. 33: 10. Mal. 2: 6. 7. per omnes Tribus Israëlis dispersi, juxta Gen. 49: 7. in urbibus scil. Levitarum dictis habitacula habentes, sibi appropriatis ac in peculium traditis, vid. Lev. 25: 32-34. Num. 35: 2. 3. 7. 8. Jos. 21: 3. seq. qui & simùl jus dicebant, Deut. 17: 9--11. 1. Chron. 23: 4. hinc Leges ad Facta applicabant ùt Doctores & Judices. Præter quos & semper erant ac se excipiebant alii Doctores, ordinarii ac extraordinarii, publicè privatimque docentes, observationem legum Divinarum inculcantes, pœnas ob earum Neglectum metuendas ac alia futura prænunciantes, *Prophetæ* dicti, vid. 1. Sam.

1. Sam. 10: 5. 19: 20. 1. Reg. 10: 16. 2. Reg. 17: 13. Jer. 1: 5. Amos 7: 14. 15. loca hinc, quibus docebant, *Scholæ Prophetarum* Eruditis audiunt, de quibus 1. Sam. 10: 5. 10. discipuli verò illorum Scriptoribus S. dicuntur *Filii Prophetarum*, 2. Reg. 2: 15. 4: 1. 6: 1. uti hinc ipsi Doctores *Patres* etiam 2. Reg. 2: 12.

Sch. 1. De Urbibus Levitarum, quæ tanquàm seminaria informationis seu cognitionis per Tribus in Israële dispersæ [ubi Deus in benedictionem convertebat, quod maledictionis specie à Jacobo in filium Levi pronunciatum erat Gen. 49: 7. *dispergam in Jacobo &c.*] vid. quædam apud STILLINGFLEETUM *Orig. S. Lib.* 2. *Cap.* 4. §. 2. item VITRINGAM *de Synagog. Vet. Lib.* 1. *P.* 2. *Cap.* 4. de munere verò eorum docendi, legem ad Casus applicandi, hinc judicia dirigendi prolixiùs Vir hicce longè doctiss. ib. *Cap.* 8. qui idem quoad materiam de scholis Prophetarum dignus, qui legatur, *Lib.* 1. *P.* 2. *Cap.* 6. 7. ubi & *Cap.* poster. de notione vocum נביא, נבא &c. de iisdem scholis & laud. STILLINGFL. *Lib.* cit. *Cap.* 4. ubi §. 2-4. notat, loca earum memorari Najoth apud Ramam 1. Sam. 19: 18 -- 21. Bethelem 2. Reg. 2: 3. Jerichuntem 2: 5. 15. Gilgalem 4: 38. [de quibus locis aliâs Cel. RELANDUS *Palæst. Lib.* 3. ad eas Voces] juxta PINEDAM tale Collegium quoque in Sione fuisse, ac eò alludi Prov. 9: 1. commemorat dein quædam de qualitatibus eorum, qui in talia Collegia seligendi erant, §. 5. de Musica eorum §. 6 -- 8. de duabus Prophetarum speciebus [ubi non omnes & semper qui futura prænunciare atque judicia Dei denunciare debebant, ac sua scripto consignabant Volumini sacro jungenda, non semper tales è scholis erant à Deo desumti, ac ibidem eruditi, sed aliâs à Deo missi, uti Esajas, Amosus &c.] §. 9. De hisce scholis etiâm RAHLIUS *Diss. de Prophetarum scholis*, Gotting. 1737.

Quoad literarum autem aliâs ac Sapientiæ eorum temporum studia lubet ex laud. modò Cel. VITRINGA ib. quædam commemorare; producit nimirum

locum

locum 1. Chron. 12: 32. unde pateat, studia illa sub Regno Saulis resuscitata quasi ac à multis tractata fuisse; scil. per יודעי בינה לעתים - מה יעשה indigitari Prudentiâ seculari polientes; conferri vult Esth. 1: 13. ubi de חכמים יודעי העתים, qui mox explicentur per יודעי דת ודין *legum consuetudinumque antiquarum peritos*; ut innuantur Viri cujusvis rei, maximè verò historiarum cognitione exercitati ac illustres, hinc ad consilia danda in casibus dubiis ac implicitis apti.

Ad tales Doctores ac peritos pertinere quoque locum Eccl. 12: 11. 13. sicuti Doctores classibus quibusdam distinctos indicari & Es. 33: 18. [locô à PAULO allegatô 1. Cor. 1: 20.] ubi VITRINGA laudat ALTINGIUM exponentem סופר *Scribam* per talem, qui textum simpliciter interpretetur; שוקל *librato-rem* per disputatorem, qui argumentorum & rationum pondera ad veritatis trutinam examinet; סופר את המגדלים *numerantem turres* per Sapientem, qui altissima [profundissima] mysteria perscrutetur; juxta VITRINGAM, qui validissima affert argumenta turri scil. munimenti ac propugnaculi vicem præstante.

SURENHUSIUS autem βιβλ. καταλλαγ. ad 1. Cor. 1: 20. per numerantem turres à Judæorum Doctoribus intelligi dicit talem, qui ex Regis mandato turres palatiorum conscriberet: quoniam talia ædificia plus tributi Regi solverint; scil. disquisitione opûs fuisse in omnibus Civitatibus, ne numerô malè initô tributa minuerentur; quod autem PAULUS ad omnem συζητητὴν transfetat; uti סופר per σοφὸν reddat, quia sine Legis studio nemo ferè sapiens habitus; שוקל per γραμματεὺς, quia omnia ponderaverint tàm in studio Legis ac descriptione ejus quàm & applicatione in jure dicendo.

Verùm revertimur ad scholas illas, ubi adhùc addendum, quòd in locum præcipuè illarum successerint post Captivitatem Babyl. [ùt cum ratione tenetur] Synagogæ, tanquàm scholæ Doctoribus ordinariis gaudentes; de quarum origine quæ disputantur, item quæ aliâs circa eas noscenda, exponit modô lectori

ctori gratô Cl. hiſtoriæ judaicæ concinnator PRIDEAUX *Tom.* 1. [Verſ. germ.] *Lib.* 6. p. 369. ſeq. ampliſſimè verò omnia, quæ Synagogas ſpectant, exequitur Cel. VITRINGA modò laud. eruditô opere, ubi & de origine earum prolixè *Lib.* 1. *P.* 2. quam temporibus demum poſt Captivitatem Babyl. aſſignat *Cap.* 12.

Sch. 2. Hîc loci non inconveniens erit memorare, quomodo doctrina Eccleſiæ judaicæ de Meſſia fuerit ſervata; ubi iterum, quæ Vir ſæpiùs jam adductus, Cl. SCHOETGENIUS, ſuppeditat, in Uſum noſtrum convertere liceat, quæ & doctrinam de Oeconomiis egregiè illuſtrant. De hiſce autem Vir Cl. in *præfat. Tom.* 2. ubi tenet, veram antiquæ Judæorum Eccleſiæ fidem conſervatam fuiſſe, dùm ij, qui Prophetas audire potuerunt, eos interrogaverint ſuper rebus ab ipſis propoſitis, ac elucidationem ab illis petierint, §. 3. explicationes à Prophetis vel ex iis perceptas ad marginem dein Bibliorum ſuorum poſuiſſe, quod linguâ Chald. factum poſt captivitatem Babyl. [hebræâ in deſuetudinem abeunde]; ita autem ad loca nonniſi difficiliora annotationes primò appoſuiſſe; ſervatas ac expreſſas eſſe in Targumim, inde & *Targum* hieroſolym. meris tantùm conſtare fragmentis, §. 4. fragmenta ea ab ONKELOSO, JONATHANE &c. collecta, ac Targum continuum in pleroſque libros Biblicos confectum eſſe; fuiſſe &, qui ſtudio Verbi Divini privatim incubuerint, cujus exemplum etiam Luc. 2: 38. §. 6.

Jam antiquam hancce fidem ſervatam conſignatamque eſſe in libris midraſchicis [præcipuè *Sohar*] antiquiſſimorum Rabbinorum ſententias ac explicationes myſticas complectentibus ac ſuppeditantibus, §. 7. de hiſce Rabbinis midraſchicis agit dein Vir Cel. in ipſo opere *Rabb. lect. Lib.* 1. *Cap.* 4. & 6. ſpeciatim de libro *Sohar*; quem R. SIMEON BEN JOCHAI [contractè Raſchbai] concinnavit, per modum commentarii myſtici in Pentateuchum fragmenta ac lacinias Auctorum midraſchicorum, adeòque orthodoxorum ſub Templo ſecundo compilans, *præfat.* cit. §. 13 - - 15. de cujus libri pretio Vir eruditiſſ. *Rabb. lect. Cap.* 6. §. 4. ſeu p. 807. ita » quâm verò libri

» obſcuritas

» obscuritas difficultatem parit, illam largissimô fœ-
» nore compensat fructus ex hoc libro in rem Chri-
» stianam redundans : habes enim in illo magnam
» partem styli, quem in voluminibus N. T. θεοπνεύστοις
» offendes, habes significatus verborum singula-
» res, habes modum proponendi allegoricum, habes
» explicationes dictorum & factorum V. T. ; imô qui
» voce Cabbalæ non offenditur, sed ex æquo rem
» æstimat, is sine injuria dicet, multa in N. Fœdere
» esse cabbalistica. Id quod quum dico, non
» hoc volo, Sp. S. ex Cabbalistis profeciſse, &c. - - -
» sed hoc tantùm innuo, illum proponendi morem,
» quô Liber *Sohar* utitur, jam anteà inter Judæos
» fuisse usitatum, & Servatorem nostrum unâ cum
» Apostolis sese huic mori accommodasse.
» Porro doctrinas antiquas Ecclesiæ incorruptæ inter
» Judæos conservatas deprehendes ; cujus rei testem
» cito hoc volumen, nec non ea, quæ Deô volente se-
» quentur. »

Conqueritur etiam Vir Cel. p. 823. quòd talia Scripta non magis curæ fuerint Eruditis, ut ea adornarent, illustrarent ; & quòd dispari admodum cum græcis latinisque Scriptoribus fuerint gavisi sorte: qui non tantùm certatim illustrati, sed in quos præterea observationes, exercitationes &c. concinnatæ.

Persequamur autem ea, de quibus modò, ex eodem V. D. Notat nimirum, Rabbinis illis veteribus ac puræ quadantenus fidei directè contrariatam fuisse sectam pharisaicam [hostilem etiam erga Messiam animum gerentem] idque jam ante Christum, *præf.* cit. §. 9. 11. licèt præter Pharisaismum persecutiones quoque, item superstitiosus Philosophiæ Neglectus obstacula fuerint studii de veritate, §. 8. Sub exortum Pharisaismum duas Sectas sibimet directè contrarias prosiluisse : pharisaicos & midraschicos ; horum quædam dogmata ipsos quidem & Pharisæos recepisse, quòd de intentione illorum non sat judicare possent, §. 12. sicut & dein ipsius Raschbai dogmata ipsis Talmudistis non fuisse incognita constet è Tract. *Chagigah* ; at Auctorem ab hisce fuisse infestatum, ut per complures annos in spelunca latuerit

&c.

&c. A propagine Pharisæorum seu Talmudistarum ipsos & libros midraschicos ac Targumim fuisse interpolatos, castratos, §. 19. quo de V. D. in ipso etiam opere hinc inde; ex instituto autem *Rabb. lect. Lib.* 1. *Cap.* 10. seq. dictis gemina ferè habet V. D. *Lib.* 1. *Cap.* 3.

Quoad Scriptores autem apocryphos quod ib. (*Lib.* 1. *Cap.* 3.) monet, commemoratu dignum est: scil. hosce ut tertium Scriptorum genus, à midraschicis & pharisaicis diversum, habendos esse: siquidem apud illos Messiæ nomen non occurrat, verùm muti sint de Hocce; cùm tamen in libris, quales *Sapientia*, *Ecclesiastici*, PHILONIS, optima fuisset occasio Messiæ mentionem faciendi. Abesse quin & mentionem phraseos Judæis frequentissimæ: αἰῶνος τέτε & μέλλοντος, nominis Dei ἐυλογητὸ &c. licèt alii hebraismi occurrant; λόγε & σοφίας terminos apud ipsos non præcisè & semper indigitare quid quoad Messiam: cùm idea earum sit vaga, λόγος notare benè possit mandatum Dei, σοφία verò Sapientiam Deo essentialem seu perfectionem. Verùm resumimus filum materiæ de legibus forensibus, cui hæc interponere locus demùm hîc conveniens jubebat.

1400. *Lex forensis promovebat observationem officiorum erga alios, quæ Jus Naturæ ethicum ac politicum injungit, hinc &, quæ ab hisce præsupponuntur, officiorum erga seipsum* (*Mor.* §. 768.), item, *quæ illorum observationi per motivorum suggestionem opem ferunt, officiorum erga Deum* (*Mor.* §. 675. 998.): officia scil. illa sunt Intellectûs Voluntatisque emendatio vel cura (*Mor.* §. 255. 256. 372. 432.), corporis seu sanitatis vitæque conservatio (ib. §. 437. 447. 449), Statûs externi sarta tecta servatio, quoad opes, famam, ne hæc lædatur (ib. §. 806.), & in illis ne

Media à Lege civili suppeditata, ad juris ethici ac politici executionem.

damnum inferatur (§. 892. seq. ib.), è contrà augmentum adhùc hat (ib. §. 767. 818.), pauperibus auxilium feratur (ib. §. 961.); sic & erga amicos ac inimicos ut debitus se gerendi modus observetur (ib. §. 834. seq. 845. seq.); officia erga Deum sunt Cultus Ipsius internus ac externus (*Mor.* §. 757.); per illorum omnium jam observationem & pro diversis personis ac circumstantiis modificationem benè se habent Societas œconomica, civilis & ecclesiastica. Quænam autem nunc media officiis illis præstandis inservientia vel modum illa præstandi ac & motiva [pœnas transgressionum] ordinabat lex forensis, ac & aliquô modô ceremonialis? officio cognitionis promovendo inserviebat constitutio Doctorum per totam regionem (§. 1399.), temporum requietis à labaribus terrestribus ac operibus manuariis ordinatio, pœnarum in transgressores, judicum auctoritate infligendarum.

Emendationi voluntatis eadem inde inserviebant, uti & dum juvenilis ætatis cura habebatur, Deut. 4: 9. 6: 7. vid. (*Mor.* §. 387. seq.).

Corporis conservationi, & ne id læderetur, Leges talionis, Exod. 21: 20. seq. Lev. 24: 19. seq. quoad involuntariam cædem asyla: Num. 35: 11. seq. quoad corpus erga seipsum, ut sanitatis & propterea quoque puritatis maximè haberetur ratio: unde sanatio à lepra, ùt morbo præ aliis funesto ac contagioso sollicitè præscribebatur Lev. 13: & 14: Cap. inde suspensi de ligno non ultra diem erant relinquendi, Deut. 21: 23. Quoad Statum externum ad damnum præcavendum ac resarciendum

ciendum tendebant Leges talionis, Exod. 22: 3. seq. quæ etiam ad honorem ac famam quod attinet, aliquatenus locum habebant; v. gr. ubi quis testis falsò testimonium perhibuisset Deut. 19: 18. seq. sic ubi quis honorem filiæ, virginis, temerasset, Exod. 22: 16. officiorum erga pauperes observationem ferebant Statuta, injungentia, præter relictionem quorundam in agris, arboribus &c. Deut. 24: 19. seq. ut ne aliquando pignus accipiatur, aut saltem ne retineatur, Exod. 22: 26. Deut. 24: 6. 12. 17. ut sine usura commodaretur, Lev. 25: 36. seq. Deut. 23: 19. præcavebatur paupertati per recuperationem possessionum tempore jubilæi, Lev. 25: 28. item jura Goëlis v. 23. seq. ratione inimicorum, dum distinctio fiebat inter inimicos Dei, idololatras, gentes Cananæas, Deo adversas & inimicos ex eadem gente, personæ hujus vel illius, Israëlite erga Israëlitam, vid. Exod. 23: 33. Lev. 25: 44-45. Deut. 7: 1. seq. 25: 17. seq. Officia erga Deum firmabantur per pœnas in transgressores statutas, Lev. 23: 29. 24: 16.

Societatis œconomicæ quieti ac felicitati prospiciebat lex adeò ante memoratorum officiorum executioni prospiciendo, præterea Liberis, qui insigniter contra Parentes deliquissent contumaci inobendientiâ, maledicentia, verberum intentatione, pœnam Capitis irrogando, Exod. 21: 15. 17. Lev. 20: 9. Parentum authoritati per Judicum eam suppetias ferendo, Deut. 21: 18. seq. Leges inde & quoad matrimonialia eòdem spectabant &c.

Societatis jam civilis felix Status itidem

ab illorum officiorum observatione pendebat, tùm & propterea promovebatur per judicum constitutionem Deut. 16 : 18. seq. virtutum, queis gaudere debebant, uti & potestatis designationem, ib. Societatis ecclesiasticæ bono prospiciebatur : dùm sustentatio ejus honorifica ordinabatur, tùm per alia, Deut. 12 : 12. 14 : 22. seq. 27. seq. 18 : 6-8. tum per possessiones fundorum perpetuas, Lev. 25 : 32. 34. etiam dum præstationes sanctè ei exhibere tenebantur Israëlitæ, Deut. 26 : 13. 14. nec non & vel maximè, dum potestas judiciaria ei dabatur, 17 : 9. seq.

Omnis nimirum vera Statûs ratio debet pro fine habere felicitatem seu bonum publicum, finem in Republica summum ; hic autem ab intra promovetur ac & obtinetur, si observatio officiorum Juris. ethici ac politici promoveatur & obtineatur : vid. (*Pol.* §. 272. 401. seq.) ; hinc tùm Leges naturales, adeòque officia illa postulantes, expressè injungendæ, fortiùs adstringendæ pœnarum sanctione, tùm Leges civiles dandæ, ut finis ille eò faciliùs obtineatur, quæ ostendant modum officia illa sub variis circumstantiis exequendi, hinc & exceptiones, adminicula item, quò & jam pertinent minæ transgressioni legum naturalium annexæ ; ostendentes modum eam puniendi, motivumque eam vitandi ; inter circumstantias illas autem & vel maximè pertinent relationes, quibus homines inter se vivunt, seu Societates, simplices & compositæ, quibus officia illa inesse vel item observari debent.

Jam ad Leges Mosaicas ut hæc applicentur, jubebant ratione officiorum α. erga Intellectum Voluntatemque, informationem in cognitione Dei atque Cultu inde à juventute ; jubebatur in hunc finem recordatio præceptorum ac benefactorum Dei, mirabilium item, ut altâ manerent mente reposita, ac velut memoriale præ oculis essent, Deut. 6 : 8. 9. 11 : 18. [unde successu temporis

temporis phylacteria Phariſæorum orta] Liberis inſtillarentur ac inculcarèntur, Exod. 12: 26. 27. Deut. 4: 9. 6: 7. inde Docentes ſeu horum Societas, ubivis locorum poſita, diſpertita (§. 1399. & ſch. 1.), non ſolùm in urbibus ſibi propriis, ſed & aliis majoribus, ùt tenet Cel. VITRINGA *de Syn. Vet.* p. 368. 373. inde adeò loca docendi (ib. §. 1399. & ſch. 1.), modus, lectio, expoſitio, auditio Legis, etiam à Rege inſtituenda Deut. 17: 18. 19. dies, tempora, quibus negotio huic vacandum, negotiis omnibus circa vitam hancce ſub gravi pœna intermittendis, Sabbathum, Feſtum tabernaculorum, annus Sabbathicus; pœnæ in falſos Prophetas, Seductores, idololatras ſtatutæ, Deut. 13: 5. 10. 13. ſeq. 17: 3. ſeq.

Ratione Voluntatis pertinent hùc varia v. gr. ut ne quis obſequatur tentanti, ſeducere volenti, etiamſi major ac potior pars periculoſam exempli imitationem prodat, Exod. 23: 2. porro vindictæ interdictum, affectuum pravorum eradicatio præcepta Lev. 19: 18. item omnium reliquorum præceptorum diligens obſervatio inculcata Deut. 4: 1. ſeq. & paſſim, quò ita habitus, conſequenter Virtus (*Mor.* §. 64.) acquireretur. Quænam jam ex hiſce fuerint Legis forenſis, aut & moralis ac ceremonialis, facilè patebit attendenti, nec non quomodo una alteri ſubſervierit ac implicita fuerit, etiam reciprocè.

β. Erga corpus præter jam dicta [quibus & proſpiciebatur ſanitati, dùm cavebatur, ne aër aliquò modo inficeretur, quod facile officere poterat in regione calida] pertinet ſollicitudo ac mundities præſcripta etiam circa excrementa, Nom. 5: 2. ſeq. Deut. 23: 13. uti & ſentit CLERICUS in hunc loc. eòdem quoque referri poteſt interdictum carnis morticinæ Ex. 22: 31. impuritas venerea valdè vitanda injungebatur, commercium & cum fœmina, uxore, limitabatur Lev. 18: 19. 20: 18. impudicitia non minùs, ſeu geſtus impudici vetabantur: unde pœna in mulierem, ubi, etiam vel ſolùm incauta, Virum prudendis prehendiſſet, Deut. 25: 11. 12. Aliàs quoad conſervationem corporis per cibum potumque injungebatur, ut inter aut poſt fruendum Deo bonorum datori gratiæ agerentur, ib. 8: 10.

γ. Quoad Statum externum; quòd, cùm bona, opes per labores præceptô quartô injunctos adeòque justè sint comparanda, ita tamen, ut ne nimiô labore homines jumentaque viribus frangerentur, lex ceremonialis subveniebat per Sabbathum & annum Sabbathicum; conf. hùc CLERICUS in Exod. 20: 10. ubi monet, Sabbathi requiem etiam ob servos servasque jussam esse, & ut servorum Domini eum in finem recordarentur, se quoque [vel Majores suos] servos fuisse in Ægypto, Deut. 5: 15. quod sanè pulcherrimum! etiam aliarum gentium Legislatores requieti servorum prospicere voluisse: cùm & quoad labores durè tractarentur, interim non habuisse ita quâvis hebdomade diem requietis; apud Romanos hùc pertinuisse Saturnalia, interim & ipsis feriis servos complura adhùc facere coactos esse, quæ apud Hebræos non licebat; etiam hosce non mitiores futuros fuisse in servos, nisi Lege prospectum, unde hâc quàm maximè fuerit opûs. Jumenta debuisse otium habere, eò quòd sine servis regi non potuerint, unde aliud & quoad id feriarum Hebræarum ac Romanarum discrimen, notante eôdem V. D. Lex forensis hùc faciebat, dùm & jumenta oneribus portatu nimis difficilibus onusta sublevari [hinc & iis non imponi] volebat Exod. 23: 5.

Quia verò lex moralis amorem præterea injungens (sch. §. 1385.) [officia juris naturalis *interni* JCtis & dicuntur, ex principio: fac ea, quæ alterum statumque ejus perfectum reddunt, dirivata, ac constituentia, quod dicitur *decorum naturale*] hinc auxilium ferendum iis, qui Bonis carent, cujusmodi autem tales propriè postulare non poterant, hinc obligationem imperfectam talia officia secum ferunt (per princ. moral.), interim tamen Deus omninò vult (§. 80. & sch.), ac præstanda sunt (ib.), ideò forensis media hujus præcepti de amore executioni subministrans ordinabat sponte nata anni Sabbathici, Exod. 22: 11. spicilegia &c. hùc & pertinet, quòd annô Sabbathicô debita non essent exigenda, interim tamen ob propinquitatem hujus anni assistentia non deneganda pauperibus, Deut. 15: 2. 7. seq. præcipuè verò officia ac beneficentiam [vel modum ea exercendi, quòd Legis est forensis] erga

erga viduas orphanosque injungebat Exod. 22:21. 33: 9. Lev. 19: 33. Deut. 14: 29. quoad viduas vid. quædam, quæ hæc è monumentis Hebræorum illustrant, apud DASSOVIUM. *Diss. Vidua hebr.* Per talia adeò & exceptio fiebat à jure naturali perfecto, [quod alteri in alterum competebat] ob collisionem officii humanitatis insignis, quod huic debebatur, cujusmodi dicitur *æquitas naturalis*; vel potiùs modus ostendebatur talem exceptionem faciendi, hinc æquitatem naturalem exercendi; è contra præcavebat lex [uti & per alia adhùc] *iniquitati naturali*, quæ dicitur, ac est exceptio ab officio humanitatis insigni alteri debito, in collisione juris naturalis perfecti alicui in alterum competentis.

Servitus cùm etiam præter laborem esset medium paupertati & malis inde orientibus præcavendi [dùm servi Israëlitæ ùt mercenarii habebantur, hinc Victum & aliquid pro se acquirere poterant, vid. Lev. 25: 39. seq. per servitutem etiam otio, sentinæ malorum in Republica, præstruebatur] etiam servis prospiciebat lex: dùm nolebat, eos præsertim ex Israëlitis, ùt mancipia haberi & inhumaniter tractari, ib. v. 43. 46. cæteros etiam, etsi ùt mancipia ac servi perpetui haberentur ac possideri possent, lex [præterquam quòd officia humanitatis ac amor æque erga peregrinos injungebantur, Lev. 19: 34.] prohibebat lædere non solùm, sed & pro graviori læsione servum aut servam liberum dimittere jubebat Exod. 21: 26. 27. cædem verò ejus utriusque vindicari pœnâ æquivalenti, v. 20.

Ut & in hoc legum Mosaicarum æquitas præ aliarum gentium plerarumque Institutis se ostendat: apud quas quippe servos proprios occidere licebat, ita apud Græcos, Romanos, Germanos [non autem apud Ægyptios: horum legibus mori jubentibus, qui servum volens occidisset] crudelitatem in servos vetante pòst Adrianô, item Constantinô, etiam Antoninô Piô præcipiente, ut, si intolerabilis esset Dominorum sævitia, obligati essent servos suos bonis conditionibus vendere; uti hæc suppeditat CLERICUS *in* Exod. 21: 20. Eum in finem & servo à crudeli Domino ausugienti in Israële refugium ac securitas dabatur, Deut. 23: 15. 16. cùm injurias patienti ac de

vita semper periclitanti id omninò debeatur, & dein talis ita Ecclesiæ aggregari posset. Solamen verò servis erat tùm quilibet annus septimus inde à servitute, quò è servitute exire poterant. Deut. 15: 12. seq. tùm quòd, si peregrino serviissent, quôlibet tempore à sanguineo redimi possent, aut se ipsos, ubi quid acquisiviissent, redimere, Lev. 25: 47 - - 54. tùm vel maximè, quòd jubilæô libertatem ipsi cum progenitis Liberis recuperarent, ib. v. 40. 41. simùl etiam, in majus adhùc solamen, patrias possessiones, quo de ùt optimo paupertatis remedio ac pulcherrimo instituto in seq. Hùc pertinet, quòd lex in genere noluerit esse in Israële pauperes, Deut. 15: 4. qui mendicando Victum quærerent [licèt paupertati omni ac prorsùs præcaveri non potuerit, ib. v. 11.] onerosi regioni, inutiles Reipublicæ, Statui. Referendum eòdem, quòd & merces mercenario solvenda nequidem ad crastinum diem deberet differri Lev. 19: 13. Deut. 24: 14. 15. ac ita pro rebus emtis pretium mox solvendum fuisse facilè conjicere licet; quod sanè in Societate utilissimum: cùm ita & venditor rebus suis stare possit, & emtores non ita assuescant emendo debita contrahere; si tamen interim in casu necessitatis miseris, & qui non habent, quô emant, misericorditer subveniatur, uti in Republica Israëlitarum erat statutum.

Porrò itidem ratione Statûs externi, quoad honorem, famam alterius, dùm, ne læderetur, lex moralis sollicitè vetabat Lev. 19: 16. etiam ne homines miseri, corporis vitiô, sensuum defectu laborantes, contemtui haberentur, iis illuderetur, ib. v. 14. nisi quis huic præcepto etiam præterea παροιμίαν inesse velit, uti videtur CLERICO ad h. l. [licèt aliâs propriô sensu rectè intelligi dicat hîc & Deut. 27: 18.] quâ indigitetur, non esse maledaciendum illi, qui sibi ab injuria cavere non possit, qualis surdus, si ei quis submissâ voce convitietur, aut cæcus, cui offendiculum ponatur; ac in genere prohibeantur injuriæ, quæ clàm fiunt, & repelli non possunt.

Honoris fundamentô aliâs præter virtutem ætate se nectâ, Lev. 19: 32. [uti & CLERICUS h. l. canitiem mavult de ætate quàm de hominum quorundam

rundam genere intelligere, ut MOSES egregium Ægyptiorum institutum confirmet, de quibus ex HERODOT. 2. V. D. quòd in hoc cum solis Græcorum Lacedæmoniis congruant, dùm minores natu majoribus obviis viâ cedant, ac deflectant, & advenientibus è sedili assurgant] item & muneribus, Sacerdotum, Doctorum, Judicum, ut ita auctoritas, obedientia, sarta tecta manerent; nulla tùm adhùc præterea observandâ in familiis inter nobiles & ignobiles distinctione.

δ. Erga amicos ac inimicos quæ præscribebantur, erant ferè Legis moralis: vindictæ interdictum, Lev. 19:18. vid. (*Mor.* §. 855.), item ut asinus ac bos inimico possessori iterùm reducatur, Exod. 23:4. vel aliâs sub onere succumbens sublevetur, omissô propriô negotiô, ib. v. 5.

ε. Ad Status jam seu Societates quod spectat, præter jam dicta, quæ faciebant ad felicitatem & quietem in Societate œconomica, addendum in paterna quoad educationem Liberorum, ut hæc benè procederet, prospexisse legem forensem per & quoad informationem in cognitione Dei, Deut. 11:19.20. dum & Levitæ dein extra urbes suas à spectatis ac ditioribus in familias suas pro bono educationis Liberorum adscisebantur, prout notat Cl. VITRINGA *Syn. Vet. Lib.* 1. *P.* 2. *Cap.* 8. p. 372. conf. Jud. 17:7. seq.

Quod ad delicta Liberorum in Parentes observare hîc juvat, quod CLERICUS notat ad Exod. 21:15. MOSEN nullam parricidii mentionem fecisse ac pœnam sanxisse, uti & Romulus ac Solon nullam in id scelus maximum pœnam sanciverint, eò quòd ille quodvis homicidium ita consideraverit, hic verò neminem eò audaciæ processurum tenuerit; MOSEN autem sapientiùs, cùm nosset nil esse tàm sanctum, quod non violet audacia, extremô suppliciô scelera, quibus gradus fieret ad nefarium facinus, punienda statuisse. Seductioni Liberorum ad impudicitiam præcavebatur, dum virginitas mentita & scortatio graviter puniebatur, Deut. 22:14.15.20.21.

Inde & necessariæ erant Leges quoad matrimonialia,

quò matrimonium inviolatum maneret: quippe quod maximi in Civitate momenti; uti &, ut de matrimonio pauperum benè prospiciatur, refert; eò spectabat lex, quomodo filiæ in servitutem venditæ prospiciendum ab eo, qui emerit, Exod. 21: 8--11.

Et cùm è concubitu illicito ac scortatione multa in Societate oriantur mala, ideò pœna dictabatur ejus, qui virginem vitiaverit, 22: 16. 17. vid. hac de re ex Hebræorum [Talmudistarum & recentiorum Rabbinorum] jure SELDENUS *uxor. hebr. Lib.* 1. *C.* 16. Indecentissimum etiam ac quàm maximè scandalosum quià per se, ubi Sacrorum Ministri, ùt personæ publicæ, domus tali scelere contaminatur, inde pœna gravissima filiæ Sacerdotis scortatione se fœdantis, Lev. 21: 9. Ad aversationem etiam hujusce criminis animo eò magis imprimendam tales Liberi seu spurii à Cœtu excludebantur, Deut. 23: 2. licet SPENCERUS ממזר per alienigenam, etiam contra LXX., exponat, *Lib.* 1. *Cap.* 6. *Sect.* 3. p. 105. seq. edit. Tub.

Determinandæ autem propterea & erant pœnæ adulterii, pro diversitate personarum ac circumstantiarum [hinc non omnes æquales] Lev. 19: 20. 20: 10. Deut. 22: 23. seq. nec minùs, cùm interfit, ut rei ad confessionem redigantur, modus cum muliere adulterii suspecta procedendi planè singularis, Num. 5: 15. seq. de quo talis uxoris examine SELDENUS ib. *Lib.* 3. *Cap.* 13. modus è contrà cum eo agendi, qui uxorem ductam castitatis aut virginitatis ante matrimonium violatæ falsò accusaverit, pœnaque ipsi inferanda, Deut. 22: 13--19. item cùm & ob alias rationes uxor repudiari ac dimitti posset, modus dimittendi præscribi debebat, ib. 24: 1. Nefandas porrò & libidines ac peregrina connubia præter Leges expressas propriò sensu Exod. 34: 16. Lev. 18: tot. etiam forensem vetasse symbolicè: interdictò v. gr. ut ne pecudes diversi generis coire permitteretur, Lev. 19: 19. ut ne in vinea aliud præter Vites plantaretur, Deut. 22: 9. conjectat CLERICUS ad ea loc., ubi & ad posteriorem Spenceri expositionem rejicit.

Societas matrimonialis quoque noviter contracta ut mox divelleretur pro tempore cùm æquum non esset [præsertim ob res, ubi vitæ periculum] inde dispen-

satio

satio à militia & talibus per anni spatium Deut. 24: 5. quo de Vir eruditiss., ubi modò, *Cap.* 3. è Magistris, Josepho item ac Philone. Familiarum extinctioni obviam ibatur per legem de Goële seu Leviratûs, Deut. 25: 5. seq. splendori conservando inserviebat lex de prærogativa primogenitorum, 21: 17. qua de & eorum divisione idem SELDENUS vid. *de successionibus in bona defuncti ad Leges Ebræorum, Cap.* 6. 7.

Hisce omnibus subministravit ac instar vinculi iis impliciti se habuit Cultus Dei, Religio, Dies festi, annus Sabbathicus &c.

1401. *Lex Mosaica civilis* eadem autem & *apprimè faciebat ad tranquillitatem publicam seu Statûs servandam* [præter adminicula illa executionis Juris ethici ac politici] (§. 1400.) *per jubilæi jura*, item *aliàs ad æqualitatem inter homines*: per Statuta namque de Jubilæo, dum quivis patrias possessiones recuperare potuerat, prohibebatur, ne, qui populares suos nullâ aliâ re nisi divitiis superabant, pauperiores libertate & præsertim facultatibus spoliare possent; quæ duo mala autem Rempublicam Hebræorum pessum dare, aut in maximum adducere potuissent discrimen: quippe in regione, ubi agriculturâ nonnisi vivebatur, pauperum agricolarum multitudo periculosa fuisset, nec minùs multitudo servorum, qui liberi nati, solâ inopiâ in servitutem delapsi, in hanc se vendere coacti: cùm tales in servili conditione liberos spiritus gerant, ac invitissimi serviant; bellis etiam servilibus excitandis apti sint. Jam sine Jubilæi juribus talis servorum multitudo emersisset; quippe etsi annô septimô dimissi, ut in familiam

Media ab eodem suppeditata, ut tranquillitas ac æqualitas consisterent, hinc Respublica turbis non esset obnoxia.

familiam redire liceret, tamen cùm eô possessiones non recuperarent, iterùm in servitutem se addicere ob paupertatem adacti fuissent.

Unde simùl conficitur, quòd idem Statutum civile inæqualitati inter Israëlitas præcaverit.

Sch. 1. Suppeditat doctam hancce Observationem Cl. J. Clericus *Comm. in Lev.* 25: 10. ac eam illustrat ex Historia Romana; graves scil. in hac Republica ortæ seditiones, quòd debitores, si solvendo non essent, à creditoribus in vincula raperentur; & porrò quòd ditiores, pauperiorum paulatim coëmtis agris, latifundiis suis paulatim omnia complecterentur; hinc Leges agratiæ &c. Hujusmodi malis obviam ire voluisse varios Legislatores remediis iisdem aut similibus, quibus Mosen, docet ex Aristotel. *Polit.*, ubi de Solone id perhibetur, de Lege apud Locros &c. Mosen obviam ire voluisse avaritiæ perspexisse Philonem, qui addere debuisset, periculosissimam esse Reipublicæ, qualis Hebræorum [apud quos artes mechanicæ non multùm exercebantur] ingentem pauperum agricolarum multitudinem: cùm tales res novas moliri ament, Aristotel. *Polit.* judice. Quoad periculum, quod Reipublicæ à multitudine servorum immineat, qui liberi nati inopiâ ad servitutem redacti, adducit itidem ex Historia Romana bella servilia; ubi Eunus servus, Natione Syrus, contractâ agrestium servorum [quales Hebræorum servi, agricolæ aut pastores] manu & solutis ergastulis, justi exercitûs numerum impleverit &c.

Sch. 2. Patriarum possessionum scil. etiam Israëlitæ adeò erant tenaces, ut quævis pati mallent, quàm verò eas amittere: vid. exemplum Nabothi 1. Reg. 21: 3. seq. Redibant nempe possessiones, etiamsi venditor redimendo par non esset, Lev. 25: 28. domus autem in urbibus murô cinctis redimendæ erant anni spatiô, aliâs emtori semper manebant, ib. v. 29. 30.

Cùm adeò nonnisi usque ad annum jubilæum vendi ac emi possent, & tùnc iterum pristino possessori cederent, inde majoris aut minoris erant æstimandæ, proùt

proût jubilæum majori aut minori temporis intervallô distabat; & propterea pretium pro ratione hujus determinabatur: cùm propriè tantùm usus-fructus venderetur, Lev. 25: 16. 50. Etiam in redemtione servorum solutio debebat esse proportionata tempori servitutis pro ratione distantiæ à jubilæo, ib. v. 50--53. Possessionum verò alienatio è familiis ac Tribubus aliâs quoque prohibebatur per legem sapientissimam: quâ filiabus, ad quas Patris hæreditas redibat, ἐπικλήρους dictis, non licebat extra Tribum, imò nequidem extra familiam paternam nubere, vid. Num. 36: 7. seq. & ib. BÜRMANNUS, qui notat, legem hancce semper postea valuisse patere ex Tob. 6: 13. 14. 7: 12. [ubi nos controversiam inter Eruditos, de qua vid. etiam SELDENUS *de succeff. in bona &c. Cap.* 18. nostram non facimus, num scil. lex observata fuerit, sed nonnisi Sapientiam ejus indicamus] quin &, si virgo nupsisset extra Tribum, & pòst Patris hæreditas ad eam esset devoluta, tùm non Maritum ac Liberos jus ad hancce hæreditatem habuisse, verùm consanguineos proprios; unde lex conjunctionem familiarum, seu ejusdem familiæ inter se ac secum firmasset. Tribus autem Levi libertate gaudebat è quacunque 12. Tribuum matrimonium contrahendi, ut Eruditi tenent, ac exemplum Aaronis suadet, Exod. 6: 23. Num. 1: 7. quippe nulla inde exurgebat nimia fundorum aut domuum acquisitio & possessio: utpote possessionibus jam ipsis Divinitùs assignatis nec ultrà ita facile ac valde extendendis [licèt aliquando acquisivisse V. D. exemplô Elkanæ ac Barnabæ Levitarum probent: vid. 1. Sam. 1: 1. Actor. 4: 36. 37.]; præterea libertate illâ gaudebat & tùm ob dignitatem muneris, ob hancce & matrimoniò præ aliis honorificô ei injunctô, Lev. 21: 7. quo de SELDENUS *uxor. hebr. Lib.* 1. *Cap.* 7. tùm quià inter reliquas Tribus erat dispersa.

Sch. 3. Æqualitatem autem quoad possessiones, quam hôc modô lex firmare intendebat, non interim sublatam fuisse per jus primogenitorum [de duplici portione sumenda] facilè quivis videt &c. Inæqualitas igitur & aliàs inter Israëlitas satis adhùc manebat: semper quidam manebant pauperes, Exod. 22: 25.

Lev.

Lev. 25: 35. hinc & servi &c. ut commodô, quod hodiedum inæqualitas hominum affert, Respublica Israëlitarum non fuerit destituta; licèt nunc non inquiramus, an non præferenda esset æqualitas, si pauperibus, queis luxus divitum ac superfluorum studium materiam sustentationis præbent, æquè prospici posset &c. Addimus hìc potiùs, ad æqualitatem illam servandam, fecisse & legem usuras prohibentem, seu injungentem, ut nullius quæstus causâ commodaretur Exod. 22: 25. Lev. 25: 36. seq. quò scil. ditiorum facultates non ita excrescerent; lubet autem aliâs quoad hancce legem quædam commemorare ex SPENCERI de ea *Diss.* edit. Tubing. ad calcem *Lib.* 1. ubi pro ratione ponit v. gr. à parte Dei, ut Israëlitæ se Domini supremi quasi feudatarios agnoscant, cujus benignitati vineas, prædia &c. debeant, Lev. 25: 37. 38. à parte terræ, eò quòd ibi non mercatura, verùm agricultura nonnisi ac res pecuaria exerceretur; hinc ab alienigenis usuram accipere permissum fuerit, Deut. 23: 20. quippe qui quæstûs gratiâ inter Israëlitas versati, mercaturam exercentes, quod factum à Cananitis, Sidoniis, Tyriis, Ægyptiis; quæ gentes argentum, frumentum, vinum, oleum ac alia necessaria fœnori dederint, mercaturâ etiam eâdem, quæ fœneratio, habente initia. Conf. & CLERICUS *in Exod.* 22: 25. ubi notat, pecuniam commodatò sumere potuisse tùnc vel tales, qui nil ferè præter agellum habebant, familiæ alendæ aut non sufficientem, aut quem præ morbo colere non poterant, aut contra hostes defendere; vel qui calamitate quâdam oppressi ære alienô opùs habebant; tales [maximam Israëlitarum partem constituentes] usuram solvere non potuisse; inde incommoda &c. uti Romæ æs alienum turbas multas excitaverit &c.

Sch. 4. Cum ZEPPERO inde & dici potest, Leges forenses hunc in finem esse latas » ut sint nervi tran» quillitatis publicæ in vita externa ac executio de» calogi «; & legem forensem decalogo inservire, quâtenus hic honestatem, societatem, tranquillitatemque humani generis respicit, ac posterioris tabulæ ferè appendicem esse; licèt in quibusdam etiam primam tabulam muniat; *Lib.* 1. *Cap.* 1. p. 19. 20.

1402.

1402. Perspicitur autem, *eandem legem occurrisse vitiis illis cardinalibus tribus, quæ Civitatibus funesta, ac eas pessumdant: avaritiæ, superbiæ seu ambitioni, & luxui seu voluptati:* ubi enim viæ ac modi, quibus aliâs divitiæ augeri ac aliorum res, possessiones sibi appropriari possunt, obstruuntur, ibi alii super alios accrescere, Caput extollere nequeunt, nec & cæteri hi depauperari; inde igitur nec cupiditas res suas augendi ita excitatur seu avaritia, nec præpotentia locum habet; hæc autem divitiis suffulta est fons superbiæ, ambitionis, etiam luxûs. Jam verò viæ divitiis accrescendi in regione, ubi agricultura nonnisi ac res pecuaria exercebatur, nec verò mercatura &c. non erant, nisi ut vel fundi, domus aliorum emerentur, vel usuræ ex pecunia commodata acciperentur; at neutrum locum inveniebat: cùm possessiones aliorum etsi emtæ, tamen elapsô 50. annorum spatiô venditori vel ejus posteris iterùm relinquendæ essent, ac ita iis cedere oporteret; usuras verò ab Israëlitis accipere licitum non esset. Obstabant etiam avaritiæ ac luxui annus Sabbathicus & Jubilæus: dum reditus non ferebant, & tamen pauperibus favebant; luxui præcavebatur quoque, dum commercium omne ferè cum aliis gentibus interdictum erat; hinc nec res peregrinæ, luxum excitantes, foventes, advehebantur.

Remedia in Lege forensi adversus vitia tria primaria.

Ex divitiarum superpondio, oriente inde acquisitione fundorum, possessionum, muniorum paulatim venit, ut alii alios opprimant, familiæ quædam perpetuô splendore, præeminentiâ, fulgeant, aliæ verò obscuritate

ritate involvantur; unde rebus ſtantibus, quemadmodum in politia Iſraëlitica [ante Reges nimirum] non facilè notabilis diſtinctio inter familias oriri potuit, niſi vel munia vel ſervitus rem paululum modificaverint. Luxus præcavebatur in Politia illa: dùm ita ditiores non habebant neceſſe per ſuperfluorum ſtudium pauperibus materiam ſuſtentationis præbere; nec verò otium anni Sabbathici luxi fomentum præbebat: quippe materia ita deerat, & tantò magis tempus id laboribus ſpiritualibus erat tranſigendum, propterea ſemper interim ſacrificia [cruenta & ferta] primogenita Deo impendenda; quod iterum etiam avaritiæ obviam ibat: pœnis ſeveris per Judices infligendis in eos, qui Deum defraudaſſent.

Ad ſuperbiam, avaritiam, extinguendam facere quoque debebat & poterat, quòd lex ubique ferè in memoriam revocaret Statum antiquum ſervitutis in Ægypto, unde à Deo gratioſiſſimè erepti, quod ſanè humilitatem animo debebat ingenerare, ac facere, ut erga quosvis lenes, æquos ac humanos ſe exhiberent; quò ipsò profligantur ſuperbia, avaritia, quin & luxus. Hùc facit, quod in *Hiſt. univerſ. Tom.* 2. p. 407. Not. Leges de anno Sabbathico ac Jubilæo aptiſſimas fuiſſe ad inſpirandum populo ingrato ac rebelli ſenſum ſubmiſſionis regulis providentiæ & beneficentiæ erga pauperes fratres, ſervos ac alienigenas; quippe memoriam ſervitutis Ægyptiacæ, quæ ùt cauſa indicetur Inſtituti illius, fini illi accommodatiſſimam fuiſſe.

Sapientia Legis illius, quæ nec univerſalis nec immutabilis erat.

1403. Patet è dictis, *Leges forenſes ſapientiſſimè fuiſſe à Deo latas, fuiſſe poſitivas, particulares, hinc variabiles:* media enim exhibebant convenientia ad finem bonum, ſalutem populi (per §. 1400. & ſch. ib. §. 1401. & ſch. 2.), id autem facit Sapientiam (*Met.* §. 914.): tantò magis, quòd media conſtituant ipſos quoque fines, adeòque intermedios: uti fuêre Leges v. g. de ablati reſtitutione, miſericordia,

dia, possessionum recuperatione; dum ejusmodi in particulari seu personis iis utile erat ac simul salubre pro tota gente &c. speciatim verò adhuc Sapientia legum illarum in eo quoque erat sita; quòd 1. per eas Religioni etiam auxilium præstaretur: quippe Legi ceremoniali (§. 1396.) & officiis erga Deum (§. 1400.) jam verò Religio firmissimum est sodalitatis vinculum, ad quam benè constituendam in Civitate quàm maximè est respiciendum (per princ. *Pol.* §. 366.); quò & referri potest, quòd lex forensis in quibusdam præfigurationis vicem præstiterit, v. g. quoad asyla Prov. 18: 10. Zach. 9: 11. 12. sic etiam annus jubilæus, Es. 61: 1. 2. Goëles, Gen. 48: 16. Job. 19: 25. Es. 59: 20. 2. Aliàs speciatim quoad varia instituta [præter jam in anteced. memorata] prodit se sapientia legum illarum, v. g. in applicatione præcepti sexti quantum ad cædem involuntariam: sicuti enim iniquum fuisset, homicidas, qui inviti ac imprudentes homicidium admiserunt, eôdem habere locô, ac qui ex intentione, ita etiam inconsultum fuisset permittere ejusmodi hominem semper ob oculos consanguineorum occisi versari: cùm enim ei malè vellent, facilè scelus oriri potuisset; porro uti injustè invitus homicida punitus fuisset gravi pœna, tamen & non conveniebat eum sine animadversione missum facere, quò scil. ita diligentiùs caveretur; sapientissimè non quibusvis homicidis asyla aperiebantur: inde enim scelerum licentia non potuisset non invalescere; ulteriùs sapienter asyla non in tabernaculo aut Templo sunt

constituta: tùm namque Cultus Divinus homicidarum incursu, præsentiâ ac ultorum vi fuisset temeratus; sapientissimè tandem etiam ejusmodi homicidæ non in exilium mittebantur extra Israëlis ditionem: cùm ita inter idolatras versantes à vera Religione defeciſſent, verùm exiliô mitiore multati, inter populares [etsi non in agris suis] degebant.

E quibus simùl, uti iis, quæ in anteced. memoratâ, liquet, quòd à circumstantiis populi Israëlitici, ejus indole ratio legum illarum fuerit desumta: cùm nonnisi apud hancce gentem modus ille bonum publicum legum Naturæ per civiles applicatione promovendi (*Pol.* §. 3. 214.) fuerit accommodatior reliquis; ut apud aliam gentem, aliô Seculi geniô &c. aliter id fieri debuisset, ac alius modus convenientior fuisset, melior &c. apud gentem v. g. mercaturam exercentem &c. aut non ita priùs idolatriæ assuetam, aut idolatris cinctam &c. sic & statuta quoad inquisitionem in maleficia arbitraria ac positiva fuisse nemo non videt; uti & pœnarum genus; sic intervalla annorum relaxationis, requietis, jubilæi &c. Legem de prærogativa primogenitorum. Ut adeò etsi lex forensis Legi naturæ immutabili subministraverit (§. 1399. 1400.), tamen fuerit mutabilis, variabilis: cùm aliô modô ac diversis subministrare potuisset, etiam apud hancce gentem: magis adhuc apud aliam gentem aliter condenda fuisset; à particulari hinc quià ratio legum illarum ùt mediorum ad finem erat desumta, positivæ ac mutabiles fuêre (§. 724. 725.).

Sch. I.

Sch. 1. In quantum itaque Leges illæ Moisaicæ forenses à Rebuspublicis hodiedum vel in Statibus sint recipiendæ, satis patet, nec est id hujus loci & fori disquirere. Notamus potiùs, quòd, uti Leges mediorum vicem præstant ad finem summum vel subordinatum unum ac plures, inde ipsæ sibi subordinentur ac fines fiant; & quò magis ita fiunt ac sunt media ad ulteriorem seu superiorem semper finem, tantò præstantior sit rerum ordinatio. Omnia hinc nexu pulchrô cohærere debent, hinc Leges ipsæ res ordinantes, ita ut, si redigantur in propositiones determinatas, syllogismis expressas, continua earum series atque ratiociniorum pulchra congeries deprehendatur; quam tunc sistit cognitio symbolica (*Met.* §. 16. 319.).

Bonum publicum autem ipsum pauliſper potest variari, ita ut pro diversis temporibus si non prorsùs quoad partes quasdam aliud sit, tamen partes hæ seu Capita salutis publicæ paulatim modificentur, salusque populi, ùt suprema semper lex, aliter obtineri possit, hinc aliter promoveri debeat; quòd si verò jam in Statu omnia ita constitui possint, ut per decursum temporis nullâ opùs sit variatione, emendatione, tùm sanè præstantissimè res ordinatæ sunt; atque hôc modô res se habuit quoad Leges forenses, ùt monitum (sch. 3. §. 118.); dùm & pleræque non solùm ob alias & ùt media præscribebantur, verùm & ob seipsas ac ipse expetebantur, ipsis etiam individuis, quæ in casu Legis erant, seu quibus lex tùm applicanda, salubres erant, nec tantùm genti in genere; uti v. g. [præter alias] jubilæi jura: dum personis ipsis in bonum cedebant, obtinendo hæreditatem avitam, pro tempóre amissam, posteris inde & earum perpetuò seu familiis; nec minùs toti reipublicæ: dum ita non evadebant perpetuò pauperes, onerosi Statui &c.

Quantò magis igitur omnis pseudo-ratio Statûs eliminabatur? quod jam fit, ubi utilitas universalis, populi, spectatur.

Sch. 2. Illud de asylorum sapienti instituto suppeditat CLERICUS *Comm. in Num.* 35: 6. Not. prolix. ubi confert cum Græcorum ac Ægyptiorum Jure vel instituto asylorum, quod neutiquam ita sapienter se habebat: cum apud Græcos quibusvis homicidis asyla pa-

tuerint, interim & inviti homicidæ in exilium fuerint missi, item Templa, sicùt & apud Ægyptios asyla fuerint; conf. quoad asyla apud gentiles *Diss.* mox citanda §. 18. 19.

Notandum præterea, etiam altare [exterius scil., nam ad interius seu aureum nequidem Sacerdotibus extra Ministerium intrare permissum erat] asylum præbuisse; saltem ùt vetustissimam consuetudinem, tacitâ concessione à Summo Legislatore toleratam, ùt concluditur ex Ex. 21: 14. ut scil., si homicidæ involuntarii à vindice sanguinis ibidem fuissent cæsi, ipse vindex Capite luisset, etiam tales ad aram confugientes non diu ibi manere ausi, verùm à custodibus mox in urbem refugii deducti; dicebatur autem ejusmodi confugium ad aram *cornua altaris prehendere*: dùm cornua, quæ sanctissima pars altaris [utpote sanguinem sacrificiorum sanctissimorum imbibentia] prehendebantur; tales nimirum super altare ascendebant.

Exempla habentur 1. Reg. 1: 50. 2: 28. unde simùl patet, non solùm pro Sacerdotibus sed & Israëlitis indiscriminatim aram asylum ita præbuisse; vid. erudita J. Rod. Gruneri Nostratis *disquisitio de cornubus aræ in Tabernac. ac Templo Deo O. M. sacrata &c.* [*Symbolis liter.* Bremens. inserenda, *to.* 2.] §. 16. 17.

Addendum hîc quoad Legem uti itidem sapientem, ita simul æquissimam: scil. de peregrinis benè habendis Ex. 22: 21. Lev. 19: 34. quæ nititur ratione tùm ab humanitate desumtâ, quâ homines hominibus prodesse debent; tùm ab æquitate: quia, dùm peregrini consanguineis, qui ipsos tueantur, destituuntur, æquum est iis Lege consulere; tùm & ab ipsa civitatum utilitate, quæ obtinetur, dum commercia rerum vitæ necessariarum ita aluntur, & ἄξενοι populi semper miserrimi deprehensi; monente hæc Clericô *in Ex.* 22: 21. qui & ib. notat, similem de peregrinis benè habendis legem Athenis fuisse. Ad animum verò & ib. l. cit. à Deo revocatur motivi locô æquissima ratio desumta ab antiquo Israëlitarum statu in Ægypto, ubi etiam peregrini fuerint; quid pulchrius hisce, quid fortius ad lenitatem erga tales ac humanitatem ingenerandam? quæ & satis jam excitari debet per princip. quod tibi fieri non velles, alteri nec feceris; conf. autem & (sch. §. 1402.).

Sch. 3.

sch. 3. Goëles Redemtorem Messiam repræsentasse facilè ostenditur: quippe tum 1. fratris depauperati bona, fundos alienatos, iterùm reducere, sibi solvendo appropriare debebant, Lev. 25: 25. [quò alluditur Prov. 23: 10. 11. ac exempla habentur Ruth. 4: 3. 9. Jer. 32: 6 -- 13.] tùm consanguineos, qui se ob pauperatem in servitutem vendiderant, ita redimere debebant, Lev. 25: 47. 48. 2. consanguinei trucidati cædem vindicare, Num. 35: 18. 19. 3. defuncti fratris viduam ducere, ad sobolem procreandam, ne memoria fratris extingueretur, Deut. 25: 5. 6. Jam an non Christus eos, quorum frater fieri voluit, Heb. 2: 11. 14. in libertatem quoque vindicavit? vid. Matth. 12: 29. Joh. 8: 36. Col. 1: 13. nos ipsos totos sibi redemit 1. Cor. 6: 20. solutò pretiò 1. Tim. 2: 6. homicidâ, diabolô, extinctô Joh. 8: 44. Hebr. 2: 14. unde jure גאל, הגאל dicitur loc. (§. præs.) cit. Gen. 48: 16. Job. 19: 25.

Ex legibus Israëli præscriptis qualenam resultaverit Regimen.

1404. Cùm verò Deus ipse non solùm Leges illas omnes (§. 1384. 1387. 1397.) tulerit, adeòque potestatem legislativam Ipse solus exercuerit ac sibi reservaverit, prætereà & executivam aliquando, in casibus dubiis responsa dans: vid. ex. gr. Lev. 24: 12 -- 12. Num. 27: 5. seq. applicationem legum ita instituens, & in universum Moses omnes regiminis actus non propriâ auctoritate, sed ad Dei nutum ac mandatum exercuerit, *Respublica* seu Status *Israëlitarum fuit Regimen Dei*, quod dicitur *Theocratia*. Hæc etiam probatur locis Scripturæ, quæ Deum potestatem verè Regalem inter Hebræos habuisse indicant, Jud. 8: 23. 1. Sam. 8: 7. unde judicium, quod populi Principes ferebant, *judicium Domini* dicitur Deut. 1: 17. solium, cui Salomon insedit, *solium Domini* 1. Chron. 29: 23.

Regnum, quod posteri ejus tenuêre, *Regnum Domini* 2. Chron. 13: 8. ante exortos nimirum in Israële Reges hæc omnia Dei tanquàm summi Regis fuerunt, & ab Eo ad Reges Principesque devenerunt. Ulteriùs Theocratia illa probatur, quoniam Deus sibi servavit א potestatis regiæ signa: judicare, Ex. 18: 19. Num. 27: 6. -- 11. egredi in populi conspectu, Num. 14: 14. Jos. 23: 3. -- 10. ב jura Majestatica: judicum subinde constitutionem, Deut. 16: 18. 17: 15. dimidii sicli [Tributi locô] annuam ab omnibus solutionem, Ex. 30: 12. -- 16. 38: 26. 2. Chron. 24: 9. seq. ג titulos sibi tribuit regios: מלך 1. Sam. 12: 12. Ps. 149: 2. מלך רב Ps. 48: 3. אלהים Deut. 26: 17. ד quia populus Eum pro Rege Dominoque recepit Ex. 19: 8. idque ה justissimam ob rationem, mirabilem scil. ex Ægypto liberationem, ib. v. 4.

Vid. docta ac egregia SPENCERI *diss. de Theocratia Judaica*, annexa *Lib.* 1., è cujus *Cap.* 1. *Sect.* 1. quæ allata, desumta; ubi *Sect.* 2. præterea notat, Deum fuisse Regem 1. politicum: quippe ante Regum tempora nulla obtinuisse Regiæ potestatis Insignia, à Dei nutu instruendos fuisse, qui præerant, Num. 27: 21. non habuisse satellites, non palatia, non equorum catervas, non concubinas; 2. militarem, unde toties audiat יהוה צבאות; comitem se præbuisse in deserto, anteivisse in bello; 3. cœlestem: dum actiones Cultûs circa Deum sublimius quid repræsentarint. Mònet porro *Sect.* 3. Deum in Cœlis agentem Principatum suum administrasse 1. dùm populum rexerit per Lege judiciarias à Se ipso latas; [Moses nimirùm erat Rex nonnisi subordinatus, uti intelligendus locus Deut. 33: 5. vid. etiam FIDALGKII Diss. *Theocr. Jud.* Lipsi. 1728. p. 13 -- 16. ubi benè notat,

notat, Mosen appellari servum Num. 12: 7. coll. Heb. 3: 2. Jos. 1: 2.] 2. oraculis, responsis extraordinariis de rebus dubiis; 3. per Sacerdotes, Pontificem imprimis; quò pertineat pectorale judicii ei soli gestandum, item quòd gens Israëlis ממלכת כהנים diceretur, dùm per Sacerdotes erat regenda.

Ad Formam & modum, quò regimen id constitutum [& quo de V. D. *Cap.* 2.] pertinuisse etiam fœdus, cui & ceremoniæ fœderales additæ Ex. 24: 1. seq.

Rationes regiminis hujusce [de quibus *Cap.* 3.] fuisse [præter illa à parte Dei] à parte populi, ne Ægypto assuetus iterùm eò delaberetur; item quià Dei ipsius ordinatione opùs fuerit ad res illius Ægyptò egressi turbatas in ordinem concinnum redigendas; porro in natura regiminis ipsius: utpote quod pacificum, saluti populi accommodatum [conf. hùc, quæ in anteced. dicta] (sch. §. 1400. 1401. & sch. 1 -- 3. ib. §. 1402. & sch.) judicibus salutem gentis promovere studentibus, non verò se ipsos pascere; ut res populi omnes in salvo manserint.

Instituta, quibus Theocratia originem dederit [*Cap.* 5.] fuisse 1. Deum ùt Regem politicum spectantia, quòd tabernaculum ùt palatium (היכל) Deo Regi strueretur, ubi שכינה כבוד, Majestas Divina residebat, Exod. 40: 34. 35. quòd arte maximâ ac pretiosissimè exornaretur, suppellectili instrueretur, in ea Regi ministrarent familiares ministri, כהנים appropinquantes; mensa appararetur Mal. 1: 12. soliô instrueretur, כסא קדש Ps. 47: 9. Cherubinis scil. 99: 1.
2. Deum ùt Regem cœlestem spectantia, v. g. quòd thronus fuerit è cherubinis constans: utpote angelorum formis; sic quòd nomen tabernaculi simùl היכל & מקדש *sanctuarium*; unde & sæpè Deus eôdem Comm. simùl Deus ac Rex audiat: ex. gr. Ps. 5: 3. 68: 25. 3. ùt Regem exercituum; quòd v. g. tabernaculum ùt tentorium militare spectari posset, dissolvendum, ubi castra aliter metanda; Scripturâ quoque terminos militares de illo adhibente &c. populi Cœtum vocante יהוה צבאות Exod. 12: 41. & angelum

illum Jos. 5 : 14. 15. Principem exercitûs Domini. Præterimus alia instituta, quæ SPENCERUS commemorat, è Seculi autem moribus, adeoque idololatria, derivat; de ejusmodi quid tenendum, indicatum (sch. 2. §. 1391.). Theocratiam verò idololatriæ inhibendæ causâ institutam ac ei fini aptam fuisse *Cap.* 6. ostendere sibi sumit; eò & pertinet præter alia, quod ponit *Lib.* 1. *Cap.* 6. legem idolatriæ obstaculum fuisse, Sacra pleraque certis locis, personis & temporibus adstringendo.

De durationе hujus Theocratiæ ut adhùc mentionem ex eodem Auctore faciamus [*Cap.* 4.], initium ejus ponit, ubi Deus Israëlem ita potenter Ægyptô per mare rubrum eduxerit, Ex. 15 : 18. inde palatium, tabernaculum, oraculum: Urim &c. Judices, Sacerdotes; abrogationem autem ejus per gradus factam esse: 1. ubi Regem petierint Israëlitæ 1. Sam. 8: 7. 2. ubi Saul ac David multas Leges arbitrarias sanxerint, quò referri potest 1.Sam. 13 : 13. 22 : 18. seq. 1. Chron. 27: 25. seq. interim cùm hi Reges & ipsi à Deo constituti fuerint, oraculum consuluerint, nondum planè expirasse Theocratiam; magis id factum sub Salomone, ubi Regnum evaserit hæreditarium; arcâ etiam [ùt videatur] in S. Sanctorum illatâ; quô ostensum, Deum non ampliùs Imperatoris ad instar in bellum egressurum.

Reliquias tamen quasdam usque ad ultima Judaismi tempora permansisse: palatium, lites quasdam secundùm Dei præscriptum decidendi modum. Rationes, ob quas populus regiminis mutationem voluerit, fuisse א gentium reliquarum exemplum, 1. Sam. 8 : 19. 20. ב etiam [ùt videatur] verba Legis Deut. 17 : 14. 15. perperam intellecta; ג pronitatem ad idolatriam animis altè infixam: huic quippe θεοκρατίαν ipsi visam obstare; ד belli molem cervicibus impendentem, quod meliùs cessurum speraverint, si res ad unius arbitrium devolverentur; ה quòd θεοκρατία hæc illi nimis humilis, simplex, splendore destituta videretur.

E mutatione hacce proveniisse 1. quòd Deus iram suam testatus fuerit, 1.Sam. 8 : 7. seq. 12 : 17. 18. 2. servitutem ac oppressionem, juxta prædictionem 1. Sam.

Sam. 8: 11 -- 17. ac Regum orientalium exempla &c. 3. Religionis veræ alterationem, flagitia &c. 4. Regni ruinam, sciſſiones, captivitates &c.
Cæterùm ad hæcce illuſtranda facit erudita HERM. CONRINGII *de republ. Ebræorum exercit.* quæ extat in *faſcic. ſecundo Opuſc. quæ ad Hiſtor. & Philolog.* S. &c. No. 4.

Addimus nonniſi, quòd ex hacce Theocratia jam pateat, in gente Iſraëlitica Eccleſiam ac ſtatum ſeu rempublicam ita ſibi invicem fuiſſe implexa, ut Eccleſia ipſa ſtatum referret &c.

1405. *Præter Leges illas, tum naturales, ſeu morales, univerſales* (§. 1384.), *& ceremoniales ac forenſes* (§. 1387. 1397.), *quæ poſitivæ, particulares* (§. 1388. 1403.), *nullas alias Deus dedit, quæ intermediæ ſint: nec naturales, nec plenè poſitivæ ſeu particulares, verùm poſitivæ univerſales:* quippe cùm poſitivæ ſint, quæ ab indole gentis alicujus deſumuntur & circumſtantiis (§. 724.), ſi univerſales debent eſſe, naturâ rerum univerſarum niti debent, nobis quidem incognitâ, at à Deo revelatâ; verùm id æquè facit legem naturæ [etſi nobis cognita non ſit]: cùm nitatur naturâ rerum in genere, nobis aliundè cognoſcendâ. *Num inter illas etiam fuerint Divina poſitiva univerſales.*

Probatur verò idem & per inductionem: quippe inter Leges illas, ſi quæ poſſent ac deberent pertinere, eſſet 1. ea de ſeptimo die Cultui Dei publico deſtinando: cùm creatione, naturam rerum univerſarum comprehendente, nitatur, Ex. 31: 15. -- 17. vid. & (§. 531.); 2. de pœna homicidii capitali Gen. 9: 6. 3. de gradibus conſanguinitatis prohibitis, Lev. 18: 6. --- 18. Polygamiæ inter-

dictum Mal. 2: 15. 5. lex de divorrio, Matth. 19: 6. seq. 6. imperium mariti in uxorem Gen. 3: 16. At ad sanctificationem septimi præcisè diei seu Saturni per Cultum ei alligatum quod attinet, est lex positiva particularis; quòd verò aliquis saltem è numero septenario dies peculiariter cultui Dei sit impendendus, esset juris positivi universalis.

Reliqua ex jure naturæ satis adstrui possunt: sic homicidium morte puniendum à Magistratibus, quià horum est publicas avertere noxas, quod cùm non semper æquè commodè carceribus fieri possit, pœnis capitalibus efficiendum: cùm & cives harum gnari in eas consentiant, nec vitæ nobilitas impediat, quum par pari rependatur; gradus consanguinitatis lex naturæ prohibet, quià reverentiæ obstant, quæ parentibus, procreantibus, eorum fratribus, sororibus &c. debetur, pudori quoque; item quià amores illiciti inter cohabitantes fratres & sorores aliàs orituri ita coërceantur necesse est; polygamiam esse illicitam ipsa clarè agnoscit Ratio (*Pol.* §. 42.), sic & divortium (ib. §. 44.); uti è contrà imperium mariti in uxorem in Natura fundatur (ib. §. 58. seq.).

Aliquid de Legibus positivis universalibus jam supra (sch. §. 725. & sch. §. 726.) prælibatum, hic autem uberiùs paulò de iis dicendum, utpote locò convenienti, ubi de Legibus à Deo latis. Non fecimus verò mentionem alius adhùc Legis [eam juxta reliquas ponendo] & quæ itidem à quibusdam inter positivas universales refertur, scil. arboris illius in Paradiso interdictæ (§. 726.): cùm hujus loci non sit tangere, quæ Statûs innocentiæ fuerunt; præterea interdictum id fuerit personale, etsi transgressio ejus omnibus

omnibus fuerit imputata (§. 805. seq.): uti v. g. si ex pacto duarum gentium bellô certantium seligantur utrinque bini, qui certent eâ Lege, ut, qui alterum vicerit, gens ejus ipsa vicisse censeatur; lex ipsa neutiquàm omnibus injungitur militibus, interim frustratio omnibus & toti populo imputatur; uti simile id affert CANZIUS *us. to.* 1. *Cap.* 11. §. 22. qui idem V. D. materiam de Legibus dictis discutit ib. §. 20--27. & magis adhuc specialiter quoad quodvis legum memoratarum exemplum *Jurispr. Theol. Sect.* 4. *Cap.* 5. §. 973. seu p. 745. --- 777. ac tandem, additis quibusdam observationibus circa motiva, *Discipl. moral.* §. 3458. --- 3486. specialiùs ideò & prolixiùs argumenta; quæ pro & contra quamlibet illarum Legum afferuntur, hîc afferre supersedemus; generalem nonnisi circa eas observationem item alia dein inde petere lubet. Scil. quòd » lex positiva universalis [ita » V. D. *Jurispr. Th.* §. 973. bbbbb.] propriè loquendo sit naturalis: partim quià, si natura objecti, » circa quod illæ Leges versantur, profundiùs eruatur, » recta Ratio eas præscribit ----- partim quià natura objecti rectæ Rationi quidem incognita est; » cùm primùm autem revelatur, à recta Ratione etiam » sibi relicta illæ Leges, naturâ hactenus incognitâ » nixæ, jam agnoscuntur. Hùc pertinet lex de » die ex septenario numero celebranda, quam Natura » Rationi sibi relictæ incognita poscit, id est, quies » Dei septimô die facta; quæ sine dubio determinatam rationem in ipso creando objecto habuit. » Hùc pertinet imperium mariti in uxorem, quià Maritus primò creatus 1. Tim. 2: 12. 13. quæ res in » objecto rationem habuit, sed Rationi relictæ incognito. » Monemus porro ex eodem V. D., quòd inter præcepta Juris positivi universalis [præter exempla nobis commemorata & ab ipso posita *Jurispr. Th. & Discipl. moral.* loc. cit.] à quibusdam referatur illa motuum peccandi, qui Voluntatis approbationem præcedunt, vitiositas: utpote Rationi incognita, nec nisi è Scriptura noscenda, Rom. 7: 7. vid. *Us. Philos. &c.* l. cit. §. 26. & Not. ubi benè monet circa Motus hosce [qui & commemorati] (sch. 1. §. 818.) distingui debere inter jus naturæ ipsum, quod perfectissimum [quippe sanctitatis divinæ complexus]

&

& inter applicationem ejus ad has illasve actiones, quæ aliquando deficiat ob ignorantiam quorundam Factorum, quale Factum hìc historia Lapsûs protoplastorum; simili dein rem scitè illustrat.

Non prætereundum autem ex eodem V. D. *Discipl. moral.* §. 3481. seq. egregium monitum: scil. Legem Divinam positivam universalem æstimari non solùm è præceptis, quorum ratio habeatur in Natura universali [interim sine revelatione non cognoscenda] verùm & e motivis ex eadem Natura universali petitis; hinc motiva, quæ non nitantur Naturâ universali, sed particulari solùm: quâtenus redemta est per Christum, non tam jus positivum universale fundare, quàm legem Evangelii luce collustratam; sic imperium Mariti in uxorem licèt è sana Ratione noscatur, interim corroboretur à Revelatione motivô: quòd Vir prior fuerit creatus; ob motivum hoc seu fundamentum [nixum licet causâ universali, at Rationi incognitâ, adeòque positivâ] legem ei innitentem *fundamentaliter positivam* dicendam esse, si non *formaliter*. Christianis verò quià aliud adhuc in S. Cod. indicetur fundamentum, subjectio nempe Ecclesiæ Christo Eph. 5: 24. adeòque aliquid, quod nonnisi Naturam redemtam respicit [nec verò Naturam in genere seu universalem] ideò respectum huncce à redemtione petitum facere tantùm legem *Evangelii luce collustratam*; adeòque nequidem fundamentaliter positivam, minùs formaliter.

Etiam notat V. D. *Jurispr. Th.* §. 973. cccc. uti statûs diversitas & objecti vel cognitio vel ignorantia applicationem juris naturæ mirè variet, ita si legibus illis positivis universalibus [quæ verò in se naturales] nova motiva ex Evangelio accesserint, tùm fieri *Divinas Christianas universales*; de quibus verò hactenus parùm actum.

Nomen hujus Ecclesiæ ætatis.

1406. Invallum hocce seu ætas Ecclesiæ secunda (1378.), quâ Deus Israëli præter Leges morales etiam ceremoniales ac forenses expressè præscripsit (§. 1384. 1387. 1397.), ei dederat terram promissam inhabitandam, in hac ùt ejus Regem se

se exhibuit (§.1404.), Messiam promissum (§. 1379.) sub ceremoniis præfiguravit (§. 1390.), dicitur *Oeconomia legalis*, aut *sub Lege*, item præcipuè *Vetus Testamentum*, aut *sub Veteri Testamento*.

Dicitur Oeconomia ob rationes, de quibus (§. 1377.), licèt Dominus familiæ domesticos vel Liberos durè paululum ac instar servorum tractaverit Jer. 31 : 32. coll. Heb. 8 : 9. [ubi mallem SCHOETGENII expositionem quàm SURENHUSII: ille enim è POCKOKIO memorat, בעל habere etiam significatum *fastidiendi*, ac citat KIMCHIUM idem tenentem, ubi verbum id cum ב construatur; hic verò juxta Veterum Rabbinorum modum explicare voluit, ubi dicunt לא תקרא כך אלא כך *ne legas sic verùm ita*] Gal. 4 : 3. ob impositum Legis cerem. jugum, Act. 15 : 10. execrationem ferentis, Israëlitas ùt impuros pronuntiantis, ùt indignos, qui ad Deum accedant (sch. §. 1386. No. 3.); licèt & dici possit, plurimis non fuisse jugum: libenter portasse, dùm tantopere Cultum cerem. ac splendorem externum deamarunt, oculos eorum perstringentem, animosque fascinantem quasi, ut eum deserere vix ac ne vix quidem voluerint, etiam ubi Liberator advenerat, Rom. 14 : 5. Gal. 4 : 9. 10. & quem per se Deo placere sibi falsò persuadebant, Es. 1 : 11. seq.

Oeconomia dici potest etiam ideò, quià uti Paterfamiliâs Liberos hæredes facit, ita & Deus Israëlitas: dum non solùm hæredes Testamenti æterni (§. 458.) per hanc Oeconomiam declarati sunt, & hæreditatis sanctis legatæ (§. 435. seq.) participes facti ii, qui in futurum per ceremonias præfiguratum Messiam credebant, sed aliûs adhùc jam priùs hæreditatis, temporalis, regionis fertilissimæ, Deut. 8 : 7. seq. vid. (sch. 2. §. 1378.); quæ simul illis erat pignus hæreditatis cœlestis Heb. 4 : 3. 8. ab ipsa Lege addictæ, Lev. 18 : 5. & de qua admonebat gratiosa Dei in adyto inhabitatio (שכינה), quam suò tempore sequi ac implere debebat

debebat ipsius Dei Filii inter eos habitatio in illa terra, carne constanti assumtâ Joh. 1 : 14. quæ terra ideò regio *Immanuel* dicta Es. 8 : 8. Licèt verò MOSES de illa felicitatis cœlestis per terram Chanaan adumbratione ferè taceat, tamen nil in contrarium præsumi potest : siquidem historicè agit (sch. §. 180.) ; vid. autem de præfiguratione per terram Chanaan BIERMANN Mos. u. Christ. *Lib.* 2. *Cap.* 8. p. m. 459 --- 461. idem de eadem cœlestis hæreditatis repræsentatione per montem Dei, tabernaculum, domum Dei, fruitionem bonorum domûs hujus, urbem Hierosolymorum Cl. RÜCHAT *exercit. 5. de fide Sanctorum V. T. &c.* §. 30 -- 42.

Dicitur autem & id Testamentum *Vetus*, quia tandem antiquandum fuit, ac in locum ejus aliud succedere debuit, Hebr. 8 : 13.

Relatio Veteris Testamenti ad æternum.

1407. *Testamentum* autem *id medium fuit exequendo Testamento æterno* (§. 460.) : Testamenti enim æterni promissa sunt Salus æterna ac media ad illam, seu fides & sanctitas (§. 435.); dum jam Israëlitæ obtinuerunt terram promissam à Deo, in qua Liberator comparere ac versari debebat, hicque illis sub involucris simul & per doctrinas monstrabatur (§. 1379. 1390. 1394.), erat id medium, quô ad fidem in eum perduci poterant : dum & simùl ceremonialia Instituta emendationem internam ingerebant, vid. (§. 1388.), Deusque præterea ad eam promovendam Leges dederat sanctissimas (§. 1384.) ; mediante igitur V. T. dum ad fidem sanctitatemque perducebantur, eô ipsô Testamentum æternum executioni dabatur.

Sch. 1. Testamentum æternum executioni datur respectu hominis hujus aut illius, quando media ad id, quod continet, seu hæreditatem æternam legatam per conditiones

ditiones (§. 436.), id est auxilia gratiæ tàm interna quàm externa applicantur (§. 446. & sch. ib. §. 447. & sch. ib. §. 1021. 1035. & sch. 2.), jam verò per Oeconomiam V. T. Israëlitis hæcce applicata fuêre: vid. (sch. 1. §. 1379. §. 1398. §. 1399. & sch. 1. ib. §. 1404. & sch.), ùt & in seq. videbitur. Medium tale ad salutem perducendi erat quoque Sabbathum: fuit enim signum ac medium, quod & quô Deus vellet populum suum sanctificare ac sanctum esse Exod. 31: 13. Ez. 20: 12. cultui Divino solùm [omni terrestri negotiô omissô] interno non minùs quàm externo vacando, adeòque sanctis occupationibus; inde ipsam quoque vitæ futuræ requiem adumbrabat, Heb. 4: 4 -- 6. 8. -- 11. uti & Vetères Rabbini tenebat, quod notat Cl. SHOETGENIUS *hor. to.* 1. p. 942 -- 944.

Sch. 2. Ex hoc (§.) & facilè ac satis respondèri potest ad ea, quæ HUBERUS *exerc. Jurid. --- Theol.* 3. §. 14. 15. pro unitate Testamenti [quam & propugnat *exerc.* 2. §. 12. 13.] seu ubi non vult Testamenta multiplicari; vanus est hic metus, ac inanes nectuntur difficultates: non enim multiplicantur, ubi dicitur, omnia esse nonnisi diversa executionis Testamenti æterni momenta; seu id, quod omnia in se comprehendit, ita per partes in tempore evolutum ac executioni datum esse; ut neutiquam statuatur Novum vel aliud præter æternum Testamentum. Hinc & sive quis terram Chanaan fidelibus V. T. datam pro Codicillo habeat [seu appendice Testamenti, nonnisi eos sub priori Oeconomia spectante] sive tantùm pro hypotheca promissionum Abrahamo factarum & accessione τῆς προκυρώσεως διαθήκης αἰωνίᾳ (sch. §. 1366.), uti HUBERUS *exerc.* 3. §. 6. res juxta dicta eòdem redibit: cùm & particularia pro quavis Oeconomia omnia æternô illiô Testamento fuerint comprehensa: per (§. 446. & sch. ib. coll. §. 460.).

1408. *Testamentum id Vetus* tamen *simùl habuit formam fœderis*: namque fœdus locum habet, ubi Pars una ab altera quid postulat, eique vicissim pro postulato *Forma ejus æterna.*

lato præstando quid promittit: per (§. 739. 740.), altera pars autem susscipit præstare, quod prior postulavit, & dein jus obtinet promissum petendi (§. 743.); jam in Testamento hocce particulari Deus postulavit quid ab Israële: servationem scil. Legis moralis (§. 1385.) [circumscriptæ per forensem] (§. 1398.) ac & ceremonialis (§. 1386. seq.), & vicissim promisit, quòd in terra hacce, quam dederat, velit ipsos felicitate terrestri cumulare; Israëlitæ postulatum servare susceperunt, Ex. 19: 8. 24: 3. 7. ut bonum promissum reportarent. Expresse ideò & dicitur Deut. 5: 2. quòd Deus fœdus pepigerit ad Horebum, & 10. Præcepta appellantur verba fœderis 4: 13. dicitur item, Deum Israëlitas jurare feciisse, quòd velint esse populus Ipsius, & hos vicissim Deum eò perduxisse, ut promitteret, Se velle esse Deum illorum, Deut. 26: 17. 18.

Sch. 1. Fœdus id quoniam per Mosen vel eò mediante Israëlitis annuntiatum ac oblatum fuit à Deo, ideò hic dicitur μεσίτης Gal. 3: 19. ubi eruditiss. SCHOETGENIUS notat. Mosen Veteribus Hebræorum Doctoribus venire titulis talibus, qui μεσίτου appellationem exprimant, uti סרסור, item שליח *nuncius*, sequioribus porro temporibus in usu fuisse terminum scholasticum אמצעי.

Sch. 2. Sub involucris rerum ac promissionum temporalium promittebantur in hocce fœdere spiritualia ac cœlestia; Deus promiserat in particulari hocce Testamento, Se velle esse Deum Israëlis, non solùm dando ût Deum veracitatis (יהוה aut quasi יְהֹוָה Exod. 6: 3. sch. 1. §. 217. de quo nomine ac terminatione ejus &c. criticè atque philologicè eruditiss. BERNARDUS ad *Joseph. Lib. 3. Antiq. Cap. 7. p. 152. 153.* item & *Hist.*

Hist. univers. to. 2. p. 205. — 209. Not. prolix. ubi de quæstionibus circa Nomen id moveri solitis] terram promissam, sed etiam, quòd velit esse Deus in Liberatore. Imò & sub ipsa illa promissione, quòd velit esse Deus ipsorum [Israëlitarum] dando terram hæreditatis, latitabat spiritualis de Messia, seu quòd in & per Messiam velit ipsis esse Deus; qualis & fiebat per ea, de quibus (§. præced. & sch. 1.).

Sch. 3. Modus autem, quô fœdus id erectum, seu ceremoniæ, mediantibus quibus id factum, memorantur ac describuntur Ex. Cap. cit. scil. 24: 4.--8. coll. Heb. 9: 18. --- 21. ubi [ut de ritibus in fœderibus pangendis adhiberi solitis nil dicamus] difficultates, quæ circa conciliationem horum locorum observantur, tangere, & quomodo tollendæ, non inutile nec extra rhombum erit, idque ad ductum Cl. SURENHUSII in celebri suo βιβλω καταλλαγ. ad Heb. 9: 19. 20. seu p. 630. --- 635. ubi notat, κατὰ νομον idem esse ac כמשפש *secundum ritum*, כדת juxta præscriptum &c. ut differat à κατὰ τὸν νόμον, quod intenderet Legem Mosis ipsam; aliàs verba ea haberi Ex. 24: 3. 7.

Veteres scil. Hebræorum Theologos solitos esse verba quædam è diversis contrahere locis in unum, compendii gratiâ: ut V. D. ostenderat *Lib.* 2. *de mod. alleg. &c. thes.* 7. Porro quia initiatio ea ad totum populum spectabat, ideò PAULUM dixisse: παντὶ τῷ λαῷ, etsi tantùm 70. Seniores populum repræsentantes conspersi fuerint: כל quippe primariam tantùm speciem sæpè notare; quo de & prius *de mod. alleg. thes.* 21. quod scil. non semper in genere & de universo, verùm sæpè de potissima parte [etiam juxta Hebræorum Doctores] intelligenda sit illa particula, ac inspici vult 1. Chron. 10: 6. coll. 9: 40. item 1. Sam. 31: 6. 2. Sam. 2: 8. Quamvis & Ex. 24: non fiat mentio hyssopi, lanæ coccineæ &c. tamen non repugnare: eò quòd Apostolus ad plura simùl respexerit loca, eaque exhibuerit &c. Quòd etiam v. 5. juvencorum tantùm fiat mentio, Heb. 9: 19. verò vitulorum hircorumque, nec id contrariari: cùm hirci æque in sacrificia holocaustica voluntaria sumi potuerint, ubi vituli vel oves non essent ad manum, Lev. 1: 10.

Sic ulteriùs etsi MOSES non memoret aquam ùt PAULUS, ac sacrificia pacifica & holocausta eam non ferant [ut aqua cum sanguine commisceatur] tamen in aliis sacrificiis illam adhibitam fuisse, purificatione lepræ, Lev. 14: 5. seq. cineribus vaccæ rufæ, Num. 19: 7. seq. ad illam autem priorem PAULUM respexisse, censeri benè posse, ut contraxerit in unum loca Ex. 24: & Lev. 14: Nimirum etsi purificatio à lepra & initiatio in fœdus differant, tamen censeri posse, Mosen post illam initiationem seu lectionem Legis &c. miseris ac ægrotis in populo [pro more Regis benefici] simùl succurrisse; eôdem Apostolum ostendere potuisse, omnia ferè impura sanguine esse purificata, v. 22. ùt & Talmudici fatentur &c.

PAULUM adeò supplere, quæ à MOSE omissa, ùt sæpè Scriptores S. soleant, & V. D. ostenderat *Lib.* 4. [seu *de genealogiis*] *thes.* 27. Verba verò Apostoli: λαβὼν ---- αὐτό τε τὸ βιβλίον non sibi velle, ac si Moses librum Legis sanguine conspersérit: quippe qui ab initio Sacer fuerit; sed Hebræos veteres aliquando solitos esse verba transponere, juxta *Libr.* 3. *de mod. interpret. &c. th.* 9. Verba tandem v. 20. desumta esse ex Ex. 24: 8. Apostolò scil. pro more veterum Theologorum non plura allegante, quàm ad scopum requiruntur; pro ברת ברית Apostolum dicere: ἐνετείλατο; quià stylum voluerit retinere: cùm in anteced. v. 19. de ἐντολῇ dixerit; ritus fœderis præterea Hebræis jam per se fuisse cognitos, ut phrasin ברת adhibere non habuerit opùs.

Relatio ejus ad fœdus gratiæ.

1409. *Hocce* tamen *fœdus simùl inserviebat fœderi gratiæ, & fœdus gratiæ sub V. T. locum habebat:* illud patet, quia fœdus cum Israëlitis erat Testamentum Vetus (§. 1408.), jam verò quia Testamentum id erat medium exequendi Testamentum æternum (§. 1307.), & hocce in executione est fœdus (§. 997.), oportet etiam fœdus cum Israëlitis inservierit fœderi gratiæ, consequenter & id sub V. T. locum habuerit; quod porro probatur,

tur, quia jam sub promissione locum habuit: vid. (§. 1366.), posteà autem per doctrinæ amplificationem de Messia (§. 1379.) adhùc confirmatum sit oportet: quippe & promissum Abrahamo factum de semine liberante (§. 1363.) neutiquàm potuit per insecutam legem infringi Gal. 3: 17. vi Veracitatis Divinæ (§. 305.), ob quam debuit continuari usque ad implementum; quin lex moralis ac cerèmonialis manuducebant ad semen liberans (§. 1395.), ubi verò semen liberans, ibi fœdus gratiæ, per (§. 998. coll. 1370.).

Sch. 1. Per Leges morales & ceremoniales &c. nullâtenus suspendebatur aut suffocabatur fœdus gratiæ; tantùm certus modus ac Status fœderis inde exurgebat: dùm, etsi Leges morales semper per fœdus id præsupponantur, per (§. 993. coll. sch. 2. §. 1092. 1141. coll. 1152. & §. 1173.), tamen modus illas injungendi & per forenses muniendi (§. 1396. 1398.) ad mutabilia pertinebat, uti & lex cerem. (§. 1392.); fixa interim seu τὰ constantia fœderis semper remanebant; jam verò id constituit Statum entis, ubi cum fixis mutabilia simùl sustinet (per defin. ontol.).

Non adeò sentimus cum Cl. AMYRALDO, qui è fœdere cum Israëlitis sancito peculiare constituebat, *legale* dictum; hinc triplex Dei cum homine fœdus faciebat [saltem ita sententiam suam proponens *Syntagm. thes. Acad. Salmur. &c.* P. I. p. 212. -- 231. ubi habentur *theses theol. de tribus fœder. Præside* D. MOSE AMYRALDÒ; vid. ibi vel solùm §. 2.] *naturale*, id est, fœdus operum (§. 749.), *legale*, & *evangelicum*; quod nobis erat fœdus gratiæ (§. 989.); uti legale nobis non est nisi certa fœderis gratiæ per Leges Dei in V. T. modificatio, dispensatio, Oeconomia.

Sententia hæcce de triplici fœdere ideò & obelò transfigitur in *Formula consens. Helvet.* §. 25.

Notamus autem hîc ad ductum TURRETINI *Theol. elencht. Loc.* 12. Q. 12. [ubi discutit, num fœdus Sinaiticum fuerit peculiare ac distinctum] quòd non pos-

sint esse plura fœdera, quàm sint modi ac viæ consequendæ salutis: fœderum institutione quippe eò tendente; jam verò via ad salutem non potest esse nisi vel per Opera propria vel per Sponsoris obedientiam imputatam (§. 729. 1134.); alia mox in seq. addentur.

Sch. 2. Qui ergo obedientiam perfectam Legi morali adeòque postulata fœderis præstare promisêre, ij nequidem intellexêre naturam hujus fœderis: cùm post Lapsum ejusmodi locum non inveniat (§. 794. 796.).

Uti nec ij fœdus intellexerunt, qui obedientiam, qualis per Dei gratiam possibilis est (sch. 2. §. 1183.), aut promiserunt propriis viribus præstandam, aut sine quòd imperfectio propriæ obedientiæ resarcienda esset Liberatoris perfectâ sanctitate (§. 1182.): viribus hinc & propriis confisi sunt in adstipulatione fœderi.

Deus ideò Deus eorum factus erat, nonnisi quòd dederit terram promissam, adeòque quoad Promissum fœderis temporale; terrâ propterea illis erat solùm nudum signum, emblema cœlestium (sch. 3. §. 172.).

E contrà ijs, qui fœderi adstipulando, per gratiam Dei promiserunt obedientiam, qualis præstari potest, & resarciendam perfectâ Liberatoris, Deus factus erat Deus ipsorum sensu excellentiori, terraque deveniebat sigillum, pignus hæreditatis cœlestis &c. conf. & (§. 1239.).

Fœdus sub hac ætate tendebat ad firmanda & præstanda promissa Abrahamo &c. facta.

1410. Perspicitur è dictis, *fœdus cum Israëlitis seu Sinaiticum initum fuisse ad confirmationem prioris cum Patriarchis initi* [quo de] (§. 1366.); quod probatur 1. quià Deut. 7: 12. MOSES populo pollicetur, si Leges præscriptas servet, tùnc & Deum bonitatem Patribus juratam servaturum; & 29: 12. 13. dicit, populum fœdus inire cum Deo, ut sit Deus illius, sicuti Patribus juraverit; 2. quoniam utrumque fœdus eàdem nitebatur doctrinâ salutis: vid. (§. 1363. 1379.), quâ Liberator promittebatur in terra, quæ dein

dein actu dabatur (§. 1378.); & in posteriori Oeconomia seu sub fœdere cum Israëlitis doctrina illa nonnisi confirmabatur ac amplificabatur (ib. §. 1379.).

Id & ex iis, quæ in seq. de bonis fœderis gratiæ ac circumcisione dicentur, ampliùs adhuc patebit, scil. quòd fœdus in Sinai initum fuerit confirmatio patriarchalis.

Idque quoad duplex bonum, quod continebat.

1411. *Quoad spirituale* igitur *innixum fuit fœdere cum Patriarchis, quoad temporale* verò *Sinaiticum erat complementum patriarchalis:* quod & probatur, dum eadem à Patriarchis officia immutabilia implicitè postulabantur, quæ ab Israëlitis: vid. (§. 1365. 1383.), & per eundem Messiam promissum fœdus cum Israëlitis erigebatur; etiam, quæ post Israëli in Messia promissa ac ceremoniis involuta, clarè innitebantur Ortu ejus ex Abrahamo. Porro dum terra promissa actu dabatur, implebatur, quod Patriarchis promissum, bonum temporale, Deut. 8: 7. -- 9. conf. dicta (§. 1363. 1379.).

Sic ergo porrò patet; per Sinaiticum illud cum Patriarchis confirmatum esse; consequenter &, quod (sch. §. 1409.) stabilitum ivimus, ulteriùs adstruitur, nimirum Sinaiticum non fuisse specie diversum à Patriarchali. Uti jam fœdus cum Abrahamo erat vel spirituale vel temporale (sch. §. 1366.), sic & oracula Prophetarum duplicis sunt generis, ac se referunt vel ad fœdus temporale ictum cum Abrahamo vel ad spirituale, ut benè monet SCHERLOCK *usag. & fins des Prophet. &c.* p. 146. -- 158. sicut & quod quoad spirituale [id est, Ortum Liberatoris] Tribui Judæ ac familiæ Davidis fuerit adstrictum, p. 166. -- 168.

Per fœdus id quodnam Israëli obtigerit bonum.

1412. Porro perspicitur, *per fœdus cum Israële Deum factum esse Deum ipsius:* id probatur 1. ex Deut. 29: 12. 13. ubi MOSE ad animum revocat populo, quòd fœdus cum Deo ineat, ut sit Deus ipsius &c. 2. quia Deum alicujus esse non potest aliud notare, nisi Divinas perfectiones ad alterius beatitudinem seu salutem, felicitatem, impendere: cùm per exercitium Divinarum perfectionum tale, quô Status hominis vel præsens [hicque tam spiritualis quàm corporalis] vel futurus post hanc vitam perficitur, Deus fiat ejus Bonum [quod respicitur phrasi: Deum alicujus esse] summum (§. 334.); jam verò per fœdus illud Deus tali modò perfectiones suas impendebat, per dicta (§. 1407. seq.).

Id benè & monet Cl. SCHOETGENIUS *hor. to.* 1. ad Matth. 22: 32. Deum scil. alicujus esse notare in fœdere cum Eo versari; & in V. T. Deum solùm Israëlis fuisse Deum, quia cum solum in fœdus secum tum adhuc adsciverit, Rom. 3: 29.

Quorundam de bonis fœderis participatio.

1413. *Beneficia fœderis gratiæ pii sub hacce Oeconomia obtigerunt:* quippe 1. Scriptura docet, fuisse vocatos tam externè quàm internè, Deut. 4: 36. 5: 24. Ps. 147: 19. 20. Jer. 31: 18. 19. 33. Hagg. 2: 5. concepisse fidem Ps. 116: 10. Es. 9: 6. 53: 5. 11. Hab. 2: 4. Heb. 11: 29. seq. obtinuisse tum peccatorum condonationem, Es. 55: 7. Dan. 9: 9. Mich. 7: 18. 19. tùm Liberatoris justitiam Es. 38: 14. Jer. 23: 6. 33: 16. consecutos esse adoptionem: dum Deus se vocat Patrem Es. 63: 16. Mal. 1: 6. 2: 10.

10. amore paternô populum suum amans, Hos. 11:4. & hunc ipsum filium vocans, ib. v. 1. fuisse sanctificatos, 2. Reg. 20: 3. Ez. 20:12. etiam per (§. 1385. 1389. 1396.); vitam æternam cognovisse ac desideravisse, Gen. 49:18. Job. 19:25. -- 27. Ps. 16:11. Dan. 12: 2. 3. Deumque eam illis paravisse, Heb. 11: 16. Jus ad illam ac ipsam possessionem adeptos, 2. Reg. 2:11. Zach. 3:4. 5. 2. Quoad redemtionem, ipsa natura emtionis ac redemtionis, quià in consensu consistit, ostendit, fideles sub prioribus Oeconomiis æquè posse dici redemtos, etsi Liberator pretium actu nondum solvisset: cùm, ubi consensus in emtione datus, jam tùnc quid transeat in dominium emtoris; tantò magis, quòd hîc fuerit consensus personæ Divinæ (§. 454.), voluntate immutabili hinc firmus (§. 300. seq.).

Inde 3. in Vet. Testam. æquè efficaces adhibentur termini locutionesve de peccatorum remissione ac in Novo: vid. Ps. 32: 1. 2. 5. 51: 3. 4. 9. 130: 4. 8. Christusque ante solutionem peccata remisit, Luc. 7:47. & PAULUS ideò Veteribus tribuit justificationem Rom. 4: 3.

Sch. 1. Hæc & jam quodammodo indicata (seh. 2. §. 872.), hic verò ad Oeconomias ipsas applicanda; in seq. etiam paululùm deducenda, ac ab objectionibus vindicanda; suppeditat autem dicta No. 1. & 2. HUBERUS *mantiss. de redemtione*, §. 2. 3. [ubi etiam §. 4. 5. applicat ad fideles sub V. T.] & *exerc.* 6. §. 3.

De remissione peccatorum sub V. T. ac justificatione contra COCCEIUM & sequaces [qui verò durius magis locuti quàm sensisse tenendi sunt] etiam WITSIUS *Oecom. &c. Lib. IV. Cap.* 12. §. 27. -- 35.

Ex laud. modo ICto Cl. *Exerc.* 2. §. 3. hîc commemorare

morare juvat, quòd, etsi Testamenta ad tempus mortis se referant, atque exinde vires capiant, uti è contrà fœdera vires è præsenti habent, ac mox sunt firma, obligatoria, κεκυρωμένα, statim ac fides utrinque data; & verò agendi cum piis hujus æratis ratio sit Testamentum (§. 1407. 1408.); tamen & id ante Testatoris mortem [hinc in præsenti materia ante Mediatoris actualem satisfactionem] (§. 959.) posse in antecessum tribuere bona, ubi sint promissiones acceptatæ [cujusmodi jam fuêre tempore Abrahami] (sc.h 2. §. 1363.) per quas iuter vivos præconfirmetur Testamentum; quod est προκυρῶσθαι (sch. §. 1366.).

Sch. 2. Hìc verò occasione beneficiorum sub V. T. hujus Oeconomiæ prærogativas à PAULO Rom. 9: 4. 5. memoratas tangere suadet materiæ dignitas; inter quas prima, quòd Israëlitæ essent, ac nominarentur à stirpe admodùm celebri, ab ea, non interrupta serie, descendentes; qualem genealogiam, quæ per multa retro Secula certa, nulla gens ostendere poterat; nomen id tantò erat nobilius, quòd stirpi ab ipso Deo, ob victoriam reportatam, fuerit impositum, Gen. 32: 28.

Unde majus quid erat ab eo quàm à nomine *Jacob* denominari, etiam majus, quàm ab Abrahamo, eò quòd ab hoc etiam infideles adhuc descenderint (sch. 2. §. 1367.); cùm è contrà Jacobi omnes & soli posteri ad veram pertinuerint Ecclesiam, constituerint Dei peculium, Deut. 7: 6. Inde secunda prærogativa, ἡ υἱοθεσία: cùm [ùt filii] soli à Deo in fœdus fuerint asciti, amore paterno eos prosequente, beneficiis mactante; inde & primogeniti Dei filii nomen gerentes, Ex. 4: 22. 23. à Deo ipso geniti, Deut. 32: 18. 3. Δόξα, præsentiæ Divinæ manifestatio inter eos (כבוד יהוה) conf. Deut. 4: 7. & (sch. 1. §. 1379.); magnifica miracula in gratiam eorum facta, conf. 2. Sam. 7: 23. gratiosè quippe per ea Deo se præsentem manifestante, conf. & Deut. 31: 6. 8. Quam gratiam & 4. per τὰς διαθήκας, fœdera vel Testamenta, erga eos manifestabat: dùm non solùm æterni gratiæ Testamenti (§. 460.) ac fœderis (§. 989.) participes erant, & quidem soli eô tempore, sed & fœderis particularis (§. 1408.), conf. Deut. 32: 13. 14. Ez. 16: 8. 9.

Quod

Quod fœdus secum ferebat 5. legem (§. 1384.), quæ præcellentissima, Lev. 18: 5. Deut. 4: 8. Prov. 8: 35. 36. ab ipso Deo tradita, modô tremendô &c. vid. & Deut. 4: 32. seq. 33: 2. Sub qua Lege verò PAULUS & reliqua cognitionis Capita intelligit, præcellentia omnia, Deut. 4: 8. τὰ λόγια τῦ Θεῦ, Rom. 3: 2. Israëli soli concredita, Ps. 147: 19. 20.

Secum ferebat item & fœdus illud 6. Cultum (§. 1386.) maximo cum splendore conjunctum, reverentiam ingerentem: vid. (sch. ib.), sapienter præscriptum, decentissimum, ducentem ad Messiam, ad internam animi emendationem, ab aliarum gentium Cultu diversum: vid. (§. 1388.).

Ferebat fœdus quoque 7. promissiones; ubi tùm primaria de semine mulieris (§. 1363.), Christo, Act. 2: 39. 13: 32. tùm quæ aliàs Patribus facta de terra fertilissima Gen. 15: 18. per quas promissiones æternum Dei Testamentum fuerat recusum, ac præconfirmatum: (sch. §. 1366.); ut pateat, quomodo differat à quarta prærogativa. At verò & honori maximo erat 8. pro Majoribus habere Viros immortalis memoriæ, qui antiquitate, dignitate & pietate omnes totô Orbe præibant [πατέρες nimirùm sunt PAULO dicti] quæ enim gens per 2000. retrò annos poterat ostendere, se esse talium Majorum legitimam progeniem? hæc sanè erat nobilitas, cui nulla comparanda! gentes quæ maximè gloriabantur, satæ erant hominibus nullius frugis, uti Romani. Patres illos insecuti & erant alii plurimi, virtutibus, Factis, commerciô cum Deo glorioſissimi &c. Ob illos & hosce Deus quoque se gratiosum populo suo promittebat Es. 41: 8. 51: 1--3. Mich. 7: 20. scil. in & per Messiam, quem & Patres illi ac insecuti fideles expectabant anxiè: vid. Gen. 49: 18. Es. 64: 1. conf. & (§. 1371. ac sch. 1. ib.), scientes, è stirpe sua prodituram (§. 1379.). Quæ 9. maximi honoris erat prærogativa Judæorum, quòd Servator Mundi eorum esset consanguineus; Salus ex ipsis oriretur, Joh. 4: 22. vid., qui hæc suppeditat, Cel. p. m. LAMPIUS Gnaden-Bund *to.* 3. *P.* 2. *Cap.* 29. tot. Interim nihilominùs defectibus quibusdam laborasse hancce Oeconomiam in seq. dicetur.

Sch. 3. Occasione beneficiorum gratiæ sub Veteri fœdere, quæ involvunt doctrinæ cognitionem, commodè huc inseruntur, quæ pertinent ad ea, quæ supra (sch. 1. §. 1380. sch. 1. 2. §. 1381.) dicta: scil. qualia porro doctrinæ Capita apud sequiores Auctores [veteres Rabbinos] ut reliquiæ deprehendantur, quomodo servata fuerint. Nimirùm Capita ea deprehenduntur servata apud Doctores illos etiam abstrusò quôdam modô [nec solùm illô apertô (loc. modò cit.) ubi dogmata clarè satis eloquuntur] scil. in Cabbala ipsorûm, qua de laud. ibi Vir Cel, antiquorum Rabbinorum res & Scripta diligentissimè pervestigans, C. SCHOETGENIUS *hor. to.* 2. *Lib.* 1. *Cap.* 4. quam veram & genuinam sollicitè etiam discernit à falsa [Gematria & Notarikon &c. ubi ex numeris, quos literæ efficiunt, aut ex literis initialibus lubricè ac ridicule interpretationes deducunt ac exsculpunt Judæi] illa scil. » Cabbala systematica est [ita loquitur V. D. p. » 48. 49.] quæ doctrinam de Messia ex variis occul- » tis rebus exquirit, deque ejus persona, muneribus, » operibus & Ecclesia, paulò quidem obscuriùs pro » imperitis, ex veritate tamen loquitur, nec non alios » fidei articulos - - - - acroamaticè proponit. » Res illæ abstrusæ, sub quibus velut involucris do- » ctrinam de Messia proponunt, sunt 1. arbor Cabba- » listica; 2. Opus currûs; Opus creationis; 4. » descriptio senis, sive antiqui dierum. Funda- » mentum harum meditationum semper è Scripturis S. » est petitum, cum hac tamen differentia, ut quæ- » dam aliquando clariùs, quædam paulò obscuriùs ex » iisdem exsculpantur. » Agit dein Vir Cl. ex instituto ac prolixè de arbore Cabbalistica seu Sephiroth., *diss.* ad *Lib.* 2. p. 267. --- 314. ubi *Sect.* priori p. 267. - - - 293. loca è libro *Sohar.* affert; *Sect.* autem posteriori p. 294. - - - 304. loca illa Soharica disponit, ut inde propositiones suas eliciat, seu probet, quod sibi probare sumit; dein à pag. 303. -- 314. VITRINGI [ex *Observ.* ipsius] verba hæc illustrantia apponit, quibus Vir hicce Cel. Sephiroth. egregiè confert cum præeminentiis Divinis, quas V. & præcipuè N. T. Servatori tribuunt; ex. gr. 1. Chron. 29: 11. Eph. 1: 8. 20. 21. Apoc. 5: 12. 13. 19: 16. Lubet autem quædam Cl. SCHOET-

GENII

GENII de hisce verba apponere è *Lib.* 1. *Cap.* 4. p. 49. ubi ita » si igitur Sephiroth rectè vertere velis, die » esse prærogativas, præcellentias, perfectiones, at» tributa Divina. Eas Sephiroth in V. & N. T. » occurrere ostensum est *to.* 1. hujus op. ad Matth. 6: » 13. adeòque necesse non erat, ut quidam ex Theo» logis nostratibus rei Christianæ multum timerent, si » quis diceret, illas Sephiroth in Oratione Dominica » & Apocalypsi Johan. inveniri: si enim celebratio per» fectionum Divinarum ibidem invenitur, quod nemo » negaverit, etiam Sephiroth ibidem habes, quod eo» dem recidit. » Interim Vir Cel. judiciosè discernens, ubi Judæi nimis longè progrediuntur, etiam cautelam suppeditat p. 52. §. 40. ipsos nimirum in exegesi sephirotica, ubi initium alicujus meditationis benè processerit, dein reliqua quoque invitâ sæpè Minervâ eò trahere, unde omnia pensitanda esse.

Ad Opus currûs (מעשה מרכבה) alterum principalem veræ Cabbalæ articulum quod attinet, de eo itidem Vir Cl. peculiari *diss.* p. 315. -- 318. ubi *Sect.* priori p. 315. -- 349. loca è Cabbalistis depromta exhibet; *Sect.* poster. autem p. 350. -- 358. loca adducta disponit ad scopum; è quibus quædam expressè dicant, totum Opus currûs de Messia agere; quædam idem de Messiæ synonimis ac regno ejus asserant; quædam talia Scripturæ loca contineant, quæ Judæi nonnisi de Messia explicant, in opere currûs autem occurrunt; p. 356. -- 358. paralleliſmum operis currûs ostendit cum doctrina N. T. & locis hujus compluribus, non solùm realem sed & verbalem; v. g. Matth. 23: 37. Joh. 1: 51. 14: 9. 30. Rom. 9: 30. 16: 25. Eph. 5: 2. Heb. 1: 3. Ap. 3: 7. 4: 6. Non possumus autem nos cohibere, quin [ad meliorem elucidationem] quoad quædam ipsi Viri eruditissimi verba, lectori non ingrata, adscribamus; p. 315. ita: » Vulgatum satis est apud Judæos antiquos pariter & » recentiores מעשה מרכבה sive *Opus Currûs*, quod » nihil aliud est nisi explicatio mystica Visionis, quam » Deus Ezechieli Prophetæ ostendit; Judæi antiquio» res Cabbalistæ multa de eodem proferunt, sed quia » obscuritate *partim* laborant, non sufficientem ope-

» ram

»ram impendentes, ut, quæ ipsi animô conceperant, »aliis ita proponerent, ut ab iisdem plenè intelligerentur, *partim* verò lectores ad rem non satis attenderunt, præcipuè verò antiquorum & recentiorum placita commiscent, hinc parùm adhùc cognitum est, »quid sibi velit hoc ipsum *Opus currûs*.

»Ego, qui ex sedula pervestigatione antiquorum »hoc scio, Cabbalam tantùm non omnem propterea »inventam esse, ut in eadem doctrinam de Messia »quibusdam velùt involucris absconderent ----- hic »quoque Messiam illiusque tempora, Oeconomiam »& Ecclesiam intelligi statuo &c. Item p. 358. ad »Apoc. 4: 6. *quatuor animantia;* adsunt »in opere currûs, n. 14. 18. &c. & hùc conferenda »est diss. JAC. RHENFERDII *de stylo Apocalyps. »Cabbalist.*, quæ, si rem ipsam spectes, optimè est »conscripta; in hoc verò laborat, quòd exempla »non ex ipso libro *Sohar*, hoc est fontibus, sed tantùm ex recentioribus, qui rivuli non sunt satis puri, »depromsit. Tandem subjungit V. D. »ib. sub finem hoc moneo, ex mente priscorum Judeorum per Opus currûs aliud nihil intelligi quàm »Ecclesiam N. T., ejusque Majestatem ac splendorem, quemadmodum in Apocalypsi Johannea reperitur; ille verò splendor ac Majestas Ecclesiæ non »aliunde quàm à Rege ipsius Messia derivanda sunt; »----- quæ ad Ecclesiam pertinent, tùm demum ex »locis Soharicis deducentur, quum *to. 3. hor.* in System. »Theologiæ Judaicæ antiquæ ad articulum de Ecclesia »perventum erit. Omittimus alia, jam quoad hæcce satis prolixi.

Qualisnam Christus pro piis V. T. fuerit Sponsor.

1414. Cùm etiam, qui pro alio solvere ita plenè ac planè promittit, ut debitor obligatione omni exsolvatur, sit ac dicatur in materia juris *expromissor*; Christum verò ita plenè solvere priùs promisisse oporteat [consequenter & pro omnibus fidelibus cujuscunque temporis eôdem modô] quoniam dein suô tempore actu tali modô solvit (§. 949. 951. 959.),

959.), consensus jam ad redemtionem sufficiat (per §. 1413. N. 2.), hinc per eum jam alter obligatione ad solutionem propriam exsolvatur, sequitur *Christum respectu fidelium præcedentium ætatum fuisse expromissorem*, quippe & fructus talis solutionis debitorum scil. remissio ijs obtigit, Scripturâ docente locis (§. depend. No. 3. cit.).

Definitio expromissoris equidem jam superiùs (sch. 2. §. 861.) data, hîc verò inde desumenda ac repetenda: materiâ de redemtione fidelium V. T. id postulante.

Quòd adeò Servator piorum vel Sanctorum in genere sub prioribus temporibus non solùm fuerit *fidejussor* vel *appromissor*, seu sponsio Illius pro sanctis plus fuerit quàm fidejussio, è definitione utriusque (ib.) data satis apparet. Repetantur aliâs, & applicentur ad pios priorum Ecclesiæ ætatum, quæ suprà (sch. 1. §. 861.) & deinceps de redemtione (sch. 3. §. 948.) breviter indicata, ut etiam intelligatur, quomodo Deus respectu eorum fuerit quoque Creditor, ijque debitores, & obligatio illorum ad pœnam [scil. respectu impiorum per se, respectu piorum verò, in quantum sine consideratione Sponsoris] constituerit debita.

Inde condemnationi non amplius subjacebant.

1415. Porro quum reatus mortis æternæ (§. 784. 837.), contractus per violationem officiorum (§. 81. 82.) Legis moralis (§. 1384.), seu per peccata, sit, quod aliàs dicitur *maledictio Legis*, patet, *fideles V. T. non amplius fuisse reos, sed liberatos à Legis maledictione*: erant quippe exsoluti obligatione ad pœnam per expromissionem Sponsoris Divini pro ijs (§. 1414.), & quoque vi remissionis peccatorum, quæ illis obtigit: per Dicta Scripturæ (§. 1413. No. 3.); ùt clarum è definit. hujus (§. 932.).

Hisce

Hisce elucidandis & ab objectionibus vindicandis iubet advocare, quæ præclarè ICtus Celebris ULR. HUBERUS *exerc. 6.* quæ est *de liberation.*; ubi §. 1. notat, liberationem, quæ præcessit solutionem [qualis adeò illa ante Christum præstitum] quoniam ex ipsa solutione deduci nequeat, petendam esse vel ex *pacto de non petendo*, debitò in substantia manente, quod cum fidelibus illis initum sit; vel ex *acceptilatione* [qua de &] (§. 950.), quâ Creditor Deus (sch. 1. §. 861.) gratis Debitum remiserit ac aboleverit; vel ex *fidejussione* Sponsoris (sch. 2. ib.), in se suscipientis solutionem debiti, pristino debitori interim adhuc incumbentis; vel denique ab *expromissione* ejusdem (ib.) Debitum in se transferentis cum liberatione primi debitoris absoluta. Porrò notat §. 4., si ponatur, sponsionem Christi fuisse *fidejussionem*, cui tale pactum de non petendo à debitore primævo accesserit, tum fatendum esse, Debitum non posse dici sublatum, tametsi debitores executionis securi fuerint: actionem siquidem petitionemque adversus ipsos superfuisse; juxta id dicendum esse, peccata Veteribus non fuisse remissa, fuisse tantùm prætermissionem &c. peccatorum, ut pii tùm adhuc fuerint obnoxii obligationi, chirographo &c. At verò aliud dicere loca illa clarissima V. T. de remissione peccatorum sub ea ætate [quæ citata] (§. 1413. No. 3.) quippe quæ sponsionem Christi expromissionem potiùs quàm fidejussionem fuisse doceant; ib. V. D. §. 13. Unde, quòd fideles V. T. incautiùs à J. Coccejo discipulisque sub ira & maledictione fuisse dicantur, H. WITSIUS persequitur *Oecon. &c. Lib. IV. Cap. 12. §. 70.* seq.

Ad loca dein, quæ ex N. T. contrà objici solent, respondet memoratus anteà ICtus Cl. & quidem ad Heb. 10: 18. §. 14. semper dictum Apostoli verum manere de remissione ac abolitione debiti ipsius cum chirographo; quod solutione corporali demum peremtum; Rom. 3: 25. ad peccata præterita quorumvis fidelium pertinere, nec necessariò ad tempus ante Christum restringendum esse: cùm sensui huic nil contrarium in verbis deprehendatur; vel si hoc relinquatur, dici debere ac posse, vocabulum παρέσεως idem notare ac ἀφέσεως [uti & WITIUS contra illam Coccejanis acceptam inter utrumque vocabulum differentiam l. cit.

cit. §. 36. seq.] à παρίημι derivandum, *remitto*, item *transmitto* de loco in locum [non à πάρειμι *pratereo*] cujusmodi transmissio, ubi de personis sermo, de persona in personam in expromissione, ubi Debitum à debitore originali transferatur in Sponsorem. Sic porrò ib. v. 26. etsi concederetur de temporibus antiquis Apostolum loqui [cùm de simplici indulgentia erga quosvis electos, fide Mediatorem nondum amplexos, æquè sumi possit] ex eadem expromissionis natura planum fieri; fuisse ἀνοχὴν: dum Deus, ante chirographum solutione peremtum, per gratuitas promissiones cœlestia vetustis piis communicarit bona; tùm & fuisse erga electos quoscunque &c.

Locô Col. 2: 14. nullam inesse difficultatem: ἐξαλείψας quippe, *inductum, cancellatum, deletum* chirographum cruci affixit Sponsor; *delevit* scil. per sanguinem suum, qui pretium solutionis, *chirographum praceptorum*, quod confessio & delictorum, in exercitio ceremoniarum præscripto; τὸ καθ' ἡμῶν, *contra nos*, in nostrum nomen & onus conceptum; ὑπεναντίον ἡμῖν *nobis adversum*, pœnam scil. continens &c. *sustulit è medio*, post solutionem sibi traditum sustulit è manibus Patris sui; *adfixum cruci*, obitâ in cruce morte id demonstrans, ac deletum chirographum omnibus ob oculos ponens. Lubet hisce addere egregia Rev. & Cl. ELSNERI verba ad Rom. 3: 25. ubi ita »eadem est sine dubio πάρεσις & ἄφεσις, ut HESY»CHIUS docuit; imò DIONYS HALICARN. »πάρεσιν *dilationi* ἀναβολῇ opponit tanquàm *perfectam* »culpæ *remissionem*, *Lib.* 7. *Antiq.* p. 446. - - - »simillima ratione --- Apostolus πάρεσιν oppositit τοῖς »ἁμαρτήμασι ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ. Proinde »πάρεσις est *perfecta peccatorum remissio*, quæ ante »hanc justitiæ declarationem fuerant *in tolerantia Dei*; »eadem quoque πάρεσις est cum ἀπολυτρώσει, quod »vocabulum illius vice occurrit in loco parallelo Heb. »9: 15. - - - Qui πάρεσιν *præteritionem* aut »*dissimulationem peccatorum* post BEZAM ad. h. l. »exponi jubent, exemplum ejus significationis & sen»sum afferre debent, verbis rebusque accommoda»tum. Diversitas remissionis peccatorum N. T. »ab ea, quæ fidelibus sub V. T. obtigit, non quæ»renda est in voce πάρεσις, sed in eo, quod dicantur

» ἁμαρ-

»ἁμαρτήματα προγεγονότα ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ;
»quòd Christus eô tempore nondum factus esset ἱλασή-
»ριον ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ, sanguine reverâ effusô.

Defectibus quibusnam Oeconomia hæcce ac beneficia sub ea spiritualia laboraverint.

1416. Etsi verò beneficia fœderis gratiæ fidelibus sub V. T. obtigerint (§. 1413), tamen *imperfectio quædam iis adhærebat, hinc Oeconomiæ illi:* doctrina enim, etsi amplificata (§. 1379.), ac per vocationem externam oblata, tamen nondum omnia nec ita clarè patefaciebat: v. g. illa, de quibus (§. 361. seq) item Locô VIII. ac IX. sic &, quæ post sequentur, de Statu felici vel infelici post hanc vitam, ac quæ præcedunt; vid. quoque Rom. 16: 25. Eph. 3: 5. Fides in Liberatorem spei aliquando erat similis, Eph. 1: 12. desiderium hinc (§. 1112.); remissio peccatorum obtenta per fidem in Messiam (§. 1129.) erat, quià Hic mediantibus sacrificiis seu sacrificando repræsentabatur (§. 1390. & sch. 1.), eô ipsô conjuncta cum illorum per hæc exprobatione: vid. Jer. 17: 1. Heb. 10: 3. & (§. 1393.); adoptio imminuebatur: dum quodammodo ùt servi tractabantur, Gal. 4: 1--3. per jugum ceremoniarum (§. 1386. & sch.), execratione metui mortis pios subjiciens, Heb. 2: 15. ac timorem servilem ingenerans, Rom. 8: 15. accessu etiam liberô ac immediatô ad Deum prohibendo, Heb. 9: 6 -- 8. 10: 19. seq. Sanctitas magnam partem in externis erat ideò posita Heb. 9: 9. 10. vid. & (§. 1386. ac sch. & §. 1391.).

De Vita futura interim sub hacce Oeconomia adeò cognita, & quomodo, mox ad (§. seq.). Non refragari

refragari autem dictis ea, quæ de prærogativis hujus Oeconomiæ memorata (sch. 2. §. 1413.), facilè quilibet perspiciet; scil. etiam prærogativæ illæ maximam partem circa externum aut externa versabantur, quæ ipsa fœderis gratiæ beneficia in esse suo, quoad majorem aut minorem gradum item, non tangebant vel afficiebant; ac uti illæ perfectionem quandam accidentalem quoad quasdam Oeconomiæ illius affectiones efficiebant; ita tamen defectus hujus Oeconomiæ essentialia non tollebant, hinc perfectionem essentialem beneficiis relinquebant. Uti etiam pro diverso considerandi modo ac juxta diversas determinationes res potest appellari ac teneri perfecta ac imperfecta; ita hoc etiam quoad Oeconomiam V. T. comparatè ad illam sub promissione dici potest: dum hâcce ob restrictionem libertatis (1368.) imperfectior, licèt de cætero splendore externô, rerum ordinatione (§. 1386. & sch.), terræ promissæ, præstantissimæ, possessione (sch. 2. §. 1378.), potior illâ sub promissione fuerit. De V. T. Oeconomiæ defectibus verò uberius Cl. p. m. LAMPIUS Gnaden-Bund *to. 3. P. 2. Cap. 29.* tot. jungatur Cl. WITSIUS *Oecon. fœd. Lib. IV. Cap. 12. & 13.* ubi priori *de imperfectionibus V. T. non ex verò attributis* (contra Cocceji, & qui hunc sequuntur, scil. expressiones) posteriori autem *de ijs, quæ V. T. verè defuerunt.* Hic saltem quoad locum Gal. 4: 1. 2. juvat ac confert advocare *diss.* eruditam CHRIST. MARCHE & POL. LEYSERI inscriptam: *Specimen Jurispr. Pauli Apostoli quoad rem tutelarem, sive Observat. philolog. ad Gal. 4: 1. 2.* Lipsiæ 1736. ubi §. 2. ponunt, Apostolum agere de pupillis, deque re tutelari, quæ non è Græcorum verum Romanorum jure explicanda; quod dein deducunt p. 3. --- 7.

Ad §. 3. notant, per κληρονόμον innui hæredem, seu talem, ad quem defuncti bona, vel omnia vel ex parte, perveniunt, sive sit in ejus familiâ sive extra eam; nec verò innui à PAULO filium-familiâs. Ad §. 4. per κληρονόμον νήπιον Apostolum indigitare talem, qui mortuô Patre eam adhuc ägit ætatem, quâ administrationi rerum nondum aptus; ICtis *impuberem* dictum; licèt nec eorum sententia prorsùs sit rejicienda, qui pupillum [qualis est, qui Tutoribus subest] vel minorem

rem intelligi velint. Verba: οὐδὲν διαφέρει δούλου notare pupillorum restrictum arbitrium in rerum suarum administratione, non verò severam in pueros disciplinam [quæ in Græcia obtinuerit] aut subjectionem pupilli; scil. servos nil pro se acquivisse, & omnia ex Domini arbitrio agere oportuisse; ad §. 5. p. 15--20.

Interim pupillos bonorum suorum dominium sartum tectumque semper servasse, quod Apostolus exprimat per: κύριος πάντων ὤν; ad §. 6. p. 20--24. aliorum verò tùm semper subesse imperio: ὑπὸ ἐπιτρόπους &c. qui sint Tutores, non verò Pædagogi, nec alii Liberorum præfecti; nomine eô aliâs quoque insigniri, quicunque alicui rei vel personæ sint præpositi; etiam Rectores Provinciæ; ad §. 7. p. 24. —— 28. ubi ἐν παροδῷ ad hancce vocem notamus, quòd [docente Cl. SCHOETGENIÔ ad Gal. 4: 2.] etiam antiquis Rabbinis adhibita fuerit: אפיטרופוס etiam אפוטרופוס, in plural. terminat. ין. Porro *diss.* laud. §. 8. asseritur, οἰκόνομον esse, qui res minorum administret, Curatorem, non verò servum dispensatorem aut Procuratorem. Per ἄχρι τῆς προθεσμίας τοῦ πατρὸς indigitare Apostolum, quòd plenam rerum suarum administrationem Liberi eô demum nanciscantur die, quem Pater constituit, ut finem afferat potestati eorum, quos illis præfecit; ad §. 9. p. 33. —— 39. ad Curatores scil. verba ea spectare: cùm Parentibus tempore illô permissum fuerit, etiam ultra pubertatis annos ad certum tempus Liberis Testamentô Rectores præponere, §. 10. Ita scil. Apostolus statum piorum vel in genere membrorum Ecclesiæ sub V. T. proponit [vid. v. 3. seq. hujus Cap. 4: Gal.] similitudine desumtâ à consuetudinibus Romanorum, uti & aliâs quoad fideles id facit: vid. (sch. 1. 2. §. 1145.); ac Scripturæ in genere solenne est ad ritus gentium alludere (§. 176. & sch. 1.).

Applicatio jam facilè fieri potest eorum, quæ hîc allata, ad res, prout se habuerunt vetustis temporibus Oeconomiæ Mosaicæ seu ante Redemtoris adventum; quinam fuerint ἐπίτροποι illi, scil. qui in Cathedra Mosis sedebant, Matth. 23: 2. quòd fideles jure beneficiorum spiritualium seu fœderis gratiæ gavisi sint, ac

ac ea obtinuerint (§. 1413.), interim semper cum specie servitutis &c. etiam quoad cognitionem servorum ac infantum instar fuerint &c. non necesse est plura addere, inspiciatur etiam Cap. cit. v. 3. seq.

1417. E superiùs dictis autem & patet, malè Socinian. tenere, bona fœderis gratiæ sub Oeconomia Vet. Test. pijs non obtigisse; item nec Spiritûs S. nec vitæ æternæ promissionem formalem in fœdere ejus ætatis obtinuisse: [contendentes, non extare in V. T., & præcipuè in fœdere, quod Deus cum Israëlitis pepigit, explicatam ac expressam futuræ vitæ promissionem, Deum eam saltem dedisse ùt aliquid, quod non promiserit, & quod fideles nonnisi infirmiter sperarint ac subobscurè expectarint; idem de Spiritu S. dicendum esse: quum per eum nonnisi Vitæ æternæ spes aut & Evangelium intelligi debeat] cùm tamen vitæ æternæ promissio Israëlitis facta habeatur Lev. 18: 5. fœdere ipsò haud obscure comprehensa; hinc CHRISTUS ipse illam Lege promissam esse dicat Math. 19: 16. 17. conf. & Joh. 5: 39. 2. Tim. 3: 16. ubi illò locò Servator saltem dicit, Judæos esse persuasos, δοκεῖτε: voce hâc id notante, vid. Luc. 1: 3. Act. 15: 25. 26: 9. posteriori autem locò (1. Tim. 3: 16.) dum PAULUS dicit, Scripturam reddere sapientem ad salutem &c. eò ipsò affirmat, vitam æternam in ea prædicari. *Socin. & Pontific. aberratio.*

Patet porro, etiam Pontificios malè fideles præcedentium ætatum actuali tum adhuc salutis participatione [per ipsam vitæ æternæ fruitionem] excludere, dum in Limbum, ad Liberatoris ad-

ventum usque, detrusos volunt: cùm tamen actu jam illos cœlesti potitos gloriâ, pateat 1. è parabola Lazari, Luc. 16: 22. sinu quippe non aliud notante nisi arctam communionem & admissionem; 2. ex Raptu Enochi Gen. 5: 24. ac Eliæ, in cœlum, 2. Reg. 2: 11. 3. ex eo [ut alia prætereantur] quòd Abrahamus cum gaudio Civitatem cœlestem expectasse dicatur Heb. 11: 10. uti & aliàs Jacobus non potuisset dicere, quod habetur Gen. 49: 18. nec DAVID illud Ps. 31: 6. phrasi, quæ & occurrit Act. 7: 59.

Sch. 1. Vid. quoad Socin. HORNBECK *Socin. conf. to.* 2. p. 303. 304. Beneficia fœderis gratiæ scil. Socin. in genere deprimunt, etiam ea sub N. T., dum satisfactionem, item efficaciam gratiæ tollunt (§. 868. & sch. ib. §. 927. sch. ib. sch. §. 1019.); cùm jam verò N. T. in Scriptura valde deprædicetur, V. T. adhuc magis deprimere debent, conf. addenda ad (sch. §. 917. ad finem *to.* 2.); fœderi nonnisi evangelico ideò illam salutis post hanc vitam promissionem incorporatam volunt. Distinguunt inde præterea inter fidem illorum temporum ac nostram, illam in Deum simpliciter fuisse directam, hanc verò etiam in Christum: uti quoque distinguunt inter Ecclesiam Dei ac Christi.

Socin. accedunt Anabaptistarum quidam, vid. Vir modò laud. p. 301. qui & p. 299. notat, EPISCOPIUM videri velle mediam inter Orthodoxos ac Socin. sententiam tenere: scil. Vitam æternam sub V. T. fuisse promissam [licèt non ita clarè] ac à fidelibus creditam, promissione hâcce ipsô etiam fœdere comprehensâ; hujus promissa specialia nonnisi bona terrena, generalia autem [sub litera] etiam bona futura comprehendisse ac adumbrasse. Loci Lev. 18: 5. sensum, seu quòd de Vita æterna loquatur, etiam *Targum* confirmat, vid. idem Vir Cl. p. 311. sicuti sensus locorum vitam Lege promissam perhibentium, uti Ezech. 20: 11. Rom. 10: 5. [seu quòd vitam innuant æternam] determinatur per Matth. 19: 16. 17.

conformiter

conformiter regulæ hermeneut. (§. 167.) [licèt aliâs *vivere* notet felicitate hujus vitæ frui, vid. ex gr. Neh. 2: 3. Ez. 13: 19.] cùm &, qui maximè actiones ad legem componunt, aliquando minimùm felicitate terrenâ fruantur: conf. (sch. 3. §. 651.). Et quare non sub *vitæ* termino etiam benè ac sine nimia verborum extensione potest intelligi vita æterna? siquidem Socin. per *mortis* terminum Gen. 2: 17. 3: 3. 4. mortem intelligunt æternam, licèt sensu (sch. 1. §. 837.) indicatô. His adde, quod Cl. RÜCHATUS [Scriptô mox allegandô] *exerc.* 2. §. 27. monet, terminum vel locutionem *vivere, vita*, adeò receptum Judæis veteribus ac solennem fuisse, ut inde Syrus Interpres locis in N. T., ubi de salute æterna, vocibus σώζειν & σωτηρία substituat *vivere* & *vita*: ita Matth. 1: 21. Joh. 4: 22. Apoc. 16: 30. 31. Rom. 9: 27. & 1. Pet. 1: 9. Non autem officit, quòd locis, ubi promissiones Legis habentur, Lev. 26: 3. 4. seq. Deut. 27: 2. seq. vita æterna non promittatur: sufficit enim aliis locis spirituales extare promissiones, aliis verò terrenas nonnisi, populô terrestribus immersô; præterquam quòd MOSES Historicum agat (sch. §. 180.).

Ad locum Joh. 5: 39. temerè autem excipitur, CHRISTUM locutum esse ex erronea Judæorum opinione; vid. HORNBECK *to.* 1. p. 308. Hancce materiam autem & egregiè discussit, sententiam orthodoxam confirmavit [contra Clericum & alios] laud. Theologus Lausann. Eruditus in *exercit. de fide Sanctorum V. T. super anim. immortal., vitæ fut. præm. atque annexis Capit.*, ubi vid. *exerc.* 1. tot. 2. §. 19. seq. 3. §. 40. seq. *exercit.* item 4. & 5. tot. ibi inter alia oppositè respondet [*exerc.* 3. §. 41.] ad objectionem, quare MOSES ita parcè ac obscurè tantùm de vita æterna & annexis loquatur: nimirùm talia ipsum præsupposuisse, utpote pertinentia ad τὸ γνωστὸν τ῀ Θε῀ῦ; ea inculcare magis sibi sumsisse, circa quæ homines [gens illa] in devia, errores, desciscebant, Dei unitatem, spiritualitatem; nondum tunc fuisse, qui circa præmia pœnasque post hanc vitam ita turpiter in devia fuerint prolapsi, uti postmodùm Sadducæi. Allegat hanc in sententiam duos è Reformatis doctos ac judiciosos Doctores, BERNARDUM & JURIÆUM; etiam rationem arcessit à fœdere cum Israële erecto: scil.

ut ad id Deus populum obstringeret, talia proponenda fuisse, quæ ad universum hunc spectarent, terrena; sic fidem ac obedientiam populi faciliùs conciliari potuisse: cùm temporalia universos spectarint, non autem æterna, seu quæ post hanc vitam; fuisse legem non pro toto genere humano æqualiter, sed pro gente Israëlitica primario & specialiter, cujus etiam genio fuerit accommodata; utpote corporalibus in Ægypto assueto; interim legem spiritualia non omisisse &c.

Fatentur verò & omnino Orthodoxi, promissiones vitæ æternæ in V. T. non ita claras esse ac illas in N. T., unde hujus prærogativa, vid. v. g. Joh. 1: 4. Rom. 16: 25. 26. Gal. 3: 23. 2. Tim. 1: 9. 10. Heb. 9: 8. 11: 39. 30. quæ ideò & alia quomodo sint intelligenda patet; vindicat autem ea quoque HOORNBECK ib. p. 357. —— 364.

Sch. 2. Pontific., qui præter limbum, in quem infantes ante baptismum morientes ad pœnam damni sempiternam detrudunt [*limbum infantum* ideò dictum] alium adhùc, itidem ad pœnam damni, interim temporis finiti, statuunt, eò ablegantes fideles ante Christum demortuos [*limbum Patrum* ipsis dictum] ita nimirum & hypothesi de imperfectione V. T. litant.

Locutio Luc. 16: 22. desumta est [uti & notat Cel. HEIDEGGERUS ראשי אבות *to.* 2. *exerc.* 10.] à ritu Veterum mensæ accumbendi: ubi, qui sinum honorati cujusdam convivæ in triclinio occupabat [sicuti Johannes in sinu Christi fuisse dicitur Joh. 13: 23.] & ipse valde honorabatur; ut sinus Abrahami designet gradum gloriæ cœlestis ementiorem: Scripturâ & aliâs gloriam hancce sub emblemate Convivii proponente, Matth. 8: 11. Luc. 22: 30. Status Lazari erat status gaudii ac felicitatis, Luc. 16: 25. in limbo autem ejusmodi locum non habet juxta Pontific., ergò &c.

Ad 2. Reg. 2: 11. vanè excipitur, ex eo, quòd literæ ab Elia scriptæ post mortem illius traditæ sint, 2. Chron. 21: 12. patere, quòd post Raptum scripserit.

Opinioni Pontific. autem neutiquam favet illud שאלה Gen. 37: 35. vid. (sch. 2. §. 899.): vox hæc namque, quòd notat HEIDEGGERUS *hist. Patr.*, *to.* cit. *exerc.*

exerc. 20. §. 15. idem sibi vult ac Jobi ארץ חשך וצלמות 10: 21. item בור *fovea* Ps. 28: 1. 30: 4. & aliquando Rabbinorum עולם הבא. Nec etiam favet illa cisterna sine aqua, Zach. 9: 11. cùm hîc innuatur liberatio tùm è captivitate Babyl. & aliis malis, tùm mysticè è captivitate spirituali seu peccati, per sanguinem Messiæ &c. nec apparitio Samuëlis 1. Sam. 28: 12. 14. cùm verus Samuel non passus esset se adorari à Saule &c. nec quòd nemo dicatur ascendisse Joh. 3: 13. scil. juxta cognitionem talem; uti phrasin eam notare voluntatem Divinam à Deo edoceri notat Cl. SCHOETGENIUS in ill. loc. ac verba desumta esse ex Deut. 30: 12. atque Judæos de Mose eandem adhibere phrasin ad idem denotandum; vid. & Prov. 30: 4. Rom. 10: 6. 7. quemadmodum etiam nemo dicitur vidisse Patrem Matth. 11: 27. Joh. 1: 18. prætermimus alia.

Signa fœderis & Sacramenta sub V. T.

1418. Ubi fœdus gratiæ ac bona ejus, ibi & Signa eorum sint convenit; *Signa fœderis cum Deo sub Oeconomia V. T. erant circumcisio ac Pascha, quæ* & ideò *Sacramenta erant Ecclesiæ ejus intervalli:* circumcisio quippe jam sub priori ætate signum erat fœderatorum (§. 1367.), cujusmodi ceremonia reipsâ non potest non esse Sacramentum, per (§. 1237.). Pascha verò quia erat ceremonia quotannis observanda in memoriam ingentis beneficii, liberationis scil. mirandæ è servitute Ægyptiaca, Ex. 13: 7. seq. quam Deus procuraverat Israëlitis, quia erat Deus ipsorum, 20: 2. erat ideò signum fœderis cum Deo (§. 1412.), & quidem non solùm particularis (§. 1408.), verùm & gratiæ (§. 1409.), seu in Liberatore, 1. Cor. 5: 7. siquidem in Liberatore Deus fit Deus alicujus: vid. ex. gr. (§. 854. 864. 1000. coll.

coll. 1412.), & liberatio ex Ægypto adumbrabat spiritualem liberationem per Messiam; ceremonia verò externa tale significans Sacramentum esse clarum est: vid. ibid. (§. 1230. 1231.).

Sch. 1. Sanè, qui Israëlem ex Ægypto liberavit, erat idem ille, qui electos spiritualiter liberavit, Filius Dei: Hic quippe tùm ordinariè apparuerat (sch. 1. §. 1379.); spiritualis quoque per Eum liberatio ita proponitur, ut haud obscurè ad servitutem præ cæteris miseram, qualis illa in Ægypto, alludatur: vid. Es. 61: 1. Zach. 9: 11. Porro qui Pascha primus paravit, Moses, per fidem & ex fide [sanguinem agni aspergendo] id fecisse dicitur Heb. 11: 28. adeòque respectu ad Messiam habitô. Tantò minus autem gratis hæc dici quis existimet, quòd ex traditionali Veteris Ecclesiæ Judaicæ explicatione (sch. §. 188.) ostendi possit, ipsam in Paschate, liberatione ex Ægypto innixo, respexisse liberationem per Messiam, ac intellexisse: loquatur pro me Cel. SCHOETGENIUS *hor. &c.* in Luc. 22: 19. ubi ita »insigne h. l. proferemus »testimonium, quòd Ecclesia vetus Judaica in cele»bratione convivii paschalis semper ante oculos ha»buerit *dolores Messiæ*; Pesachim fol. 118. 1. *cur »nos Hallel illud vocamus magnum? Resp., quia in eo »quinque hæ res continentur: exitus ex Ægypto, divi»sio Maris rubri, promulgatio Legis, resurrectio mortuo»rum & dolores Messiæ;* ------ *de doloribus Messiæ* »Ps. 115: 1. non nobis Domine ----- *R. Nachman »filius Isaac dixit, extare in eo Hallel liberationem ani»marum justorum ex Gehenna &c.* Quid ergo »facilius [sunt verba V. D.] quàm hoc cognoscere, Ju»dæos veteres Christum quoque hujus Cœnæ scopum »agnovisse? &c.

Sch. 2. Quod ad Signa fœderis sub V. T., distinguuntur ea à Theologis in *ordinaria* & *extraordinaria*: vid. BIERMANN **Moses und Christus** *Lib.* 1. *Cap.* 1. item LAMPE **Gnaden-Bund** *to.* 3. *P.* 2. *Cap.* 28. ubi hic inter ordinaria ponit, tùm quæ ex Oeconomia sub Promissione transsumta: iridem, communionem

cum

cum sacrificiis, circumcisionem; tùm quæ non transsumta: Pascha, Sabbathum [quod signum dicitur Ex. 31:13. Ez. 20:12.] possessionem terræ Canaan; inter extraordinaria verò, [de quorum quibusdam & PAULUS 1. Cor. 10: 1. -- 4.] baptismum per nubem ac mare, Mannam, aquam è petra, aquas in Marah, virgam Aaronis, Serpentem æneum, &c. Ad quæ notandum, quoniam Deus cum Israële duplex pepigerit fœdus [licèt unum alteri implicitum] præter illud gratiæ scil. (§. 1409.), quod jam per se ac priùs obtinebat (§. 1006. 1366.), adhuc particulare, quod dispensatio fœderis gratiæ fuit (§. 1406. 1408.), in se continens promissiones terrestres, sub quarum tamen involucris & ipsæ latitabant promissiones spirituales &c. (ib.); ideò & duplicia ordinare Signa conveniens fuisse: nimirum vel propriè talia, quæ initiationem in fœdus gratiæ secum ferrent [cujusmodi hinc à tali Cœtu vel Ecclesia abesse non poterant, per] (§. 1228.) item confirmationem in eo fœdere seu continuationem; quæ & Requisitis omnibus Sacramentorum gauderent; posteriori etiam eô [ad confirmationem in eo fœdere tendente] certis statisque temporibus redeuntibus repetendô ac celebrandô; cùm utrumque interim, etsi aliâs fœdus gratiæ in se signaret, cedere aliquando deberet ijs, de quibus Locô X., eò quòd fœdus in & per futurum Messiam demum notarent; vel impropriè talia, Usum ac ordinationem talem non habentia, beneficia particularia, quæ genti eô tempore [vi fœderis gratiæ] obtigerant, aut notantia aut constituentia [mediatè hinc per priora, seu Sacramenta, à quibus inde & vim suam nacta dici possunt] uti baptismus seu transitus per Mare, Serpens æneus, terra Canaan &c. nec ceremoniæ vicibus redeuntibus & proporro celebrandæ, obeundæ; uti urna Mannæ, virga Aaronis &c. asservabantur equidem, Exod. 16: 33. Num. 17: 10. Heb. 9: 4. interim nulla eum ijs suscipiebatur ceremonia, sicût è contrà cum Paschate; quod ideò, licèt originatiò notaret beneficium eô tempore genti peculiare exhibitum, erat Sacramentum: quippe præterea Requisitis gaudens, ac innitens Sacramento, scil. circumcisione, cui vero alia signa non ita innitebantur.

Quædam autem quoad hæcce & mox (sch. 4.), uti quæ ad rationem iridis ac terræ Canaanis dijudican-

dam, jam ferè suprà (sch. 1. §. 1367. & sch. §. 1406. sch. 2. §. 1407.) memorata.

Sch. 3. Circumcisio nempe anteà jam obtinebat ùt signum receptionis in Cœtum fidelium externum (§. 1367. & sch. 1.); à Patribus ideò nec verò à Mose illam derivat Servator Joh. 7: 22. id. est, à Patriarchis: hos enim Judæi *Patres* dicunt, uti uxores eorum, Sarah &c. *Matres* ipsis appellantur, & sunt Matriarchæ, vid. Rev. ac eruditiss. Nostratis J. ROD. SALCHLINI *diss. de initiat. puellularum hebr.* &c. §. 17. 18. 19. seq. repetantur etiam ex eadem diss., quæ sch. 1. §. 1252.) quoad initiationem puellularum commemorata.

Sub Mose jam confirmabatur &c. vid. Lev. 12: 2. 3. oneris formam & induebat. Repræsentabat simul circumcisionem spiritualem, è fide in futurum Messiam resultantem: præputiô quippe figurante corruptionem ingenitam Deut. 10: 16. Jer. 4: 4. conf. & Rom. 2: 25. seq. uti è contrà circumcisione tùm ablationem corruptionis, itid Rom. 2: 26. 29. Col. 2: 11. eam suscipiens profitebatur, quòd Legi Mosis se subjicere velit [per naturam fœderis, cujus signum circumcisio expressè dicitur; ac uti & haud obscurè indigitatur Rom. 2: 25. seq.] quòd velit membrum esse ejus Cœtus, cui Deus volebat esse Deus ipsius; adeòque dum signum fœderatorum hujus Dei sibi imprimi volebat, in postulata fœderis Dei, hinc & futurum Liberatorem circumcidebatur. De origine supra (sch. 1. §. 1367.) dictum; hîc ex eodem SPENCERO memorare juvat, quæ benè quoad circumcisionem notat [*Sect.* 2.] fuisse illam signum 1. distinctivum; 2. memorativum, quô fœdus cum Abrahamo ac Patris hujus pietas frequenter in memoriam revocaretur; 3. figurativum, quô rei spiritualis figura ac imago ingerebatur, scil. circumcisio cordis: multis Scripturæ locis hanc in rem claris; 4. initiativum, quô & Jehovæ solius Cultui se devotos profitebantur; ubi ita V. Cel. » hinc causa data verbis Apostoli Gal. 5: 3. » ——— h. e., qui ritum illum volens & prudens susscipit, vi facti illius ad Mosis legem servandam tenetur, & religionem in ea præscriptam se amplecti profitetur; » etiam Judæos antiquos pro signo initiationis habuisse colligit ex versione τῶν LXX., qui illud

lud מתיהדים Est. 8: 17. vertunt περιετέμοντο, καὶ Ἰουδαΐζον; inde &, cùm Legis observatio à quibusdam urgeretur Act. 15: Pharisæos id explicasse, oportere circumcidi, ac præcipere, ut lex Mosis servetur v. 5. 24. 5. fuisse signum προφυλακτικὸν ad Cacodæmonis injurias propulsandas &c. 6. politicum, quô omnes externi sanguinis homines in rempublicam Israëlis admittebantur &c. Hæc omnia scil. de circumcisione jam Patriarchali æque ac de Mosaica valere: siquidem [ùt jam ab initio hujus *Sect.* dixerant V. D.] circumcisiones illæ duæ naturâ & usu generali consentiant, etsi aliâs prior Pactum inter Deum ac Abrahamum obsignaret, posterior verò novam à Lege Mosaica sanctionem acciperet; licèt dein, quod admitti nequit, dicat p. 52. edit. Tubing.] circumcisionem patriarchalem fuisse Religionis Naturâ præscriptæ signum ac tesseram, Mosaicam verò Religionis illius, quæ in Legis pandectis contineatur &c. Quod ad ritus à Judæis modernis in circumcisione & circa eam observari solitos, non est Instituti nostrius eos hìc commemorare; repetantur ex iis, qui ritus hodiernos Judæorum describunt, inter quos & KIRCHNER Jüdisch Ceremoniel, qui vid. *Cap.* 21. ubi & Notæ JUNGENDRES.

Sch. 4. Signum receptionis in fœdus Mosaicum confirmabatur dein ab adultis [cum insciis adhùc: quippe infantes, juxta Præceptum Dei, circumcisione signati fuerint] Paschatis solenni ac annuâ celebratione; quod typus Christi erat, non solùm quia sacrificium (sch. 1. §. 1390.), sed & imprimis quâ memoriale liberationis ex Ægypto, mediante quâ Israël poterat fieri Ecclesia juribus suis gaudens, Deus se exhibere ùt Deum ejus, dando terram promissam. Dignum ideò ob hocce fundamentum ac ob hanc originem Sacrificium Paschatis, quod è reliquis sacrificiis omnibus seligeretur, constitueretur in Sacramentum [siquidem requirebatur in Ecclesia Sacramentum, quod esset memoriale beneficiorum Dei, per] (§. 1226. 1228. coll. 1231.) dum instruebatur Requisitis Sacramentorum, quibus cæterorum sacrificiorum nullum gaudebat; licèt hæc fuerint typi vel Christi vel beneficiorum ejus; at Sacramenta præter determinationes in typis occurrentes

postu-

postulabant 1. ut à Deo immediatè ac expressè instituta sint vel ad initiationem in membrum Ecclesiæ, vel ad commemorationem beneficiorum; 2. ut intervallis redeuntibus semper observentur, solenniter obeantur ab omnibus, qui Religionem illam profitentur; 3. ut sit verbum institutionis, per quod etiam res externæ segregentur ab Usu communi; 4. ut actiones fiant de Signo externo; uti hæc satis intelliguntur ex ijs, quæ Locô X. passim dicta, conf. verô & (sch. 1. §. 1283.).

De Paschate aliâs [tota ejus ceremonia] amplè & eruditissimè, qui supra (sch. 1. §. 1390.) quoad mysterium ejus citatus, Galliæ Reformatæ decus SAM. BOCHARTUS *Hierz. P. 1. Cap.* 50. tot. SPENCERUM de Paschatis origine vel instituendi ratione perperam sensisse notum est; abit autem ab eo ipse alioquin ejus sectator J. CLERICUS *Comm. in Ex.* 12:5. & 9. v. priori enim locô quoad oppositionem Sacris Ægyptiorum factam juxta Spencerum benè observat, jamdudum anteà Hebræos solitos fuisse arietes aut hœdos immolare, Gen. 22:7. 13. Ex. 8:26. quoad genus masculinum autem locô ex HERODOTO productô eruditè ostendit, Ægyptios fœmellas bestias non mactasse, boves mares pro mundis habuisse; monet dein, quæ supra jam (sch. 2. §. 1391.) ex eo contra Spencerum memorata; adv. 9. autem Ex. ita »ratio autem, ob quam hæc semicocta »caro vetatur, videtur esse Præceptum sequens, quô »jubentur omnem agnum aut hœdum absumere, aut »comburere, quæ superfutura erant, si absumere non »possent: caro enim probè cocta facilè absumitur, semi»coctæ pars maxima hæret ossibus. Hæc ratio è re »ipsa ducta magis placet quàm accersitæ *Joh. Spenceri* »rationes, qui hoc præceptum opponit *ὠμοφαγίαις* »*crudæ carnis comestionibus* usitatis in Sacris nonnullis »Ethnicorum, si hoc enim fuisset vetandum, de»buisset vetari ijs in Locis, ubi sermo est de carne, »quæ ex victimis in usum cedebat Sacerdotum, non »hic duntaxat; dum *ἀντιθέσεις* captat V. D. inter He»bræorum & Ethnicorum Sacra, quæcunque vel levi »probabilitate arridebant, avidius arripuit.

Etiam *Hist. universf. To. 2. Sect. 5.* p. 392. Not. hac de re contra Spencerum quædam, quòd scil. parùm solidè præceptum de agno paschali datum contendat in remedium

medium inclinationis idolatricæ Israëlitarum, quâ deamaverint Ægyptiorum ac Sabæorum præcipuè idololatriam, apud quas Nationes aries Jovi consecrari solitus sit &c. cùm illi non oves verùm capras Jovi sacrificarint, porrò huic Deo quotannis immolarint arietem, statuam ejus auream dein investientes cute hujus victimæ; ut in immolatione agni paschalis nil inveniatur adeò accommodatum ad eradicandam versùs ritus illos idololatricam propensionem; Sabæorum verò Institutorum antiquitas infirmô admodùm nitatur fundamento: vid. (sch. 2. §. 1391.). De modernorum Judæorum quoad Paschatis celebrationem ritibus vid. [præter alios] qui quoad circumcisionem ad (sch. præced.) citatus Kirchner Jüdisch Ceremoniel, *Cap.* 8. 9.

Sch. 5. Atque in hoc alia adhuc habetur differentia [præter supra indicatas] (§. 1378.) hujus Oeconomiæ à priori sub Promissione: nimirùm quòd, cùm sub hac unicum nonnisi obtinuerit Sacramentum propriè tale (§. 1367. & sch. 1.), jam è contrà sub Oeconomia legali duo fuerint.

Conscientiam salutis undenam Sancti sub hac re Oeconomia habuerint.

1419. Signa fœderis gratiæ ac beneficiorum ejus, quæ mediante fide sigilla fiunt (§. 1239.), cùm conscientiam salutis clariorem firmioremque reddant (§. 1242.), sequitur, *fideles V. T. conscientiâ beneficiorum fœderis gratiæ ac Salutis gavisos esse.*

Quod & porrò probatur, quia conscientia hæcce non potuit non firmari 1. per Verbum amplificatum (§. 1379.), promissiones continens, piis applicandas vel fidelibus (ib. & §. 1003. 1412. 1413.); 2. per typos, qui, quoniam ex intentione Dei designabant res cum Messia gerendas (§. 1390.), hæ autem sunt fundamentum fœderis gratiæ (§. 1000.), hinc Salutis, ideò hujus spem & conscientiam eô ipsô

ipsò clariorem efficiebant; 3. per apparitiones (§. 1379. & sch. 1.): dum qui per testes fide dignos de iis convicti (§. 121. & sch. 1.), hinc certi, quòd Auctor salutis sensibili formâ apparuerit, confidebant, Hunc aliquando carne vestitum compariturum ad delenda peccata, Dan. 9: 25. anxiè Eum expectabant, Es. 64: 1. præsertim quià respectu ipsorum jam erat expromissor (§. 1414.).

Sch. 1. Circumcisio quomodo devenerit sigillum, jam dictum (1373. & sch.). Verbum id, quod salutis vel beneficiorum spiritualium spem & conscientiam ingenerabat, ac miraculis erat confirmatum, sedulò erat inculcandum; vid. [saltem quoad partes tùm extantes] Deut. 4: 6. 6: 6. seq. 11: 18. seq. 17: 19. Psal. 1: 2. unde media ac ordinationes, quæ eò spectabant (§. 1399.); ita Israël edocebatur, præter articulos mixtos (§. 188.) fœdus cum Deo, beneficia Hujus; in quibus consistebat [præter Cultum ceremon. (§. 1387.), ac rerum domesticarum curam, artium item quarundam Culturam, de quibus Cl. ac eruditiss. Conr. Ikenii elegans *antiq. hebr.* Compendium P. III.] studium gentis illius: Scientis enim cæteris, uti Ægyptii Geometriæ, Chaldæi Astronomiæ &c. item Politicæ operam ferè non dabant, licèt aliàs Moses Sapientiâ Ægyptiorum fuerit institutus, Act. 7: 22.

Sch. 2. Quod ad typos, fuêre præter supra memoratos (§. 1390. & sch. 1.) complures: v. g. ipsa Sacramenta extraordinaria (sch. 2. §. 1418.); Manna, Joh. 6: 32. 33. 51. de quo & ejus typo prolixè Biermann **Moses und Christus** *Lib. 5. Cap. 5.* unde & Judæi [notante Schoetgenio *hor.* ad 1. Cor. 10: 3. loquuntur de סוד המן *mysterio Mannæ*, item vocant מזון רוחני *cibum spiritualem*, scil. non ob naturam suam, verùm significationem [Judice eôdem V. D.] mysticam, spiritualem; ut Paulus hac in parte cum Judæis concidat. Porrò Serpens æneus clarissimè: Joh. 3: 14. quo de Cel. Bochartus *Hieroz.*

roz. P. 2. Lib. 3. Cap. 13. p. 424.--427. BIERMANN Lib. 5. Cap. 7. Petra in deserto: vid. idem hic ib. Cap. 6. E personis hùc referuntur ac pertinent: Moses: ob officium Prophericum, Deut. 18: 15. typus Messiæ: Act. 3: 22. ob officium Mediatorium etiam, Gal. 3: 19. eductionem ex Ægypto, Act. 7: 35. unde & veteres Judæi eum Messiæ typum faciunt, notante SCHOETGENIÒ to. 2. p. 475.

Josua per introductionem in terram requietis, Heb. 4: 8. 9. vid. autem de typis personalibus prolixè Cel. LAMPIUS Gnaden-Bund to. 3. P. 1. Cap. 3. p. 116. —— 264. ubi inter eos præterea ponit, hùc referendos, v. g. Gideonem, Boasum, Jephtam, Simsonem, Samuelem, Davidem [qui cum Messia comparatur Jer. 30: 9. Ez. 34: 24. 37: 24. 25. Hos. 3: 5. bona ejus cum bonis Messiæ Es. 55: 3. uti & *Sohar* misericordias hasce sumit de misericordia superiori, docente Cl. SCHOETGENIÒ *hor.* to. 2. *Lib.* 2. p. 186. domus illius cum Ecclesia Messiæ, Zach. 13: 1.] Salomonem: vel ob Ps. 72: 1. seq. Etiam Jonam, Matth. 12: 39. 40. Zerubabelem, Zach. 6: 12. Josuam, S. Sacerdotem, 3: 1. seq. Sic & primogeniti hùc ponendi, Col. 1: 15. vid. LAMPE to. 3. P. 2. Cap. 23. §. 17. seq. suspensi quoque de ligno, Gal. 3, 13. de quibus id. hic V. D. ib. Cap. 25. §. 18.

Ex locis porrò erant typica: Zion, munimentum Davidis, Heb. 12: 22. hinc Hierosolyma, ib. & Zach. 13: 1. Gal. 4: 25. 26. Apoc. 21: 2. 10. qua de operæ pretium est quædam adducere è Cl. SCHOETGENIO erudita *de Hierosolyma cœlesti diss.*, quæ extat *hor.* to. 1. p. 1206.--1248. ubi *Cap.* 1. generaliter monet, Judæos antiquiores sæpiùs memorare ירושלים של מעלה id est, cœlestem, mysticam, uti & Scriptores N. T. Gal. 4: 26. Ap. 21: 2. scil. מעלה ipsis notare non solùm *superius* sed & *mysticum*, *Cap.* 6. §. 6. jam eos & memorare Templum Hierosolymæ cœlestis, *Cap.* 2. ad cujus similitudinem Templum terrenum sit extructum, uti tabernaculum in deserto, Ex. 25: 40. 26: 30. sic autem & S. Apocalypsin commemorare Templum 7: 15. 15: 5. 16: 17. altare 8: 3. 9: 13. arcam 11: 19.

Ut de Synedrio nil dicamus, quo de V. D. [itidem prolatis veterum Rabbinorum testimoniis] *Cap.* 3. ut

nec

nec de familia cœlesti (פמליא של מעלה) angelos notante, Cabbalistis autem Sephiroth, & cui contra distinguunt terrenam, *Cap.* 5. Iis omnibus Judæos antiquos indigitasse Ecclesiam sub Oeconomia Messiæ, perpendentes, multa in Scriptura de Hierosolyma prædicari, quæ non impleta, aut, etsi implerentur, ad gloriam Dei non facerent, inde Hierosolymam impropriam ac mysticam fuisse, Es. 54: 11. 60: 13. 17. *Cap.* 6. §. 11. Sive autem Veteres Judæi per dicta Ecclesiam sub Messia notarint [uti & V. D. tùm loca in Apocal. tum Eph. 1: 3. 2: 6. 6: 12. Heb. 9: 23. Oeconomicè seu de N. T. intelligit *Cap.* 6.] an verò triumphantem, seu in cœlis, pariter id facit ad scopum nostrum, scil. ad probandum, quòd talia tenuerint, quæ ad salutis conscientiam faciebant.

Pertinent hæc ferè ad Cabbalam [veram illam] (sch. 3. §. 1413.) antiquorum Theologorum vel Interpretum inter Hebræos, *exegeticam* adeò, aut hæc hûc pertineret, quæ ostendit » Judæos antiquos [sunt verba sæpiùs laud. SCHOETGENII *hor. to.* 2. *Lib.* 1. *Cap.* 4. p. 48.] » Messiam ejusque Ecclesiam in variis » quondam typis tùm personarum tùm rerum diligenter » quæsivisse, sic ut ad interiorem illius notitiam in multis pervenerint. Et habent hìc Viri Doctissimi, in quo ductu Libri *Sohar* Theologiam typicam » ulteriùs exerceant. Nec est, quòd quis verea» tur, ne sensus Scripturæ V. T. primarius, literalis, » historicus sic pereat: quemadmodum enim omnia » sacrificia verè & sensu literali peracta sunt: quàmvis » simùl ex intentione Dei typi essent Messiæ futuri; sic » etiam reliquæ historiæ reverâ ita contigerunt, quàmvis » simùl Messiam venturum adumbrarent. Neque in » historiis tantùm sed & aliis locis V. T. Cabbala hæc » exegetica valet: sic Ex. 4: 22. Deus populum Israël » vocat *filium suum primogenitum*; quæ verba non » Judæi solum, sed & ipse MATHÆUS Evangelista » ad Messiam applicarunt; alia exempla in utroque » *Tomo* harum *hor.* occurrent. » Refert hûc V. D. & illud PAULI de Sarah & Hagare, quo de vid. & *Hor. to.* 1. ad hunc locum, ubi cautelam quoque suppeditat; item quòd Judæi plagas ægyptias applicent ad plagas hostium Messiæ; quo de itidem *to.* 1. ad Apoc. 16: 1.

Ad

Ad conscientiam salutis veterum fidelium ut redeamus, etiam prærogativæ illæ Rom. 9: 4. 5. Oeconomiæ ejus imperfectione aliàs laborantis (§. 1416.), & de quibus (sch. 2. §. 1413.), ad illam quid faciebant, dum ita externa ad interna ducere poterant.

De typis aliàs & apparitionibus Messiæ sub hacce ætate in Compendio GÜRTLERUS *instit. theol. Cap.* 24.

Addimus nonnisi, quòd, cùm conscientia salutis locum habeat, ubi postulata fœderis gratiæ præstantur, vid. (§. 1209. seq.) inter postulata autem hæcce & vel maximè sit pœnitentia (sch. 1. §. 993.), ideò veteres Theologos tenuisse, pœnitentiam necessariam esse seu requiri ad liberationem à Messia consequendam, notante laud. SCHOETGENIÒ *to.* 2. *Lib.* 8. *Cap.* 1. §. 3. 4. depravatores verò in Talmude pervertisse etiam hoc ita: pœnitentiam esse conditionem, sine qua Messias non sit venturus; gemina hisce V. D. *Lib.* 6. *Cap.* 2. §. 4.

Qualis tùm fuerit Ecclesia in genere Status.

1420. Quandoquidem fuêre hâce Ecclesiæ ætate, qui doctrinam veram recepêre, aliqui etiam ei conformiter se gessêre, alij verò non recepêre, quin ex his adhùc quidam veræ doctrinæ asseclas afflixêre [uti utrorumque exempla in Scripturis plura statim obvia] sequitur, *fuisse tùm temporis Ecclesiam & externam & internam, nec non hostes ejus:* per (§. 1300. 1315. 1360.), adeòque *semen liberatum & semen Serpentis* (§. 1370.).

Sch. 2. Erat Ecclesia externa tùnc tantò magis quàm sub Promissione, quanto major erat multitudo membrorum veræ Ecclesiæ; forma item ejus externa se ostendebat per doctrinæ professionem, ordinationes de ea publicè docenda (§. 1399.), Cultu peragendo (§. 1386.); ut tùm & tantò magis Societatis formam (§. 1355.) induerit, & quidem talis, quæ Societati civili seu Statui ita erat implicita, ut Ecclesia ac Respublica ferè una eademque essent [ùt & paucis monitum] (sch. §. 1404. ad finem) non illa Collegium in hac seu Civitate, proùt notat Cel. PFAFFIUS *orig. Jur. eccles.*

Cap. 4. ad §. 1. Not. s. Jura & directio Ecclesiæ hinc [de quibus, prout hodiedum se habere debent, infra] aliter se habebant: dum eædem personæ, quæ in ecclesiasticis, etiam in civilibus præsidebant, vid. (§. 1399. & sch. 2. §. 1396.), ob Theocratiam etiam (§. 1404. & sch.) locum ferè habuit imperium in Ecclesia, Cultûs verò externi formam aliter ordinare planè non licuit, ùt patet è (§. 1386.).

Sch. 2. Ad semen liberatum qui pertinebant, è Scriptura hîc recensere, & quæ circa eos notatu digna commemorare ac discutere, brevitatis causa supersedemus. Notamus tantùm quoad Mosen quædam, totam item gentem Israëliticam simùl; nimirùm cùm eruditus fuerit sapientiâ illâ [ùt paucis indicatum] (sch. 1. §. 1419.) quæ stirps græcanicæ, inde credibilitatem historiæ Ipsius adstrui; sicuti monet STILLINGFLEETUS *Orig. S. Lib.* 2. *Cap.* 2. cùm non solùm acumine sat pollens fuerit discernendi verùm à falso, sed & non ita renunciasset deliciis aulæ Pharaonicæ, Heb. 11: 24. seq. nec Propositum molestissimum ac periculosissimum formasset populum liberandi, nisi convictus fuisset, Deum, qui sibi apparuerat, esse majorem Dijs Ægyptiorum; nec in animum inducere potuit, quid scribere de creatione Mundi, lapsu hominis, nisi quòd se commendet ùt verùm: cùm aliâs Sacerdotes Ægyptii mox de eo triumphassent. Sinceritatem hancce Mosis, & Factorum, uti hodiedum ex libris ejus hauriuntur, credibilitatem, vid. etiam benè adstructam à doctiss. STAPFERO Nostrate *instit. Theol. polem. to.* 2. *Cap.* 6. ubi contra Atheos, §. 219.--265.

Quoad totam gentem Israëliticam quod notamus, est: mirum cuidam videri posse ac debere, gentem exiguô terræ angulô contentam, scientiis ad modum Ægyptiorum, Græcorum &c. non excultam [ùt paucis monitum] (sch. 1. §. 1419.) veram de unico Deo cognitionem habuisse, retinuisse [non obstantibus in idololatriam prolapsibus] augustas de Summo Numine, officiis Ei debitis, notiones tenuisse; superstitionem, humana sacrificia, eædem infantum abhorruisse; cùm è contrà cæteræ cultissimæ gentes turpissimis Institutis, publicè receptis ac universaliter exercendis, deditæ immersæque fuerint &c. Quid ergo hinc concludendum,

dendum, nisi cùm omnes Sapientum machinationes & Ratio humana cæteros populos ab errore [ne quidem tantisper] avocare potuerint, manum fortiorem, ipsius Dei, fuisse, quæ hoc in Israëlitico populo effecerit? unde revelationis Mosaicæ Divinitas &c. uti observationem hancce suppeditat Cl. WERENFELSIUS *diss. de præstantia Rel. revel.* ad finem p. m. 78. *Opusc.*

Ad Serpentis semen progredimur; inter eos [præter Ægyptios jam memoratos (sch. §. 1371.), decem plagis punitos; Ex. 7: --- 11: Cap.] pertinent v. g. Cananæi, à Canaan, filio Chami, stirpe nomen ducentes, in undecim gentes seu Tribus procrescentes, juxta numerum filiorum ejus [Chanaanis] Gen. 10: 15. --- 18. regionem, ejusdem cum stirpe nominis, inhabitantes: in ea quippe per immania scelera Lev. 18: 24. 25. ut semen Serpentis se gerentes; eorum historia ample elucidata vid. *Hist. univers. to.* 1. *Cap.* 4. *Sect.* 6. Porro Philistæi, oriundi partim à Casluchæis, partim à Caphtoræis, descendentibus Mizraimi filii Chami, & de quibus BOCHARTUS *Phal. Lib.* 4. *Cap.* 31. 32. Ægypto egressi, in Canaan sedem figentes, idolorum בעל זבוב, דגון cultores, 1. Sam. 5: 3. 4. 2. Reg. 1: 2. quorum historia itidem prolixè exhibetur *Hist. univers.* ib. *Sect.* 7.

Moabitæ, Moabi, filii Lothi è natu majori filia, posteri, Gen. 19: 37. trans Jordanem habitantes, בעל פעור colentes, Num. 25: 1. 3. de quibus itidem *Hist. univers.* ib. *Sect.* 1. Ammonitæ, etam à Lotho descendentes, è natu minori ipsius filia Ammonem pariente, confinem Moabitidi regionem inhabitantes, Molochum præcipuè colentes, immani ritu Liberos in valle Tophet igne consumendos ei dantes, 2. Reg. 23: 10. 2. Chron. 28: 3. vid. de ijs *Hist. univers.* ib. *Sect.* 2.

Edomitæ seu Esavi posteri [pro habitatione maximam partem habentes Desertum, & quibus Cananæa ad Septentrionem, mare rubrum ad meridiem; de ijs 2. Chron. 25: 11. 14.] etiam extra veram erant Ecclesiam; de hisce plura ib. *Sect.* 4. Sic & Madianitæ [à Madiane quarto Abrahami è Cethura filio Ortum ducentes] Arabiæ petreæ partem tenentes, de quibus ib. *Sect.* 3. Etiam Amalekitæ, quorum stirps Amalek, Natus Eliphazi, uti hic primogenitus

Esavi è Thimna Concubina, inter Ægyptum & Cananæam habitantes, Edomi ad occasum; de hisce Liber cit. ib. *Sect. 5.* Syri, qui nulli genti antiquitate cedunt, ab Aramo Semi filio, licèt & plurimi eorum ab Hamath filio Chanaanis descendentes, Serpentis semini omnino quoque accensendi sunt: Rimmonem quippe, Adadum, ac alia dein [postquàm ab Assyriæ Regibus subacti] Numina colentes; etiam Israëli bellò insurgentes: ita Rex Zobæ [urbis vel Regni] 2. Sam. 8: 3. Rex Damasci 1. Reg. 21: & 22; Cap. historia autem ac descriptio Syriæ, quæ lectu digniſſima, exhibetur *Hist. univers. to.* 2. *Cap.* 5. *Sect.* 1. - - - 4. Ut taceamus Phœnices, gentem uti antiquam ac celebrem valdè, ita & quàm maximè idololatricam [Tyriorum certè ac Sidoniorum celebre antiquitùs nomen &c. nemo nescit] quorum Regimen, Religio, Institutа, artes, commercium, historia, prolixè & accuratè traditur ib. *Cap.* 6. tot. ut taceamus item Assyrios, sic Cuthæos, Babylonios; serioribus temporibus immanem veræ Ecclesiæ persecutorem Antiochum Epiphanem [de quo vid. PRIDEAUX *to.* 2. vers. germ. *Lib.* 3.] ut taceamus etiam hùc referendos, qui ex ipsa aliàs Ecclesia Judaica ac in ejus gremio ad עבודה זרה deflectebant [ante scil. Captivitatem Babyl.] alios quin & inducebant.

Tota imò etiam reliqua terra, [exceptis hinc inde paucis quibusdam] seu gentes reliquæ omnes à Chamo ac Japheto ortæ, & de quibus Cel. BOCHARTUS *Phaleg. Lib.* 3. & 4. inter Semen Serpentis pertinerent, quæ autem, cùm de ijs non adeò frequens in Scripturis mentio, ideò nec nobis memorandæ.

Notandum adhùc, tùm quod supra (sch. 2. §. 1371, p. 1180.), scil. non omnes eôdem modò ac gradu inter Serpentis semen pertinere; tùm: discrimen posse constitui inter semen Serpentis & non liberatum, ut non statim inter Serpentis semen pertineat, qui non est de semine liberato.

Sch. 3. Cùm vel maximè igitur, quod veræ Ecclesiæ adversum, ac seminis Serpentis criterion, sit idolatria (§. 1375.), ideò & ad hanccе Ecclesiæ ætatem de ea memorare convenit, quæ scil. suprà (sch. 1. ib.) hùc loci

loci reservata; generalia scil. etiam, non verò quæ ad populi hujus vel illius Cultum. Ad Theogoniarum confectores ideò (ib.) memoratos ut hîc redeamus: HESIODI v. g. *Theogonia* ex antiquorum de rerum naturæ ortu sententiis, è Græcorum de antiquis suis Heroibus vel Dijs fabulis, ac è figuris fictionibusque poëtis est conflata; ut in talibus Scriptoribus [sic & HOMERO] hæc tria probè sint distinguenda; doctè ac judiciosè hæc notante Celeb. MOSHEMIO *ad Cudworth. Cap.* 4. §. 13. p. 227.

Antiqui scil. Vates [eôdem V. D. notante ib. ad §. 14. p. 283.] physica Veterum Præcepta carminibus expressêrunt, figurisque deformarunt potiùs quàm expoliverunt; ut, quid figurata eorum dictio sibi velit, ex ijs intelligi possit ac debeat, qui sine figuris opiniones antiquissimas ac dogmata enarrarunt, quales SANCHONIATHON, DIOD. SICULUS.

Poëtæ interim illi ea, quæ de Dijs injuriosè annunt, ipsimet primi non proposuêre, verùm ùt jam apud populum recepta ac opinionibus assumta confirmabant: præsupponentes quippe talia ac loquentes ùt de priùs jam obtinentibus, id V. D. ad §. 19. p. 426. ut flagitii non ita postulari possint, ac si Auctores fuissent corruptionis in republica, injuriosæque de Dijs opinionis; interim tali opem tulerunt, ac, ut latiùs propagaretur, fecerunt ib. p. 426. Quòd verò ad literam intelligendas fabulas proposuerint, patet etiam ex eo, quòd à PLATONE redarguantur, vid. EUSEB. *præp. ev.* XIII. 3. ut hic crediderit, non justè Homero &c. succurri allegoricâ explicatione; cùm & primis Græciæ temporibus homines aut nullam ferè aut corruptam habuerint ideam de Divinitate, de virtute; unde in tali Seculo injuriosissima de Dijs credita, quæ verò dein posteri, meliora edocti, ferre noluerunt, inde allegoricè sumserunt, [quo de mox] uti hæc CLERICUS loc. supra jam (sch. 1. §. 1375.) cit. seu *Bibl. choisi. to* 7. *art.* 2. p. 95. 99. Sapientiæ jam Antistites seu Philosophi, qui paulatim dein exorti, cùm perspicerent, ferri nec posse, quæ à Theogoniæ Scriptoribus [licèt jam hi humanæ Deorum originis aliquâtenus succurrere voluerint, ùt dictum] (sch. 1 §. 1375.) de Dijs tradebantur, ea ideò rejicienda v[i]debant; HOMERI verò ac talium auctoritas quià

stabat, item, qui Deorum illorum historiis nitebantur, festi dies, ceremoniæ [quod esset Theologia Urbium, seu politica] (prol. sch. §. 1.) nec non certamen cum Sacerdotibus populoque metuendum, eò tutissimè se recipiebant, ut Deorum historias ad res naturales traherent; contenderentque, Poëtas longè aliud, quàm quod verba præ se ferant, indigitare voluisse. Ita scil. Rationi & Philosophiæ suæ ac sibi consulebant, honori etiam Deorum ac Poëtarum, nec populum Sacerdotesve irritabant; vid. EUSEBIUS *præpar. ev. Lib. 1. Cap. 9.* p. 30. Contra explicationes autem allegoricas prolixum, stringentem ac notatu dignum, locum ex CLEMENTIS *Homil.* producit Cel. CLERICUS l. cit. p. 96. - - 98. aliud etiam adhùc contra eas argumentum profert p. 99. uti & quòd Poëtæ crediderint, tòt esse diversos Deos, quòt appellaverint, Jovem, Neptunum &c. qui nunquam ab ipsis confunduntur, ex illis ipsis clarè patere monet id V. D. ib. p. 112. 113. Viâ autem illâ semel apertâ, plurimi certatim arripuerunt methodum allegoricè interpretandi Deorum facta; quòlibet HOMERUM in suas partes trahere studente, Stoicis maximè mysticas hasce interpretationes deamantibus. Viam hanc inde & ingressus STRABO, Scriptor eruditissimus aliâs ac gravissimus, uti id notat ac locum ex eo producit laud. CLERICUS ib. p. 101. seq. ubi is fabularum utilitatem deprædicat in juventute instruenda: cùm ita libenter auscultet, ubi novi quid, quod simùl admirabile, narretur, inde Urbes ac Legislatores fabulas recepisse; item ad horrorem criminum incutiendum juventuti ac plebi, quæ rationibus philosophicis adigi se non patiatur, quò spectent, ut aptæ huic rei, fabulæ v. g. de Gorgonibus &c. ita & fulmina Deorum esse fabulas ad refrenandos homines, quæ adeò conducant, ut homines eò melius secum in Societate vivant; nec minùs aliarum utilitatem deprehendi, dum excitent ad Facta heroica imitanda, uti v. g. quæ de Hercule narrentur; ubi præsertim & per picturas ac statuas ejusmodi repræsententur. At, quod regerit CLERICUS p. 105. Strabo ex Philosophia Stoica hæc ita; & Legislatores primi fabulas recepêre, quià nil melius habebant: cùm id solùm restiterit ex antiquitate, ac eas narrare consueti moris fuerit; præterquàm quòd

&

& Legislatores forsan non satis rectas de Dijs habuerint notiones p. 107. Admitti nonnisi potest utilitas fabularum hôc modô, quòd scil. Poëtæ Tragici ex ijs diversas desumserint materias, themata, quæ eleganter elaborata, deducta, observationibus moralibus adornata, populo dein utiliter proposuerint, p. 105. interim semper verum manet, fabulas: cùm crimina Dijs attribuant, à Sapientibus profectas non esse.

Ex illis autem allegoricis vel mysticis explicationibus [necessitate ac metu pro honore Religionis, ùt patet, allatis] & mysteriorum originem repetendam esse eruditè monet suprà laud. Rev. ac Cel. MOSHEMIUS ad §. 14. p. 369. 370. nimirùm cùm, Sapientiæ studiô augescente, multi turpe ducerent Divinis afficere honoribus eos, quos ceremoniæ festique Dies declararent homines fuisse demortuos; Sacerdotes primùm, ne pernicioſa hæcce opinio in populi animos se insinuaret, ritus illos à conspectu hominum removisse; ut ita absconderentur, *mysteria* hinc fierent; paucis nonnisi, ijsque talibus, quorum probata fides, ad ea spectanda admissis. Pertinent verò mysteria ad Theologiam Urbium; seu quæ per Usus ac Leges in Græcia stabilita, & quam CLERICUS l. cit. p. 110. 111. eandem cum poëtica (μυθικὴ) fuisse, etiam post AUGUSTINUM, judicat: cùm huic ceremoniæ, institutæ ac receptæ, innixæ fuerint; & ceremoniæ eæ fuerint repræsentationes eorum, quæ fabulæ de Dijs continebant. A Religionis dein Christiana cùm Deorum cultui magnum immineret periculum, Philosophi Platonici [juniores, Religionis Christianæ Progressum inhibere annitentes, PLOTINI, PORPHYRII &c. magnò studiô methodum illam allegoricam sectabantur; ut hinc eos hac in re sequi minimè tutum sit, verùm per eos, qui fallere voluerunt, & alij inde fallantur. Idem & de aliis propterea Scriptoribus gentilibus tempore Christianismi valet, PHURNUTUM ideò Librum, de Natura Deorum composuisse CLERICUS monet p. 94. ut taceamus, qui ejusdem Religionis ævô Numina gentilium, Cererem, Venerem, Dianam, Isidem, Minervam &c. in unum refuderunt, qualis APULEIUS &c. eôdem V. D. notante.

Duratio ac finis Oeconomiæ legalis.

1421. Cùm autem hæcce Oeconomia expectarit Liberatorem, Math. 13: 17. Luc. 1: 68. ſeq. 2: 25. 38. utpote per typos repræſentatum (1390.), à Prophetis prænuntiatum (§. 1379.) ùt Auctorem ſalutis promerendæ, è cujus meriti anticipati virtute jus vitæ nanciſcebantur (§. 1413. 1415.), quin tota ejus ratio [uti Eccleſiæ in genere: Chriſtum quippe pro fundamento habentis] (§. 1323.) innixa fuerit Liberatore: per dicta (1409-1411.)), hicce verò Liberator advenerit in perſona Jeſu Nazareni (§. 875. 876.), ad promerendam ſalutem (§. 952. 958.), *Chriſtô in Carne manifeſtatô* (§. 878.), *per paſſiones conſummatô* (§. 926. 940.), ideò *ceſſare debuit V. T. Oeconomia*, hinc & *Cultus ceremon.* Eſ. 66: 3. Dan. 9: 27. Mal. 1: 11. ſiquidem lex de eo purè erat poſitiva (§. 1388.), ſtatui populi Iſraël. accommodata (ib.), hinc variabilis (§. 752.); etiam Cultus ille per ſe Deo gratus non erat Eſ. 1: 11. ſeq. è contrà multò magis accepta obedientia, 1. Sam. 15: 22. Jer. 7: 22. 23. Hoſ. 6: 6.

Sch. 1. In ſeq., quòd ita & factum ſit, per partes videbitur. Notandum hic, quòd jam in V. T. Statuta ceremonial. cedere aliquando oportuerit, uti circumciſionem in deſerto, Joh. 5: 5. 7. comeſtionem panum propoſitionis, 1. Sam. 21: 6. Paſcha Hiskiæ 2. Chron. 30: 5. relictionem ſuſpenſorum 2. Sam. 21: 9. 10. 14.

Porrò, quòd, etſi Statuta ceremonial. dicantur חקת עולם Ex. 12: 17. Lev. 23: 14. tamen inde non probetur duratio perennis: cùm vox illa & adhibeatur de rebus, quæ ſemper durare nec debuerunt nec potuerunt, v. g. de ſervitute ad Jubilæum uſque Ex. 21: 6. de Samuele coram Deo manſuro 1. Sam. 1: 22.

Terminus ille autem propterea adhibebatur, ut Iſraëlitis

raëlitis ad animum revocaretur, mandata talia non debere esse tantùm ambulatoria, in deserto solùm observanda, verùm dein proporro in terra Canaan. Notandum scil., legum illarum quasdam spectasse Israëlitas nonnisi in statu illo, v. g. illam de tabernaculo portatili &c. quasdam tùm demum, ubi in terra Canaan sedem fixissent, v. g. de Templo ædificando, consessibus judicialibus instituendis, alias verò; ubicunque essent, observandas fuisse, sive in deserto, sive in terra Canaan, quibus ideò prædicatum עולם additum; quò prædicatò & innuebatur, tamdiu debere observari, donec talis memorabilis adveniat periodus, quæ statum Israëlitarum immutaret, uti locis Ex. 21: 6. 1. Sam. 1: 22. memorabilis indigitatur periodus: ita STILLINGFLEETUS *Orig. S. Lib.* 2. *Cap.* 7. §. 7. 8. qui & totô hôcce *Cap.* videatur, ubi §. 11. 12. egregia quoad spiritualem Legis sensum & præmonitionem Dei de revelatione aliis etiam gentibus communicanda; quo de post (§. 1424.). Addendum, quòd & antiqui Rabbini agnoverint, temporibus Messiæ choragium Leviticum abrogandum ac cessaturum esse: vid. Vir in Veterum Rabbinorum Scriptis versatissimus Cel. SCHOETGENIUS *hor. to.* 2. *Lib.* 7. *Cap.* 1. ubi §. 9. benè id probati dicit vel ex illa Scholæ Elianæ traditione; porrò è τοῖς Medraschim loca profert, ubi habetur, temporibus illis sacrificia cessatura, nec amplius opus futurum vaccâ rufâ, §. 10. Festa omnia cessatura, exceptô expiationis die §. 11. quæ priùs prohibita, tùnc licita futura [ceremonial. scil.] non ampliùs fore immunditiem, Messiam talia munda pronuntiaturum, §. 12. Idem V. D. quoque ib. §. 16. ex *Jom.* 39. 2. Talmudistas commemorantes allegat, 40. annis ante Templum destructum sortem duorum hircorum [die expiationis] nunquam ad dextram cecidisse, vinculum laneum non esse factum album, neque lampadem occidentalem accensam, portas verò Templi a se invicem apertas fuisse.

Sch. 2. Hìc loci ideò & commodè aliquid tùm de signis adventûs Messiæ, qualia itidem ipsi Judæi antiquiores assignant, tùm de argumentis tam inde fluentibus, quàm aliis, quòd Messias advenerit [adhùc præter illa pauca] (sch. 2. §. 878.) monebitur, suppeditante

eôdem modô laud. Virô Cel.; qui *Lib.* 5. *Cap.* 2. è veteribus Hebræorum Doctoribus inter Signa illa ponit: in politicis, calamitates Israëli superventuras, p. 509. —— 512. in ecclesiasticis; quòd v. g. veritas tùm sit petitura, hinc doctrinæ falsæ orituræ, quòd scholarum corruptio sit futura, traditionum multiplicatio, Doctorum dissidia, tenebræ in doctrina, in populo interim fames Verbi Divini, p. 512.--514. porrò fore tùnc magnam latronum copiam, Decreta contra Judæos dura, totam regionem devastatam, p. 520. 521. Ut signum præcipuum ponit V. D. etiam è *Sohar*, temporibus Messiæ omnia esse renovanda, id est, novam introductam iri Oeconomiam, [quo de ad] (§. seq.) licèt huic testimonio corruptores illi veræ doctrinæ, Talmudistæ, jam falsum affinxerint sensum, p. 522.

Inter Signa quoque poni potest ille Veteribus Rabbinis jam decantatus Eliæ ùt præcursoris ante Messiam adventus, quo de V. D. *Lib.* 7. *Cap.* 2. ex *Jalkut* Simeoni, *Pirke* Elieser, & *Tanchuma*, ubi & de præparatione viæ; in quibus libris etiam Veteres adducunt Mal. 3: 1. jam verò id per Johannem Baptist. impletum; uti in Servatore nostro illud, quòd Veteres primæ revelationis Messiæ, id est, conceptionis, locum assignaverint Galilææam, ita in *Sohar*, è quo id Vir laud. *Lib.* 6. *Cap.* 1. §. 1. sicùt §. 9. ex eodem libro, quòd stella tempore ipsius apparuerit; porrò ijdem, Messiam asinô vectum iri.

Jam tùm hæc, quia ita evenerunt, argumenta fiunt, quòd Messias advenerit, tùm & alia adhùc è *Talmude* & antiquis Judæorum libris depromta pro eodem militant, de quibus V. D. *Lib.* 5. *Cap.* 1. & in prima classe illa ponit testimonia, quibus Judæi rotundè profitentur, Messiam jam venisse [è *Talmude*]; simùl &, quô profitentur, tempus Messiæ non pendere à meritis atque qualitatibus generationis. In secunda Classe illa sistit, quibus Judæi terminos Messiæ e V. T. libris definiunt, uti Gen. 49: 10. in q. l. notat, Veteres eum semper de Messia sumsisse, etiam exposuisse uti Christianos, scil. Messiam eô compariturum tempore, quô omnis Majestas ac superioritas ab Israële esset remota; jam 40. annis ante excidium ultimum etiam capitalia judicia fuisse ademta, ac Synedrium

drium locô pulsum, juxta Talmudistas in *Sanhedr.* & *Avod. Zar.* Ut nil dicamus de LXX. DANIELIS hebdomadibus, de loc. Hag. 2: 9. ad quem V. D. notat, Judæos duo nonnisi agnoscere Templa, & tamen fateri, Messiam debuisse sub secundo & ad id venire &c. In tertia Classe ea exhibet testimonia, quibus Judæi tempora Messiæ tanquàm dudum præterlapsa describunt; ubi præter celebratam illam domûs Eliæ traditionem è *Sanhed.* & *Avod. Zar.* alium ex eodem *Sanhedr.* locum producit, juxta quem Mundus non diutius quàm 85. jubilæa sit duraturus, ac ultimô horum filius Davidis venturus; è *Sohar* porrò ostendit, Judæos credidisse, tempus Messiæ post captivitatem Babyl. venisse; duo item è *Sohar* & *Sohar chadasch* loca depromit, docentia, Messiæ adventum millenariô quartô expectatum fuisse. Sic & notat, quòd 30. generationibus post exitum ex Ægypto Messiæ adventum ponant; generationem jam per 60. annos putatam efficere post exitum 1800. annos. Nec non, quòd eô tempore Messiam sibi promiserint, quô Imperium Romanum in eos [Judæos] potentiam suam esset exerciturum, & quô iidem Romani terram essent devastaturi.

Sch. 3. Exitus ille ac finis Vet. Test. in Scriptura dicitur אחרית הימים *ultimum dierum*, Es. 2: 2. Mich. 4: 1. quocum convenit ἐσχάται ἡμέραι Heb. 1: de qua phrasi Cl. SCOETGENIUS *hor. to.* 1. ad 2. Tim. 3: 1. notat, Judæos eam ita sumere, intelligere per illam finem Prophetiarum [tempore Messiæ]; ut tum harum finis sit ratio appellationis, tùm quia dies illi ultimi fuerunt tam Legis quàm Reipublicæ Judaicæ; designare phrasin illam interim etiam nonnisi tempus sequens Gen. 49: 1. licèt PETRUS locutionem אחרי כן Joël. 3: 1. explicet per ἐσχάτας ἡμέρας Act. 2: 17.

Prophetæ scil. quòd nonnisi ad tempus Messiæ usque prædictionibus pertingant, Talmudistas tenere docet Vir eruditiss. ad Matth. 11: 13. Servatorem hinc placitô hôcce Talmudistarum vel dictô [Ipsô longè antiquiori] Judæos convincere voluisse ac potuisse: adesse tempus Messiæ. Perspici & è loco MATHÆI, Prophetas ac Legem eundem habere terminum, jam verò

verò legem [umbris ac typis suis] nonnisi ad Christum usque se extendisse, hinc & Prophetias, conf. Dan. 9: 24. ut sententia opposita Christianos faciat judaizantes: dum scil. Judæi vaticinia usque ad tempora præsentia & adhûc ulteriùs extendunt, eò quod Messiam nondum advenisse velint. Hæc interim nostra nunc non facimus; huncce Schoëtgenii locum obelô notavit ac perstrinxit quidam V. D., qui Observation. Theol. --- philolog. publicavit. Eundem illum exitum V. T. seu tempora Messiæ Judæos & nomine קץ designare notat idem Vir laud. *to.* 2. *Lib.* 1. *C.* 2. p. 30. 31. hùc & refert p. 26. illam συντέλειαν τῶν αἰῶνων Heb. 9: 26. de qua ipsa verba adscribere non piget, ubi ita » à pau- » cissimis Interpretum hucusque intellectum est; rectè » CAMERO ad ea verba sic commentatur: *non est* » *hoc torquendum sed accipiendum simpliciter, ut* finis » Seculorum *hîc dicatur, quod alibi ab Apostolo* pleni- » tudo temporum, *&* ἐσχάται ἡμέραι, *quod & hebr.* » אחרית הימים, *tempus nempe illud, quô absoluta* » *est omnibus partibus Oeconomia, quâ Deo visum est* » *uti in Ecclesia colligenda & gubernanda, usque ad ad-* » *ventum Christi &c.* rectè quoque JAC. CAPPEL- » LUS &c. GROTIUS conferri jubet loca Matth. 13: » 39: 40. 24: 3. 28: 20. de primo facilè concedo, » de duobus postremis injuria fiet Textui S. Ne » igitur hæc verba torqueamus, considerabimus 1. cur » Apostolus dicat αἰώνων, non verò αἰῶνος; ratio hæc » est, quià duo erant עולמים, nimirum עולם הזה » & הבא; consideremus 2. cur dicat: non τέλος, » sed συντελείαν; respondeo, hoc accuratissimè in tem- » pus Messiæ nostri congruere: cùm enim ille veniret, » finis aderat τοῦ עולם הזה, & initium τοῦ עולם הבא; » igitur duo τέλη, duæ extremitates & termini ho- » rum עולמים sive αἰώνων semet invicem continge- » bant; nos quoque rem commodè sic exprimimus; » die beyden Ende fliessen zusammen. Hæc est il- » la συντελεία τῶν αἰώνων; cui phrasi nullus Auctorum » profanorum vel minimum lucis fœnerabitur.

Hùc & refert Vir eruditiss. locum 1. Cor. 10: 11. ad quem etiam *hor. to.* 1. notat, quæ dictis jam continentur; exempla è Veteribus affert.

Sch. 4.

Sch. 4. Intervallum autem illud à Moſe usque ad Chriſtum ſuas omninò habuit, easque valdè memorabiles, mutationes, revolutiones, per eventus inſignes, quibus Status Eccleſiæ tam internus quam externus admodum fuit variatus; ut inde Fata Eccleſiæ poſſint dividi in *interna* ac *externa*. Poſſunt verò commodè tres [uti in prima Eccleſiæ ætate] (ſch. 2. §. 1377.) conſtitui periodi: nempe 1. ab exitu ex Ægypto usquead extructum à Salomone Templum [inſignem quippe in Eccleſia eventum] 480. annorum; 2. ab ædificato Templo ad reditum usque è captivitate Babyl. 476. annorum; 3. inde usque ad Meſſiam exhibitum 537. annorum. Determinantur adeò & per duo Templa ac Liberatoris adventum; vel locò ſecundi Templi per reditum populi è captivitate. De periodo ſub ſecundo Templo [quæ tertia] notandum, quòd idololatria tùm apud Judæos nulla ampliùs obtinuerit; Sectæ autem inter eos exortæ ſint, notiſſimæ illæ &c. de quibus & innumeri, vid. vel ſolùm PRIDEAUX *To.* 2. [Vers Germ.] *Lib.* 5. p. 334. ſeq. porrò quòd Templo illi & ſub eo res quædam præcellentes defuerint, quibus prius Templum vel & Eccleſia ſub eo gaudebat; de ijs idem eruditiſſ. Vir *To.* 1. *Lib.* 3. p. 145. - - - 162. tanquàm de rebus, quas ùt ſigna extraordinaria gratiæ Divinæ Judæi tùnc defeciſſe dicunt, ac fuiſſe 1. arcam fœderis, & quæ in vel ad eam [ſcil. virgam Aaronis, urnam Mannæ & tabulas fœderis] ac propitiatorium; 2. Shekinam: 3. Urim & Thummim; 4. ignem Sacrum; 5. Spiritum Prophetiæ; etiam 6. fuiſſe oleum ſacrum; alios autem numerum quinarium retinere, Spiritum Prophetiæ & Shekinam ſimùl comprehendendo. Interim hæc non ita, uti Rabbini perhibent, tùm defeciſſe vult ac diſceptat eruditiſſ. BERNARDUS *ad Joſephi antiq. Lib.* 3. *Cap.* 8. p. 167. 168. De eadem periodo opponenda hìc quoad Tribum Judam obſervatio SHERLOCKI *Uſ. & fins des Proph. Diſc.* 6. p. 172. 173. nimirum rediiſſe eam è captivitate, populum diſtinctum formaſſe, usque ad ultimam per Romanos deſtructionem, præſervatam fuiſſe, cæteris Tribubus peſſundatis; ut implerentur promiſſiones ipſi factæ de Schiloh & reliquæ quoad ſemen benedictum.

Sch. 5.

Sch. 5. Historiæ ac eventus hujus Ecclesiæ ætatis, etiam priores [seu quòusque Historici Sacri pertingunt] nec solùm posteriores, ubi Historici gentiles tempora illa aliâs illustrant, à Scriptoribus hisce quoque memorantur; quô inde & veritas factorum in Scriptura narratorum confirmatur. Sic quoad Mosen, illustrem maximè hujus ætatis personam: fundatorem quippè Religionis Judaicæ instrumentalem [qui inde gentilibus non potuit ignotus manere] quis nescit mentionem ejus fieri à DIODORO SIC. *L.* 1. STRABONE *L.* 11. 16. JUSTINO *L.* 36. TACITO *Hist. Lic.* 5. ? qui & alias Judæorum mentionem injiciunt, falsis licèt non paucis admixtis; licèt antiscriptuarii adhùc audeant Auctorum horum narrationes MOSIS præferre narrationi; quæ verò discutere non est hujus loci, vid. quædam apud doctiss. nostrum STAPFERUM *inst. Th. Polem to.* 2. *Cap.* 10. §. 267. - - 271. contra TOLANDUM in specie, qui ad ductum STRABONIS Judæos Ægyptô ortos propugnavit, vid. BUDDEUS *Hist. eccles. V. T. to.* 1. p. 436. - - - 440. Non dicimus de aliis antiquioribus adhùc Scriptoribus, quorum deperditorum loca adduxit, ac hinc servavit EUSEB. *præp. ev. L.* 9. ubi vid, quæ ad hancce pertinent ætatem, *Cap.* 26. - - - 41. & ante ipsum aliorum JOSEPHUS præcipuè *libr. cont. App.* 1. ubi etiam *Cap.* 9. 10. MANETHONIS quod Judæos fabulas explodit; *Cap.* 11. CHÆREMONIS Historici itidem Ægyptii [de quo quædam VOSSIUS *de Histor. græc. Lib.* 2. *C.* 1. quòd scil. sub Augusto vixerit, & hieroglyphica ac res Ægyptias conscripserit, ob insciti am autem & arrogantiam ludibrio sit habitus, vanissimus Scriptor] *Cap.* 12. LYSIMACHI [quem Vir magnus modò laud. *Lib.* 3. p. 384. eundem putat esse cum illo Alexandrino, incerti autem temporis, qui & de agricultura commentatus, cujus operis PLINIUS sæpiùs mentionem faciat; aliô ab eo Lysimacho hippocratio].

MOSIS autem memoria ac fama inter gentes non ita cum HUETIO [Episcopo Abrincensi Celeberr.] magna ac ubivis pervia est concipienda, ac si gentiles Numina sua ad ejus formam [qui vel quæ in ijs latiter] effinxerint; quo de & jam aliquid (sch. 2. §. 1375.);

aut

aut ac si ea, quæ aliquam cum rebus in Mosis libris contentis habent convenientiam, ex hisce fuerint suffurati, hinc MOSIS libros legerint. Ut omninò Vir ille longè doctiss. modum excessisse in utroque tùm *Demonstr. evang.* tum *Alnet. quæst.* seu *de Concordia Rat. cum fide* opere existimandus sit; princip. Rat. suff. ferè seponens [uti fit, ubi hypothesin quis semel assumsit: cùm eam ita deperiat, ut ubivis invenire cupiat] è contrà imaginationem in talibus sequens.

Licèt nec ita tenuis existimanda sit fuisse notitia de Mose ac Judæis inter gentes, ut ante Alexandri M. tempore & ipsum illorum nomen hisce ferè ignotum fuerit [uti HERODOTO] prout vult eruditiss. VAN DALEN *diss. super Aristea Cap.* 10. p. 74. 75. JOSEPHO satis infensus. Potiori verò jure V. D. HOMERUM, HESIODUM aut Pythagoram PLATONEMque è Libris Sacris varia hausisse pro lubrico habet *Cap.* 26. 27.

Ut revertamur ad commemorationem Factorum in Scriptura narratorum apud Historicos exoticos [missis aliis brevitatis gratiâ] commemoratu dignum est, quod JOSEPHUS *Antiq. Lib.* 8. *Cap.* 2. §. 7. & præcipuè *cont. Appion. Lib.* 1. *Cap.* 5. è DIO & MENANDRO [utroque celebri rerum phœniciarum Scriptore; de posteriori; qui Ephesius, quædam VOSSIUS *Lib.* 3. p. 386. quòd in literas retulerit actus Regum apud Græcos & Barbaros, eos colligens è libris provinciæ cujusque, ut eò magis credibilis esset] producit quoad Salomonem ac Hiramum, archivis Tyriorum ita confirmantibus ea, quæ Scriptura. Talia verò & alia à Viris Eruditis jam undique conquisita discussaque exhibentur: uti notissimi sunt GROTII, HUETII modò cit. [licèt hic etiam quoad illa, quæ tangunt ea, de quibus in Libris S. post Mosen, modum itidem excesserit] JAQUELOTII Liber *de l'exist. de Dieu* &c.

1422. Quare cùm lex ceremonial. fuerit jugum, tùm ob plurima onerosa, quæ injungebat, tùm ob additam execrationem in transgressio- *Inde oriens Oeconomiæ tertiæ prærogativa.*

res,

res, etiam quia sub hac sanctione omnia & minima in Cultu ùt regula exactissimè determinabat, vid. (§. 1386. & sch.), libertatem adeò in hocce actionum externarum genere, quæ aliâs Ecclesiæ potestati subsunt, prorsùs restrinxerit: cùm per illam è pluribus æquè possibilibus, & neutiquam in se aliquàtenus malis, eligere non licuerit, in quo verò libertas consistit (*Met.* §. 519.), *per abrogationem Legis ceremon. hôcce intervallô, seu tertiâ Oeconomiâ libertas Ecclesiæ est reddita, & hæc est prærogativa tertiæ Ecclesiæ ætatis.*

Sch. 1. Vid. de hacce tertii intervalli prærogativa Cl. p. m. LAMPIUS Gnaden-Bund *to.* 4. *P.* 2. *Cap.* 25. §. 8. ——— 13. Scil. [ùt per se patet] cum Lege cerem. etiam Sacramenta ejusdem Oeconomiæ cedere ac cessare debebant: cùm & ipsa inter umbras ac onus pertinuerint, Statui populi fuerint accommodata: dùm in beneficiis huic exhibitis rationem habebant, vid. (§. 1418. & sch. 3. 4. ib.). Leges forenses magis adhùc fuerunt abrogandæ; quoniam non solùm Statui populi erant accommodatæ, hinc variabiles; vid. (§. 1403. & sch.), sed & ad Ecclesiam quâ talem per se non pertinebant, verùm nonnisi mediante Lege cerem., & ob hanc (§. 1396. & sch. 2. ib. §. 1398.), item ob regionem promissam, fœdere externô ac tempori comprehensam & possessam: conf. (§. 1403. 1406. coll. 1408.). Libertas adeò Ecclesiæ reddi debebat neutiquam [ùt quivis per se videt] à Lege morali, sicuti aliâs Antinomi periculosè sentiebant, de quibus aliquid SEILERUS *Anabapt. larv. P.* 1. *Cap.* 3. p. 49. seq. nec etiam libertas quoad subjectionem civilem seu Magistratui politico debitam, prout Anabaptistæ [saltem plerique] volebant: vid. idem *P.* 2. *Cap.* 18. & SPANHEMIUS *elench. controv. cum Anabapt. contr.* 25. cùm talia sint juris immutabilis: per (princ. *Mor.* & *Polit.* vid. & §. 1383.) hinc CHRISTUS & Apostoli adhùc confirmarint, Matth. 5: 17. Rom. 3: 31. & alibi per totum N. T.: fide quippe vivâ & bonorum operum necessitate id postulante (§. 1173. seq.),

Sch. 2.

Sch. 2. Sicuti autem plurimis ex Israële aut plerisque ferè lex de Ceremoniis non jugi instar erat, verùm eam magni faciebant ac demabant, ita inde, sicuti in genere, ubi res in alium transferendæ Statum, ac insignes suscipiuntur mutationes, difficultatibus obnoxiæ sunt, ac resistentiam patiuntur, ita idem quoad Legis illius abrogationem [unde tamen Ecclesiæ prærogativa enasci debebat] fiebat: dùm recens è Judæis conversi vix ac ne vix quidem splendorem illum Cultûs cerem. ac ritus sacratissimos, à Deo injunctos, mittere poterant.

Jam tùm scil. Judæi, ubi fermentum pharisaicum omnia corruperat, antiquam Patrum Catechesin non amplius tenentes, de vera Legis ceremon. ratione ac scopo perversè sentientes, præjudicio hocce laborabant, legem eam perpetuam debere esse; unde modernorum Judæorum, qui altissimas apud eos radices egit, error est, legem dictam in perpetuum, etiam sub Messia subsistere debere, quibuscum ideò hac super re gravissima intercedit controversia; vid. SPANHEMIUS *elench. &c. cum Judæis contr.* 16. - - 19. licèt saniores inter Veteres aliter sentirent, ùt memoratum (sch. 1. §. 1421.). Illud igitur Judæorum præjudicium non poterat non nascentem apud ipsos Ecclesiam Christianam turbare, quod ideo Apostolis [qui verò & ipsi ab initio totalem omnium ceremonialium cessationem, saltem quoad rem cibariam aut nondum prorsùs admittebant, aut nondum satis noscebant: vid. Act. 10: 14. 15.] multum negotii facessebat; Synodicè ideò se congregare necesse ducebant, ut per decisionem ac discussionem harum rerum bono Ecclesiæ prospiceretur, Act. 15: 6. seq., præsertim cùm id necesse esset ob infirmos, quibus adhùc, ne damnum majus oriretur [dum scil. plantationi Ecclesiæ offeciset] accommodare se pauliſper conveniebat, vid. ib. v. 20. 29. & Rom. 14: 1. seq. licèt aliâs lex ceremoniarum cessare deberet, ac, ut nullâtenus conversis imponeretur, in Concilio illo decerneretur: vid. v. 10. 19. quo de præter SPENCERUM eruditâ de eo *diss.* vid. etiam LEONHARDUS diss. *de decreto Concilii Hierosolym.* Jen. 1725. Fomentum verò eâ ætate turbis addebant pseud-Apostoli; contra quos ideò Apostolis fortiter erat dimicandum: vid. Gal. 2: 4. 5. 5: 12. seq.

Dum fœderis externa faciliora reddita

1423. Quoniam jam lex cerem. pertinebat ad fœdus cum Israëlitis, seu fœdere cum ijs, particulari etiam, erat comprehensa (§. 1406. coll. 1408.), *fœderis dispensatio sub ætate* [*ùt* itidem *prærogativa*] *multò deveniebat facilior.*

Hùc & referri potest illa fœderis alius promissio Jer. 31: 31. seq. Tantô magis autem fœderis illa dispensatio vel exhibitio quoad externa facilior fiebat, dum & Sacramenta, signa fœderis onerosa, abrogabantur (sch. 1. §. 1422.). Patet interim satis, prærogativam hancce ab illa (§. 1422.) reapse non diversam esse.

Religio ac Ecclesia inde inter populos dilatabatur.

1424. Hæc autem Legis cerem. & jugi abrogatio ac fœderis dispensatio facilior propterea requirebatur, *ut doctrina salutis de unico vero Deo ac Messia propagari quoque inter gentes, ac ijs instillari posset* [quod appellatur *vocatio gentium*] Eph. 2: 13. seq. *quæ alia erat ætatis tertiæ prærogativa*: quippe ut vera revelatio & doctrina salutis intra arctos solùm Cananææ limites maneret, nec ulteriùs se extenderet, bonitati Dei, naturæ veræ Religionis ac Ecclesiæ nullâtenus conveniebat, è contrà ut via ad salutem pluribus, & reliquis populis aperiretur: vid. (§. 113. 309. 1375.); unde & per Prophetas vocatio gentium prædicata, ex. gr. Es. 49: 6. 60: 3. seq. imò jam in promissione Abrahamo facta, Gen. 22: 18.

Sch. 1. Lex cæremon. erat illud μεσότοιχον τῆς φραγμοῦ Eph. 2: 14. separans Judæos ac gentiles, id est, quàm diu staret, aditum aliis ad veram Religionem intercludebat. Locutione autem eâ Cl. Schoettgenius non tam ad cancellos illos, qui in Templo

plo secundo aditu alienigenas prohibebat, respici judicat, quàm verò ad consuetudinem Judæorum [jam eorum temporum] qui, ubicunque locorum habitent, lubentissimè semper ita versari velint, ut vel murô vel ponte, vel aliô quôcunque modô ab aliarum Religionum assecIis divisi sint ac separati. Pariete ergo intergerinô, homines dividente ac separante sublatô, unio fit, discrimen personarum Statûsque ampliùs non attenditur; quò pertinet, quod Apostolus Gal. 3: 28. in q. loc. Rever. ac eruditiss. ELSNERI verba adscribere juvat, ubi [postquàm probasset, vocem ἕν neutiquàm librariorum vitiô pro ἓς positam esse: cum apud probatissimos occurrat Authores Græcos] ita: »opponit hæc »Apostolus cùm Judæis tùm paganis; ingens fuerat »discrimen inter Judæos & Græcos seu paganos ob μι»σότοιχον τῦ φραγμῦ, Eph. 2: 14. 15. quin etiam »plurimùm intererat inter Judæos, *mares & fœminas*, »*liberos & servos*, sic ut in Sacris non eâdem prærogativâ gauderent; mulieribus ultrà atrium mulierum pro»gredi non licebat --- atque à ritibus compluribus non »oneri sed honori cedentibus eximebantur *ethnici*, quos »hîc ἕλληνες vocat PAULUS, *mulieres & servi* --- a»pud paganos à Sacris & Templis arcebantur *servi*, »quæ liberis hominibus patebant &c.» Mulieres quoque à Sacris nonnullis abactas probat V. D.

Sch. 2. Gentium vocatio, licèt à Prophetis prænuntiata: Es. 2: 3. 4. 60: 2. 61: 4. 5. 65: 1. 25. [& inde à veteribus, vel sanioribus Hebræorum Doctoribus credita, qui regnum Messiæ per congregationem gentium dilatandum tenebant: vid. Cl. SCHOETGENIUS *hor. to.* 2. *Lib.* 7. *Cap.* 1. §. 26. - - 31. ubi è *Sohar.* id probat] itidem tamen materia litis erat apud recens conversos è Judæis, qui, cùm se progeniem Abrahami gloriarentur, Joh. 8: 33. 39. [ubi vid. id. Vir. Cel. *hor. to.* 1.] persuaderi sibi vix patiebantur, quòd & gentes, canum instar ferè Judæis reputatæ [quò facit Matth. 15: 26. in quem loc. Vir laud. uti & Apoc. 22: 15.] æquè participes esse debeant bonorum Messiæ; sicuti & Judæi recentiores adhuedum errore istô sunt præoccupati: vid. SPANHEMIUS *elench. &c. cum Jud. contr.* 20. Apostoli propterea necesse habuêre

præmunire suos contra præjudicium illud: vid. Rom. 10:12. 20. 11:11. seq. 15:9. seq. Per hancce gentium vocationem Japhetus pellectus fuit ad tentoria Semi, Gen. 9:27. gentilismus ùt oleaster genuinæ ac bonæ olivæ insertus, Rom. 11:13. seq. gentiles, qui priùs remoti, propinqui facti, Eph. 2:13. ad q. l. Cl. SCHOETGENIUS notat, Veteres Rabbinos phrasi priori indigitare: remotum esse à vero Deo ac vera Religione; posteriori autem: Deo ac veræ Religioni adjungi; loca affert p. 761. — 763. & ita concludit: »sic »ergo PAULUS propinquos vocat, qui ad Christum »accesserunt, remotos verò, qui in Judaismo & Paga»nismo versantur;» phrasin eam quoque ex V. T. esse desumtam, Es. 57:19. ac in eam PAULUM digitum intendere infra v. 17. Non obstante interim hâcce gentilium associatione Judæi semper adhuc prærogativâ quâdam gaudebant ac præcedebant: Act. 13:46. Rom. 1:16. Dilatabatur adeò valdè tempore tertiò Ecclesia; vid. de hacce prærogativa, quæ Cl. LAMPIUS Gnaden-Bund *to.* 4. *P.* 2. *Cap.* 24. uti quoad historica, seu ubinam & quomodo Ecclesia inter gentes fuerit plantata, historia Ecclesiast. consulenda; facit hùc præter alia Celeb. Literatoris Hamburgensis J. ALB. FABRICII *lux Evangelii &c.*

Prioribus temporibus scil. pauci nonnisi [hic vel ille] è gentilibus Ecclesiæ Judaicæ se aggregarunt, *proselyti* dicti; inferuntur eò [inter proselytos שער] Nabuchodonosor, Naaman Syrus, Cornelius Centurio; inter illos צדק: Herodes Idumæus, Onkelos Paraphr., Nicolaus Antiochenus, Act. 6:5. inter Proselytas: Hagar, filia Pharaonis, Zippora, Mosis uxor, Rahab.

Inde &, quia Ecclesia certæ cuidam regioni vel populo non amplius debebat esse ac erat adstricta, oracula, quæ temporale quid, regionem ac populum respiciens, involvebant (sch. §. 1411.), cessare debebant ac cessarunt, uti monet SHERLOCK *Usag. & fins des Proph.* p. 157. fœdus scil. seu Oeconomia fœderis sub Evangelio nil temporale secum ferre debuit, uti illud sub V. T. (§. 1406.).

Medium, per quod id fac-

1425. *Vocati* autem *fuêre gentiles* [sicuti & Judæi] *per doctrinam multò*

multò clariorem eâ sub prioribus Oeco- *tum.*
nomiis, ac amplificatam, ita ut plenè omnia in se continuerit, quæ etiam erat intervalli Ecclesiæ tertii prærogativa: Hebr. 8: 11. quippe cùm doctrina salutis sub prioribus Oeconomiis obscuritate laboraverit ac imperfectione Jer. 31: 34. vid. & (§. 1416.), & verò res sensim ad perfectionem perducere conveniat, hinc etiam doctrinam per gradatam explicationem, qualis quoque facta sub Vet. T. (§. 1382.); porrò per Propheras lux sub Messia prædicta fuerit Es. 9:2. 60: 1. 2. conf. 2. Pet. 1: 19. ea suò tempore etiam exoriri debuit, ac prædictiones impleri; factum id in Apostolis Christi luce doctrinæ collustratis, & per eos doctrinam annunciantes, propositam in superioribus, præcipuè Loc. III. VIII. IX. & adhùc in seq. exponendam Loc. XII.

Sch. 1. Quòd Sapientia Divina non amet res statim & primâ vice perducere ad perfectionem, vid. etiam (sch. 2. §. 649.): ubi habetur scil., quòd si ab extremo ad extremum transire velit, peragret priùs intermedia.

Cognitionem de Messia & annexis obscuram adhuc sub præcedentibus Oeconomiis necdum perfectam fuisse, qualis libris N. T. contenta, satis probatur & perspicitur v. g. è sch. 1. §. 1417.).

Sch. 2. Locum Es. 60: 1. *ut* Midraschim de Messia sumunt, & aliàs sæpè de eo loquentes lucem ac lucis effectus prædicant, notante SCHOETGENIO *to.* 2. *Lib.* 2. p. 188. etiam *Lib.* 7. *Cap.* 3. §. 5. 6. Jer. 31: 34. quòd itidem de Seculo Messiæ sumant, vid, ib. locis in indice citatis; antiquos Rabbinos inde & magnitudinem cognitionis temporibus Messiæ orituræ deprædicasse ostendit idem Vir Cel. *to.* 1. ad Heb. 8: 11. & *to.* 2. *Lib.* 7. *Cap.* 4. ubi §. 3. in *Jalkut* SIMEONI septem res Messias Israëlitis ostensurus dicitur: paradisum, infernum, resurrectionem, judicium impiorum &c.

lux septupla accendenda tempore Messiæ, §. 5. & alia in aliis antiquis libris. De cognitione verò sub hacce tertia Ecclesiæ Oeconomia, & prærogativis, quæ hùc pertinent, vid. Rev. p. m. LAMPIUS **Gnaden-Bund** *to.* 4. *P.* 2. *Cap.* 23. Exoriebatur autem lux ea per Spir. S. mensuram majorem, itidem promissam ùt prærogativam sequentis Ecclesiæ ætatis, Es. 44: 3. Joël. 2: 28. 29. Spiritu hôcce non solùm spargendô sed effundendô largiter, idque vel *ordinariè* vel *extraordinariè*; priori modô per dona cognitionis, amoris & solatii augmentum inde resultans; posteriori per dona miraculosa [quò & jam pertinet quoad V. ac N. T.] (sch. 1. §. 121. §. 141. 142. & sch. 1.) & quidem mediis etiam externis extraordinariis: ita Apostolis communicatus fuit extraordinariè Festô Pentecostes, Act. 2: 2. seq. juxta Promissum Magistri Divini Joh. 14: 16. Act. 1: 4. 5. ac prædictionem Joël 2: 28. quem locum antiquos Judæorum Doctores de Seculo Messiæ intellexisse probatum dat Vir modò laud. *hor. to.* 1. ad Act. 2: 16. ex *Bammidbar Rabbah & Jalkut* SIMEONI. Dotati scil. Apostoli ibi fuêre 1. doctrinæ salutaris perfectâ ac infallibili cognitione; 2. virtute miraculosas ad probationem missionis suæ Divinæ edendi actiones; 3. linguarum anteà sibi ignotarum notitiâ. Præsentiam & operationem suam Spiritus S. ostenderat mediante ventô validô [quod aliâs quoque factum à Deo: vid. 1. Reg. 19: 11.] & per linguas igneas divisas; ventus scil. ille [ùt & monet Cel. egregiarum illarum in N. T. è græcis annotationum Auctor, Rev. ELSNERUS ad Act. 2: 2.] erat præsentiæ Divinæ signum: unde & Deus עַל כַּנְפֵי רוּחַ volare dicitur Ps. 18: 11. citat etiam V. D. tragicum Poëtam, & Josephum, qui præsentiam Dei in monte Sinai inter alia per ἀνέμους σφοδρὰς indicatam fuisse scribit; inde & sensum petendum Symboli Pythagoræ: ἀνέμων πνεόντων τὸν ἦχον προσκύνει innuit Vir Clar.; totam porro in textu Act. 2: 2. impletam dici domum, uti olim totum Templum Es. 6: 1. 4. conferri vult Ex. 40: 34. 1. Reg. 8: 10. 11. hæc Vir laud. Jam ad ignem, de quo ibid., insignitur nomine *linguarum*, quia, dum sursum petit semper, figuram induit linguis haud absimilem, unde hebr. לְשׁוֹן אֵשׁ Es. 5: 24. ac Deus, ubi præsentiam

suam

ſuam teſtari voluit, id ſæpiſſimè fecit per ignem aut aliquid affine: quò pertinet columna ignis & nubis Ex. 13:21. fulgur in Legislatione 19:16. ſplendor veſtium Luc. 24:4. Per dona illa jugulum petebatur idololatriæ Orbem aliàs uſque hùc opprimentis ac inundantis, atque ita vocatio gentium procedere poterat.

Num autem oracula gentilium Chriſtô adveniente ceſſarint, non eſt hujus loci inquirere; negat hancce quæſtionem ERDMANN *Orat. de Oraculis Chriſti nativitate &c.* Lipſ. 1734. Pertinet eò, & [quod non planè permittendum, quin ſaltem tribus verbis de eo moneatur] vis ac virtus cognitionis illius gentibus inſtillatæ ſingularis ac ſaluberrima in abrogandis ac eradicandis abuſibus receptis vel ritibus crudelibus; ſcil. præter illam immanem ἀνθροποθυσίαν & τεκνοθυσίαν per Evangelium profligatam, erat v. g. expoſitio infantum, apud Romanos, uti & Græcos; erant ludi gladiatorii ac θηριομαχίαι, erant alii ludi, ubi minima, ſcurrilia peragebantur, ac turpiſſima repræſentabantur, Principibus etiam valde deamati; erat ſervitus, duriſſimum ac infelix vitæ genus, ubi ſervi mancipia fiebant, crudeliter tractabantur, ad inſtar aliarum mercium vendebantur; de quibus conſuetudinibus impiis Antiquitatum Scriptores paſſim, vid. ex gr. quædam apud doctiſſ. BRUNINGS in laudatiſſ. *Antiq. græc. Compend. Cap.* 1. p. 5.-7. & *Cap.* 5. NIEUPOORT *rit. Rom. Sect.* 4. *Cap.* 5. jam ope lucis evangelicæ talia opera tenebrarum ſenſim deſiêre, quibus aliàs abrogandis nec edicta Principum, minùs Philoſophorum Præcepta ſuffeciſſent.

1426. Quare cùm ea, quæ in priori Oeconomia, quæ & *Vetus* audiebat (§. 1406.), ceſſarint, abrogata & antiquata fuerint (§. 1421.), è contrà alia, nova in eorum locum ſucceſſerint (§. 1422--1425.), ætas hæcce tertia jure dicitur *Teſtamentum Novum*, vel *Oeconomia Teſtamenti Novi*: cùm &, quod priori ſuccedit ac incipit, uti hæcce Oeconomia (ib.), eô ipſô ſit novum, unde quoque id nominis fert Heb. 8:7. 13. 9:15. *Nomen Oeconomiæ hujus tertiæ.*

Sch. 1. A CHRISTO ipso dicitur καινὴ διαθήκη Matth. 26: 28. Luc. 22: 20. de qua quippe dici potest: τὰ ἀρχαῖα παρῆλθεν, ἰδὺ γέγονε καινὰ τὰ πάντα, 2. Cor. 5: 17. nomine *Cœli novi & terræ novæ* insigniri Es. 65: 17. 66: 22. judicat Cel. libri hujus Interpres VITRINGA, ac vult innui renovationem Ecclesiæ tempore Apostolorum, contra illos, qui de renovatione Mundi physica exponunt, uti BÜRNETIUS &c. Legem novam quoque Deum per Messiam daturum esse, quæ & *Fœdus Novum* dicatur, comparatè ad quod Mosaicum sit imperfectum, antiqui Rabbini tenebant, ut memorat sæpius jam laud. SCHOETGENIUS *hor. to. 2. Lib. 7. Cap. 1. §. 19. 20.* Defectus etiam prioris Oeconomiæ quia non ampliùs remanserunt vel adhæserunt huic novæ, ideò hæc variis insignitur nominibus appellationibusve, dignitatem ejus innuentibus: ubi v. g. dicitur *annus beneplaciti Jehovæ* Es. 61: 2. *dies salutis* 2. Cor. 6: 2. vid. LAMPIUS Gnaden-Bund *to. 4. P. 2. Cap. 21. §. 1. - - 5.* Adscribere hùc & juvat verba modò laud. SCHOETGENII ib. §. 25. » illam præstantiam »Ecclesiæ N. T. Deus per Prophetas sub antiquo fœ»dere viventes sic adumbravit, ut locutionibus typicis »& figuratis uteretur: ex. gr. lupos cum agnis pa»sturos, gladios in ligones & vomeres esse convertendos, splendorem Solis tùnc septuplò clariorem fore, »& si quæ sunt hujus generis alia: omnia hæc vati»cinia à Judæis antiquis de Messia intellecta sunt, quem»admodùm *Liber* 2. satis superque docet ----- nimirum »sensus mysticus hìc locum habet; id quod ipsi recen»tiores quoque fatentur ---- nedum antiquiores. Fa»cessant igitur portentosæ recentiorum interpretationes, »quibus spem suam de Regno Messiæ mundano su»perstruunt &c.

Non prætereundum hìc est, Judæis Oeconomiam sub Messia dici עולם הבא, uti priorem עולם הזה; licèt enim ex Eruditis fuerint, qui contenderent, per locutionem עולם הבא Judæis nonnisi denotari Seculum retributionis post hanc vitam (עולם הגמול), uti eruditiss. RHENFERDIUS geminâ *diss. de Seculo futuro, Opp. philolog.* p. 34. seq. in quarum secunda p. 52. testimonia Rabbinorum exhibet, in *vindiciis* verò aliâs sententiam suam stabilire sumit, tamen Clar.

Operum

Operum ejus Editor DAV. MILLIUS in *præfat.* ijs præmissa judicat, utut phrasis illa Seculum retributionis sæpè notet, tamen & non minùs apud Veteres Rabbinos notare dies Messiæ; ùt jam anteà id. ostendere sibi sumsit Cl. WITSIUS *diss. de Seculo hoc & futuro*, quæ extat in MEUSCHENII *N. T. è Talm. illustr.* p. 1172. seq. Postmodum verò & Vir Scriptorum veterum Hebræorum callentissimus CHR. SCHOETGENIUS eruditissima sua cogitata de illa memorata quæstione controversa aperuit *diss. de Seculo hoc & futuro*, subjuncta *hor. to.* 1. idque ita, ut Witsii sententiam probet, addens, quòd loca quædam Talmud. & Rabbin. Rhenferdium non convicerint, inde factum esse, quia seductus fuerit [uti qui cum eo faciunt] per illa tria, quæ apud Judæos occurrunt, & quæ non satis distinxerint, scil. עולם הבא, עולם הזה & ימות המשיח; utramque posteriorem phrasin duplici sumi sensu, vel latò vel strictò; hôc posteriori notare illud tempus, quò Messias in carne venit ac præsens fuit; illô verò, latô sensu omne tempus ab ascensione Messiæ usque ad finem Mundi. Unde mirum non esse, quòd עולם הבא aliquando diebus Messiæ præponatur, ob diversum scil. sensum, quô phrases illæ sumuntur: quum עולם הבא incipiat cum initio N. T., & dies Messiæ durent ad finem Mundi usque.

Eadem hæcce stabilit adhùc Vir Cel. *hor. to.* 2. *Lib.* 1. *Cap.* 2. p. 23. seq. inde nimirùm, quòd Seculum id & dies Messiæ sæpè ùt Synonyma conjungantur; porrò quòd עולם הזה seu V. T., & Seculum futurum sibi contradistinguantur; præcipuè verò, quòd de עולם הבא talia prædicentur, quæ nonnisi temporibus Messiæ convenire possùnt: uti, meritum Messiæ tùm locum esse habiturum, fore tùnc, ut homines Legem Messiæ addiscant, multi fiant proselyti &c. addit, quòd Rhenferdius aliter senserit, in causa fuisse, quoniam recentiores consuluerit, antiquæ Theologiæ corruptores &c. Cùm illa appellatione עולם הבא conveniunt ferè duæ sequentes, quibus itidem Oeconomia sub Messia à Veteribus indigitabatur: scilicet עתיד לבא *futurum ad veniendum*, & זמנא דאתי

tempus, quod venit, seu, *quod venturum est*; ut hæc Vir laud. ib. p. 27.--29. Nec silentiô præteundem Oeconomiæ sub Messia nomen, quod non solùm in Veterum Rabbinorum Scriptis occurrit, sed & in N. T. solenne, scil. *Regni Cœlorum*, quo de peculiari *diss.* idem Vir eruditiss. *hor. to.* 1. p. 1147.—— 1152. locutionem derivandam esse censet è regimine illo Dei in V. T. (§. 1404.): cùm cœlum Judæis, uti notum, Deum designet; locis equidem compluribus notare tùm subjectionem voluntati & Oeconomiæ Divinæ præstitam, tùm & simpliciter Religionem Judaicam, §. 3. 4. interim etiam notare tempora Messiæ; cujus quidem notionis perpauca loca apud Judæos se invenisse testatur V. D. [è *Targum* locum allegans] interim in Sermone Joh. Baptistæ Matth. 3: 2. & Luc. 17: 20. illam contineri, §. 6. Originem locutionis repetendam ex Dan. 7: 14. quem locum de Messia agere Judæi agnoverint; ut rectè teneri possit, apud saniores post captivitatem Babylon. usitatam devenisse ad tempus sub Messia indigitandum, quod expectaverint sub nomine etiam *Regni Dei*, Luc. 23: 51. Idem sibi velle τὴν παράκλησιν τ῀ Ισραὴλ & λύτρωσιν, 2: 25. 38. §. 7. ac indigitari illud ipsum, ubi Regnum simpliciter memoretur Matth. 4: 23. 1: 12. 13: 19. & alibi; pro subjectione Regno Messiæ debita sumi quoque aliquando, ex. gr. Marc. 10: 15. &c. §. 8. Hùc pertinerent etiam, quæ præter alios LOCKIUS *Christian. raisonnabl. to.* 1. *Chap.* 7. ubi quædam de locutione *Regni cœlorum*, item *Regni* simpliciter pro diebus Messiæ ex locis N. T. Commemoramus nonnisi, quòd modò laud. SCHOETGENIUS etiam *to.* 2. p. 22. 23. quod locutionem *Regni cœlorum* apud Judæos pro temporibus Messiæ obviam afferat ac moneat: hæcce tempora Judæis & describi per בשימלך חק בה *quando regnabit Deus S. B.*

Sect. 2. Quoad tertiam hancce Oeconomiam aliâs monendum: initium ejus non ita strictè ac præcisè quoad punctum determinari posse & debere, verùm latitudinis quid illi tribuendum esse [uti & Theologi benè monent: vid. ex. gr. VAN DER WAYEN *Summ. Theol. Christ. Cap.* 4. p. 329. seq.] ut incepisse teneatur,

tur, ubi Christus natus, introducta autem nonnisi, in vel post mortem ipsius ac resurrectionem [ob consummationem tùm Christi] & pleniùs post ascensionem in cœlum: Apostolis quippe tùnc potestate instructis doctrinam Magistri nunciandi; planè autem ac prorsùs Templô eversô; tùnc quippe Cultu ceremon. cessante.

1427. *Christus fuit fundator hujus Ecclesiæ Oeconomiæ:* 1. enim tradidit miraculisque confirmavit doctrinam [seu credenda & agenda], quâ illa, quæ in V. T. obtinebat, clarior, perfectior reddebatur: vid. (§. 910. ac seq. & sch.), jam verò Ecclesia constituitur per doctrinam Cultumque Dei: quippe in his consistit scopus illius (§. 1353.); 2. ij, per quos Ecclesiæ hôcce tempore fuit mutata Facies, abrogatione Legis ceremon. (§. 1421.), vocatione gentium (§. 1424.), doctrinæ clariori propositione (§. 1425.), atque ita Religio propagata & stabilita, id est, Apostoli, à Christo fuêre missi, Matth. 28: 19. Joh. 20: 21. donis infusis instructi: cognitione: vid. Joh. 16: 13 -- 15. Act. 2: 4. 33. 37. virtute miracula patrandi, Marc. 16: 17. 18. Act. 3: 16. 3. ordinavit quoque quoad ordinem externum in Ecclesia ☧ ut ij, qui nomen Ipsi dare vellent, initientur per baptismum (§. 1250.); ב ut discipuli in mortis Magistri memoriam convivium, pane ac vinô constans, celebrarent (§. 1267.); ג ut totus Cœtus super offensis, quæ leviores, nec ejus naturæ, quæ ad Magistratum pertinerent, judicare posset, & eos, qui cœtui se submittere nollent, excludere, Matth. 18: 15. -- 17. ד ut Apostoli per potestatem docendi, quâ ab Ipso *A quonam fundata.*

Ipso instructi, possent determinare, quid licitum, quid prohibitum; ijs, qui peccatis gravioribus vel mortalibus se obstrinxissent, denunciare periculum imminens, inde peccata vel remittendi vel non potestatem haberent, Joh. 20: 21. 23.

Sch. 1. Inde ulterius patet, quod ostensum (§. 1306. & sch.), Christum esse Caput Ecclesiæ, ac fuisse tùnc quâ θεανθρωπον, & modô singulari.

De modo autem, juxta quem Christus Ecclesiam fundavit, dignus est, qui adducatur Cel. Theologus & Cancellarius Tubingensis, C. M. PFAFFIUS *Orig. Jur. eccles. Cap.* 1. ubi de Jure ecclesiast., prout id Ecclesiæ Christus tradidit; ibi §. 2. notat: 1. Christum Cultui Judaico unà cum suo vacasse, nec talem fundasse Societatem, quæ cum Judaismo nil commune haberet, hinc in Templo ac Synagogis docuisse, & ad idem discipulos hortatum esse; 2. duodecim sibi Apostolos ac 70. discipulos selegisse, virtute extraordinariâ donasse, ut ita Ecclesia sibi colligeretur, quibus & alii continuò Doctores succedere deberent; 3. quoad ordinem externum ac disciplinam ordinasse, quæ (§. præs. No. 3.) ex ipso memorata; in illa Apostolorum potestate docendi consistere potestatem clavium, queis regnum cœlorum aperiatur & claudatur: uti τὸ ligare ac solvere esse determinare, quid permissum sit, quid non. Nil autem expressi adhùc de excommunicatione [exclusione ab Ecclesia] item pœnitentia publica præcepisse ac determinasse Servatorem monet, quia nondum peculiarem, à Judaismo separatum, Cœtum formaverit; hæc omnia dein amplè deducit Vir Cel. in *Not.* p. 6. - - 43. Quoad locum autem Matth. 18: 15. -- 17. vid. infra quædam (sch. 2. §. 1496.) §. 3. seu p. 43. - - 48. disquirit, num Christus Statum aliquem Ecclesiæ formaverit, seu num inter discipulos subordinationem aliquam voluerit esse; contrarium patere satis ex Luc. 22: 25. - - - 26. inde confici ✕ Christum nullam introducere voluisse Hierarchiam; hinc ⊐ Ecclesiam nullam ab Ipso obtinuisse potestatem civilem; Ipsum omne imperium & coactionem

ctionem abesse voluisse; interim tamen ℣ in Ecclesia ἡγεμένας esse voluisse, qui verò à Magistratibus politicis longè differrent. Nec Petro ullum dedisse primatum, Matth. 16: 18. 19. [etsi vel maximè per petram Petrus ipse intelligi deberet] obstare v. 23. abnegationem ipsius, prædilectionem Johannis, Joh. 13: 23. 21: 21. 22. item quòd in Concilio Hierosolymitano Jacobus æquè decideri &c. Act. 15: 13. 19. seq. quòd Petrus à Paulo fuerit reprehensus ac Jacobo postpositus, Gal. 2: 9. 11. Petrum non aliò sensu posse vocari petram Ecclesiæ, quàm & reliquos Apostolos: cùm claves etiam hisce fuerint traditæ Joh. 20: 21. -- 23. & quòd Christus ipsi dixerit: *pasce oves meas* 21: 15. seq. fuisse ob trinam ipsius abnegationem.

Sch. 2. Ad Jus ecclesiast., proùt id Apostoli ordinarunt, noscendum juvat advocare eundem Rever. PFAFFIUM Lib. cit. *Cap.* 2. ubi §. 1. notat, Apostolos [ad exemplum Magistri] non protinùs ac prorsùs se à Judaismo separasse: cùm finis eorum fuerit homines ad fidem in Christum perducere; inde in Templis ac Synagogis frequentes fuisse, donec aut integræ ad illos transirent Synagogæ, aut ipsi è Synagogis ejicerentur, aut Respublica Judaica pessum iret, aut & ex frequentibus cœtibus privatis conventibusque particulares tandem ac ordinatæ exurgerent Communitates.

§. 2. [& in *Not.* amplè p. 62. - - 132.] monet, Apostolos fuisse Doctores, initiasse neophytos per baptismum, imposuisse manus [ceremoniâ hâcce interim à Servatore non præscriptâ] secutam esse donorum communicationem; adsciviisse sibi, qui opem ferrent, συνεργὰς, εὐαγγελιςὰς, διακόνας; cuilibet dein Ecclesiæ suum Presbyterum [ἡγέμενον, ἐπίσκοπον, ἄγγελον] (שליח צבור) præfeciisse, qui omnes direxerint, sine imperio, sine pœnis coactivis [exceptis pœnis extraordinariis ac Divinitùs immissis] Cultum constitisse in prædicatione Verbi, oratione, instructione, adhortatione, lectione, Cantu, S. Cœna, agapis, sic & osculo S. &c. libertate etiam aliis relictâ, ut possent cæteros ædificare [conf. autem quoad id ultimum MOSHEMIUS *instit. H. E. maj. Sect.* 1. *P.* 2. *Cap.* 2.

ad

ad §. 18.]; die solis conventibus destinatô, de cætero nondum prorsùs sublatô dierum discrimine, ut Judæi eò minùs abalienarentur. Sacerdotes electos esse ab Apostolis, ab eorum συνεργοῖς & quoque à Cœtibus; circa hæcce regulas constituisse Apostolos, uti & ut fideles gentilium tribunalia vitarent. Disciplinam administratam fuisse per applicationem Verbi, per inflictionem pœnarum Divinitùs, traditionem Satanæ, ejectionem ex Ecclesia &c. in Ecclesia hierosolymitana communionem bonorum stabilitam fuisse, septem Diaconos constitutos [unde Presbyterorum in reliquis Ecclesiis ortus] ex ea quoque reliquis Ecclesiis harumque plantatoribus ortis; sensum dein & gentilis associatos ac in gremium Ecclesiæ receptos esse.

Ex hisce nunc Vir Cel. infert §. 3. facilè perspici posse [quæ dein deducit in *Not.* p. 135. --- 155.] num Ecclesia ad modum Reipublicæ aut Templi hierosolymitani ordinata sit, aut ad formam Synedrii, aut Synagogæ, aut & Scholarum judaicarum [בית הכנסת scil. diversâ à בית מדרש seu ישיבה, posteriori utrâque scholam notante, cujusmodi simul apud celebriores Synagogas erat] ut ineptè de forma regiminis quæratur; licèt ob quandam nonnisi analogiam cum Sacerdotio judaico comparatio institui possit; ritus etiam Ecclesiæ è Synagoga desumti sint, quamvis Ecclesia nondum sit Synagoga, seu essentialia hujus habeat.

Quoad hæcce porrò monet Vir laud. *Not.* p. 138. 139. C. VITRINGAM præcipuè comparationem Ecclesiæ cum Synagoga instituisse, ac ritus illius ex hac deduxisse; judice hôcce Viro eruditiss. convenire nomina Antistitum in Synagogis cum iis in Ecclesia: רבנים esse *Doctores*, חכמים *Sapientes*, פרנסים *Pastores*, זקנים *Seniores*, Presbyteros, ממונים Præfectos, מנהיגים *Ductores*, שליחי צבור *Angelos Ecclesiæ*, חזנים *Ministros*; convenire functiones utrorumque; sic & regulas qualitatesque in Ministris Synagogarum requisitas vix differre ab iis, quas PAULUS requisiverit in Ministris Ecclesiæ; ut alia prætereamus; vid. VITRINGA ipse per totum *Lib.* 2. ac 3. de שליחי צבור etiam SCHOETGENIUS ad Apoc.

Apoc. 2: 1. p. 1089. —— 1094. eosque ex honoratioribus Synagogæ Ministris fuisse judicat; cum benedictionem populo impertiri potuerint, Sacerdotes fuisse; in locum Sacerdotum jam cùm sub N. T. successerint Episcopi ac Presbyteri, tutissimè apud JOHANNEM intelligi Episcopus singularum urbium, ad quas literæ datæ. Judicat autem Rev. PFAFFIUS, genuinam antiquæ Synagogæ rationem obscuritate involutam esse, ut non ita plana omnia fieri possint; interim comparationem utilitatem omnino secum ferre.

Notamus adhùc, quòd Venerab. ac Cel. MOSHEMIO illud VITRINGÆ Institutum non probetur: vid. ubi modò, ad §. 9.; nostrum non est de tantorum Virorum disceptationibus judicium ferre; legatur VITRINGA *Prol. Cap.* 3. p. 20. seq. & *Cap.* 4. ubi inquirit, quænam sit præferenda sententia, num eorum, qui formam Ecclesiæ è Templo, an verò, qui è Synagoga deducunt; item etiam *Cap.* 5. [eorundem *Proleg.*] ubi conformationem ad Synagogam præfert ac rationibus adstruit. Nescio, an dicere audeam, quòd si in aliis tanta deprehendatur similitudo, haud cunctanter, ubi simùl tempus id admittat, seu tempora utriusque congruunt, unum ex altero deduci.

Sch. 3. Apostolos, ut nemo nescit, excipiebant alumni, *Viri Apostolici* dicti: CLEMENS ROMANUS, BARNABAS, POLYCARPUS, IGNATIUS &c. quorum & Scripta quædam supersunt, à Viris D. diligenter excussa ac illustrata, MOYNIO, PEARSONIO, COTELERIO &c. etiam à Cl. RÜCHATO Theologo Lausann. eleganter gallicè reddita [exceptis BARNABÆ illis] ac annotationibus instructa, Lugd. B. 1738. 2. Vol. 12. vid. de Patribus illis [præter alios, qui Historiam Eccles. literar. illustrarunt] rev. MOSHEMIUS *instit. Hist. Christ. major. Sec.* 1. *P.* 2. *Cap.* 2. §. 24. —— 30. Non ingredimur hic, quæ de temporibus Patres hosce proximè secutis commemoratu digna essent; nonnisi monemus, licèt trium primorum Seculorum Ecclesia pro pura ferè habeatur, tamen mutationem quandam ac turbas ei illatas, tùm quòd è Judaismo conversi non pauca Christianismo ingerere volebant, tùm & maximè, quòd magni nominis Doctores, qui Philosophiæ Platonicæ amore detinebantur,

Religio-

Religionem dein Christianam ei accommodare studebant: JUSTINUS MARTYR, CLEMENS Alexandr., discipulus ejus ORIGENES &c.
Porro labem tempore insequenti insignem Christianæ fidei intulisse, qui hujus cum Philosophia gentili consociationem efficere studuêre, quod Platonici juniores sibi sumserunt: PLOTINUS, PORPHYRIUS, JAMBLICHUS, PROCLUS, qui Ægyptô egressi variis in Romani Imperii partibus magnam dicendo gloriam adepti; vid. Cel. MOSHEMII egregia *de turbata per recentiores Platonicos Ecclesia commentatio*, subjuncta Operi Cudworthian. De jure verò ecclesiast. Sec. secundi ac tertii vid. anteà laud. Cel. PFAFFIUS *Orig. Jur. eccles. Cap. 3.* ubi & in antecessum monet, non omnia posse è Scriptoribus plenè elucidari; hinc modestè res proponi nec cum acerbitate defendi debere.

Sch. 4. Uti autem priores Ecclesiæ ætates subdividuntur in minores, seu intervalla ac periodos (sch. 2. §. 1377. sch. 4. §. 1421.), ita & Oeconomia hæcce tertia; quod pro lubitu fieri potest, licèt semper fundamentum distinctionis sit ac desumatur ab insigni quadam mutatione vel quoad doctrinam, vel Cultum, vel & felicitatem Ecclesiæ externam. Ij, qui JOHAN. COCCEIUM sequuntur, suas, ùt notum est, amant 7. periodos [quas prolixè exponit Cel. p. m. LAMPIUS Gnaden-Bund *to.* 4. *Vol.* 1. *Cap. 6. seq.*] indigitatas juxta ipsos per 7. septimanas in V. T., septem candelabra & 7. Ecclesias in Apocalypsi, ac alia &c. cùm & in aliis pluribus numerus septenarius Scripturæ quin etiam Veterum Philosophorum quibusdam solennis sit, quo de ex instituto exposuit eruditus Theologus Franequeranus *Serm. academ. de numero septenario*, cum amplis *vindiciis;* uti & Judæorum Veteres Doctores numerum eum sacrum ac Deo solennem tenent, notante SCHOETGENIÔ ad Apoc. 1:4. Fuerunt &, qui, licèt quoad reliqua COCCEIUM ferè sequerentur, tamen illam ætatis N. T. in 7. periodos divisionem non adoptarunt, uti KNIBBI *proœm. Catech.* p. 8.
Eleganter autem ac ingeniosè Vir Cel. J. ALPH. TURRETINUS *Orat. de variis Christ. doctr. fatis*, Genevæ 1708. totam N. T. ætatem [nempe illam ad emendationem usque Ecclesiæ Sec. 16.] distinguit in ætatem

tem: auream, argenteam, æneam, ferream; ad imitationem à linguæ latinæ perfectione desumtam; ut aurea fuerit sub Apostolis & paulò plus; argentea inde ad Constantinum Magnum, ænea ad Seculum decimum usque; ferrea exinde usquead Reformationem. Aliâs percommodè dividi potest 1. in periodum Apostolicam; 2. usquead primum Imperatorem Christianum, ineunte Seculô quartô; 3. inde ad Ortum Antichristi; Seculô septimô ineunte; 4. ab hoc ad reformationem usque; 5. inde ad nostra usque tempora.

1428. Cùm jam Christus Ecclesiæ fundator (§. 1427.) Ecclesiam formaverit, tradendo doctrinam usque hùc [Loc. II. --- XI. & adhùc seq. XII.] expositam, ac injungendo Sacramentorum administrationem (§. 1250. 1267.), ij, qui non solùm doctrinam insigniter corrumpunt, falsam introducunt, aut & idem faciunt quoad Sacramenta, sed præterea eos, qui veritatem quoad hæcce profitentur, odio habent ac affligunt, *sunt Antichristi*: quippe Christo adversantur. *Adversarii Christi.*

In V. T. jam ejusmodi fuêre, quos inter vel maximè eminet Antiochus ille Epiphanes &c. in N. T., quòd tales futuri essent, imò jam tùm fuerint, docent Apostoli: PAULUS 2. Thess. 2: 3. 4. 8. seq. & JOHANNES 1. Ep. 2: 18. 22. 4: 3. & 2. Ep. v. 7. posteriori characteres suppeditante, qui conveniunt ejus temporis & sequentis Hæresiarchis, PAULÔ verò, quales conveniunt Pontificibus Romanis. Equidem Romanenses vel hôcce labefactare sibi videntur Protestantium de Antichristo sententiam, quòd complures fuerint Pontifices, qui adeò per unum illum Antichristum non potuerint notari; at præterquàm quòd hîc de unica persona NB. morali res sit, quam omnes Pontifices sustinuerunt [siquidem plura individua pro una solùm persona morali rectè habentur, & per unam indigitantur, quandò eòdem tendunt, Successores sunt in eadem Sede] (per princ. Polit.) non existimandum

est, unicum nonnisi Antichristum prædictum ac futurum fuisse: cùm ipse JOHANNES Apostolus de pluribus exertè loquatur 1. Ep. 2: 18. 2. Ep. v. 7. Jam licèt iis temporibus fuerint, qui pro Antichristis jure habiti, & à JOHANNE intenti fuêre ut Christiani nominis hostes: Dositheus, Simon Magus, Menander, & alii, qui è contra hæretici, de quibus omnibus prolixè, accuratè ac eruditè Cel. MOSHEMIUS *H. E. maj. Sec.* 1. *P.* 2. *Cap.* 5. tamen eô nomine vel maximè notari merentur Pontifices Romani, ob infallibilitatem sibi vi & artibus tributam [quod est in Templo Dei sedere 2. Thess. 2: 4.] ereptum populo Christi Verbum &c. de quibus mox.

Ecclesia quandonam & quare fuerit emendanda.

1429. Jam quum per tales Antichristos Ecclesia depravata atque corrupta insigniter non tantùm fuerit: dum Cultus Angelorum, Sanctorum introducetur (§. 557. & sch. §. 966.), Sacramenta genuina adulterabantur, & adulterina intrudebantur (§. 1247. --- 1249. 1272. seq. 1278. 1279. sch. 2. §. 1299.), verùm præterea Ecclesia spoliata jure suô: dùm S. Scriptura ei demebatur (§. 150.), fides implicita, cæca exigebatur (§. 197. & sch. 1. 2. ib.); & verò, ubi Ecclesia corrupta, emendanda omninò (§. 1351.), *rectè emendatio Ecclesiæ susceptа est*, quæ dicitur *Reformatio.*

Sch. 1. Deo gratiosè providente, mediante bonarum literarum luce, quæ iterùm post cimmerias tenebras refulsit, Opus id, priùs à Wiclefo, Husso & aliis tentatum, tandem strenuè non minùs susceptum, quàm feliciter ad metam perductum est, ingenti Papæ & assectarum ejus damno ac terrori; qui hinc experti, nullum violentum esse durabile, nec per crassos errores, tyrannidem in conscientias, genus humanum sibi imponi pati diu. Beneficii hujus maximi ac exoptatissimi uti & Patria nostra [Omnipotenti sit laus] particeps facta, & inde, quomodo id factum, noscere ope-

ræ pretium est, ideò de hoc laudabili Operâ ac haud exiguô labore [Archivis perquisitis] amplè simùl & eleganter, quibusvis rem gratam faciens, expositit Rev. nunc Theologus Lausannensis ABRAHAMUS RÜCHAT; cui jugendus Rever. ac eruditiss. noster Theologus primarius SAM. SCHEURERUS in Vitis Reformatorum Bernensium. Quoad Reformationem in aliis regionibus vel Regnis susceptam ac factam lectu præprimis digna est GILB. BÜRNETII *Histor. Reformation. Anglicanæ.* Historiam Reformationis aliàs in genere videre ac legere est, præter alios complures, apud Rever. MOSHEMIUM *instit. Hist. Christ. recent. Sec.* 16. *Sect.* 1. *Cap.* 2. Dignum etiam esset expendere rationes, ob quas Reformatio non ulteriùs fuerit progressa, de quibus PUFENDORF *de Papa* §. 27. seu cum addendis THOMASII p. 190. -- 204.

Sch. 2. Romanenses equidem ægerrimè tulêre & adhuc dum fuerunt, Ecclesiam suam infallibilem talem passam esse alterationem: cùm Reformatores nimiùm sibi arrogaverint, audaciam & arrogantiam prodiderint insolentem [ad quæ verò è dictis facilè respondetur, & in seq. adhùc eò facient] expectare potiùs debuerint ipsius Ecclesiæ Catholicæ de Reformatione necessaria instituenda sententiam per Concilii Oecumenici decisionem &c.

At verò quivis videt, talia dici, nonnisi ut fucus fiat simplicioribus: nec enim Ecclesia Romana unquàm seriò in animo habuit, Reformationem, qualis requirebatur, instituere: testantur id exempla, sollicitationes Principum, Conciliorum, Virorum de bono Ecclesiæ sollicitorum non paucorum, doctrinâ, integritate & prudentiâ præcellentium &c. quæ omnia ex Historia eccles. satis nota. Per illa omnia Principibus, Statibus, competebat jus Reformationem in territoriis suis procurandi, imò necessitabantur: vid. quoad Status Imperii Romano-Germanici hac de re Tract. *de jure reformandi &c.* qui Franc. & Lips. 1728. prodiit 8vo, *Part.* 2. §. 17. 18. item Cl. ESTOR *delin. Jur. publ. eccles. Protest.* 1739. *Cap.* 3. 4. 5. quippe, ut ex anteà dictis cuivis patet, neutiquàm illimitatum est ac erat jus reformandi, uti id Tract. ib. §. 44. conf. verò aliàs in genere de jure illo Tract. hicce tot. *P.* 2. Pertinent etiam ad hancce materiam, de Reformatione,

Protestantes inter ac Pontificios disceptam, quæ prolixè CLAUDE *defense de la Reformation.*

Id rectè susceptum à Reformatoribus.

1430. *Injustè* ideò *à Pontificiis Reformatores pro schismaticis habentur :* namque schismaticus est, qui Ecclesiam quandam ob quædam non adeò momentosa pro vera non vult agnoscere (§. 1356.), jam verò ea, ob quæ Reformatores secessionem fecêre, non solùm erant de fundamentalibus : vid. (§. 1338. & sch.), sed præterea agebatur de jure fidelium inviolabili, conscientiæ, hinc omninò justissimè vindicando.

Veritas hujus propositionis nititur ijs, quæ habentur (sch. 1. §. 195. §. 197. & sch. 2. ib. §. 198. & sch. 1.--3. ib.). Cùm Reformatores locò emendationum aut responsionum anathematismos solùmmodo ac pœnas tulerint, benè propterea secessionem fecerunt : coacti quippe. Utile autem erit hìc conferre exercitatum contra Pontificios disputatorem PAIONUM *exam. &c. P. 3. Chap.* 4. ubi benè rationes subducit : quòd Schisma imputari non possit, eò quòd doctrina Ecclesiæ Pontific. fuerit falsa, & Cultus idololatricus ; missionem inde Pastorum fuisse legitimam : cùm, si succurrendum sit Ecclesiæ anhelanti, per Ministros id fieri oporteat. Porrò [*Chap.* 5.] malè schismatis accusari, ubi doctrina priùs examinanda non concedatur ; nec meliùs schismatis convinci Protestantes, quòd erexerint altare contra altare : id enim tùnc demùm dici posse, ubi nec doctrina falsa, nec Cultus idololatricus &c. genuinum ideò altare à Protestantibus priori Pontificiorum surrogatum esse ; vid. *Chap.* 6. & 7. p. 112. -- 114. Non etiam schismatis reos reddi Protestantes, quià univerint se falsis Doctoribus, ac si Doctores hi falsi constituantur, eò quòd caruerint vocatione legitima ac ordinatione ; quippe Doctores eos aut in Ecclesia Romana ab Episcopis fuisse ordinatos, & tunc habuisse vocationem ex parte bonam seu legitimam

legitimam [ratione residuarum veritatum] ex parte verò illegitimam, ratione falsorum dogmatum, quæ verò emendaverint, ut inde vocatio legitima evaserit; aut fuisse ordinatos à Presbyteris, at hos jure Divinò non esse Episcopis inferiores &c. aut tandem à Laicis, at etiam ab hisce ordinandos esse Ministros, ubi nulli adhùc sint Episcopi: ne scil. Ecclesia aliàs damnum sentiat; etiam secundâ vice vocationem per impositionem manuum recipere planè non repugnare, uti pateat ex Act. 9: 17. coll. 13: 2. 3. quæ Vir laud. deducit ib. *Cap.* 7. p. 117. --- 140. qui & monet *Cap.* 8. non habere populum aut alium quendam, cur ita sollicitus esse velit de vocatione illa: cùm sufficiat, si solum doctrina in se vera sit, nec veritas doctrinæ è vocatione deducatur. Perbenè etiam *Cap.* 12. quæstionem, num vocatio Reformatorum ordinaria an extraordinaria sit, inutilem pronunciat: cùm vocatio non sit immediata, hinc non opùs habuerit miraculis.

Add. verò & idem ad ulteriùs adstruendum, Protestantes non esse Schismaticos, *Cap.* 11. & repetantur, quæ supra (sch. 4. §. 1321.) ex eo adducta.

Etiam hùc pertineret [scil. ad probandum, Ecclesiam Protestantium successione non carere] simile, quod scitè ac ingeniosè affert & in rem suam convertit, de vinea, desumtum ex Es. 5: 1. seq. Nimirùm ita in pejus ruerat vinea hæcce, ut vites omnes fuerint adulteratæ, vinitorum verò quidam zelò permoti curam adhibere volebant [aliis licèt ijs obsistentibus] inde vites plurimas iterum origini suæ restituebant, seorsim plantabant, ut inde duæ evaserint vineæ; hâc ideò vineâ [è vitibus seorsim plantatis & curæ habitis oriente] deveniente in statum suum primigenium, ac succedente ita primæ genuinæ vineæ; *P.* 3. *Cap.* 9. pag. 181. -- 184.

Personæ quanam requirantur in Ecclesia.

1431. Cùm Ecclesia gignatur per vocationem (§. 1303. 1317.), adeòque propositionem Verbi Divini (§. 1007. 1008. 1009.), & præterea quævis Ecclesia particularis debeat sibi è Verbo Dei contexere Doctrinæ typum (§. 1354.),

oportet sint, qui doctrinam hancce reliquis instillent, Matth. 28: 19. Rom. 10: 14. Eph. 4: 11. 12. quippe tùnc cognitio vera pietasque promovetur, seu illud ad hoc requiritur; atqui in eo consistit scopus Ecclesiæ (§. 1353.).

Scilicet sub illa doctrinæ instillatione comprehendimus etiam modum doctrinæ seu dogmatibus convenienter agendi: siquidem doctrina est propter praxin, vel tendit ad hancce, vi veræ fidei &c. vid. ex. gr. (§. 1092. seq. 1171. & sch. 1.).

Nonnisi huic Operi vacantes.

1432. *Requiruntur* autem *ad id personæ expressæ*, seu *peculiariter ei negotio adstrictæ, nec alii vitæ generi se destinantes*: quodlibet enim Vitæ genus tantum applicationis virium, temporis &c. requirit, ut uni nonnisi benè addiscendo ac ritè exercendo homo sufficiat & satisfacere possit; quod tantò magis de munere docendi valet &c. Si autem unusquisque pro lubitu id negotii suscipere vellet, mox orirentur confusiones, unus alteri contradiceret; turbaretur inde & per alia adhùc ordo, qui in Ecclesia ùt Societate requiritur (§. 1355.).

Deus ideò in V. T. Ecclesiâ auctâ (§. 1378.) etiam expressam peculiaremque hominum Classem huic negotio solum dicaverat (§. 1399.); & qui rem in se aliàs rationabiliter [seu in nexu cum cæteris] (*Met.* §. 368.) consideraverit, non aliter sentiet. Ii quoque, qui contrarium aut sentiunt aut opere comprobant, ἀτα-ξίας in Ecclesia sane rei sunt; quales Fanatici, Independentes, Separatistæ; qui & negare debent, aut virtutes donaque singularia ad id docendi Munus requiri, aut dona hæcce per applicationem, studiô & labore, esse acquirenda, sed adhucdum per habitus infusos, internamque illuminationem obtineri; quorum

rum autem quodlibet suam per se prodit falsitatem.

1433. Qui huic negotio incumbunt, dicuntur *Ministri Ecclesiæ*, item *Doctores*. *Harum nomen.*

Sunt &, qui discrimen constituunt inter Ministrum Ecclesiæ ac Doctorem, vel non eandem planè utrique termino alligant notionem: dùm per priorem intelligunt, qui modum dogmatibus convenienter agendi ostendit vel explicat, ut inde cognitio viva evadat, vel, ut praxis sequatur, allaborat; per posteriorem, qui simpliciter fidei dogmata explicat; ita Cl. DARIES *instit. Jurispr. univ.* §. 909. Quæ aliàs contra Ministerium nostrum Pontificii movent, ut evincant, non esse id legitimum, jam præoccupata (sch. 4. §. 1321. sch. §. 1362. & sch. §. 1430.).

1434. *Oportet* autem *Doctores hi publicè doceant*: nam si privatim solùm id fieret, possibile non esset magnum parumper hominum numerum ad cognitionem perducere, [unde nec pietas promoveretur], reliqui autem propriò motu ac labore ad cognitionem pervenire aut planè nil, aut vix allaborarent; ita verò finis Ecclesiæ, qui est cognitio cum pietate (§. 1353.), non obtineretur. *Munus publicè docendi.*

Sch. 1. Inter Reformatos si ipsis Ecclesiæ membris id negotii & cura ejus [sine publico exercitio] relinqueretur, res ignavè compluribus sanè locis ageretur, ob excussum penitùs jugum Pontificium, ac vincula soluta &c. experientiâ cheu nimiùm solùm teste!

Sch. 2. Non opùs monere, doceri debere publicè linguâ membris Ecclesiæ, plebejis, notâ, vernaculâ: cùm aliàs non acquireretur congnitio, adeòque finis Ecclesiæ non obtineretur &c. non opus esset, inquàm id monere, nisi Ecclesia Rom. contrarium reipsâ comprobaret:

baret: linguâ plebejis ignota [latinâ] Cultum publicum peragendum sanciens; contra Rationem & naturam Cultûs adeò non tantùm, sed & præceptum Apostolicum 1. Cor. 14: 16. nec non Ecclesiæ antiquæ praxin [de qua vid. BINGHAM *antiq. eccles. Lib.* 13. *Cap.* 4.] ut ea in re à traditione, quam aliâs tantòpere crepat, prorsus recedat.

Sch. 3. Non necesse hìc est monere aut ingredi materiam de modo, quò doctrina publicè proponenda; id scil. vel per quæstiones ac responsiones fieri potest [*catechizationes* dicunt] modô simplicioribus accommodatô, [hinc utilitas instituti, qua de vid. præter alios HULDRICUS in alloquio præmisso der Bibel-Ubung] sequendo typum talem receptum seu formulam (§. 1354.); vel [ùt itidem apud Protestantes solenne est] per Orationes S., sermones [*Discours* & Galli dicunt] ubi locus è Scriptura aut pericopa, qualem *Textum* appellant, explanatur, veritas ibi contenta etiam adstruitur, ad ædificationem applicatur &c. cujusmodi instructiones, ubi Doctor nonnisi loquitur, *conciones* audiunt. De harum origine, variatione per Ecclesiæ Secula, regulis item circa eas observandis lectu digna sunt, quæ eruditè affert Rever. & Doctissimus ROQUES *Pasteur evangel.* prolixè *premier Essai &c.* nec minùs, quæ Rever. ac eruditiss. J. JAC. SALCHLINUS [Professor Theolog. in Academ. Lausann.] in *diss. critica de concionum origine, brevitate & prolixitate*, 1744. De modo nonnisi ratione temporis agit Rev. LANGIUS *diss. de justa concionum mensura.* Quomodo autem instructiones hæ [tàm conciones quàm reliquæ] ad ædificationem Christianorum sint instituendæ, & quomodo hìc peccetur, videre dignus est, qui judiciosè ac graviter hac de re Vir de Ecclesia optimè meritus Rev. & Cl. J. F. OSTERVALD in libro, omnibus, qui Ministerium S. exercent, commendando, *Sources de la Corrupt. to.* 2. *sourc.* 3. ubi *du défaut des Pasteurs*, p. 82. - - 104.

Cultûs publici praxis.

1435. Exercitia horum Doctorum ac Ministrorum publicè docendi, [uti reliquorum discendi] cum administratione

ne Sacramentorum dicuntur *exercitium Religionis publicum.*

Non differt à Cultu publico, nisi quòd involveret hujus crebram iterationem; est in genere, ac & dicitur *testificatio devotionis.*

1436. Exercitium proin hocce esset finis Ecclesiæ proximus, uti cognitio cum pietate in Christum [seu illustratio gloriæ Dei per Hunc] finis Ecclesiæ ultimus, quo de (§. 1353.). *Finis Ecclesiæ quisnam.*

Sch. 1. Fines hi constituerent ac secum ferrent ædificationem corporis Christi, qua de PAULUS Eph. 4: 12.

Sch. 2. E fine Societatis omnia deducenda ac dijudicanda, ubi de ejus potestate ac juribus quæritur: siquidem ob finem res hôc potiùs quàm aliò modô se habet, ac inde & ratio perfectionis arcessenda (*Met.* §. 153.); hinc finis Ecclesiæ probè semper est attendendus.

1437. Ecclesia propterea est Societas (§. 1355.) de Religione Christiana exercenda, cujus socius ideò Christianus; ac benè utrumque ita definitur. *Definitio Ecclesiæ & Christiani.*

Ita definit Ecclesiam [visibilem, de qua & semper hic] & membrum ejus seu Christianum ICtus Clar. J. ULR. CRAMERUS *diss. de jure circa Sacra collegiali & Majest.* §. 5. 8.

1438. *Non possunt* autem *nec debent Doctores aut alii membris Ecclesiæ obtrudere doctrinæ typum Cultûsque formam, nedum ad hæc amplectenda cogere:* quippe quilibet Christianus gaudet jure examinis (§. 195.), ac amplecti- *Ecclesia libertas quoad doctrinam recipiendam & Cultum.*

tur ea solùm, quæ cum regula credendorum (§. 136. --- 138.) convenire videt; porrò & cùm agatur de assensu præbendo doctrinæ cuidam, qui est operatio Intellectûs, hic autem cogi non possit (*Met.* §. 522.), etiam nullus Christianus nedum Ecclesia cogi potest ac debet ad amplectendam credendorum formulam Cultûsque formam. Unde & PAULUS arma militiæ suæ non esse carnalia dicit, 2. Cor. 10: 4.

Cogere nempe est vi quâdam externa efficere, ut alter agat, vel & in præsenti materia posset dici, quòd sit per mala positiva ad assensum exhibendum allicere.

Jam & Cultus [præterquàm quòd, num verus sit ac præstandus, nec ne, niti debeat convictione] quià ab hominibus institui aut pro lubitu determinari nequit nisi quoad circumstantias quasdam indifferentes, ut indicatum (§. 1233.), Ecclesiæ itidem obtrudi nequit: cùm quoad tales hasce libertate suâ frui debeat, quoad illum autem Verbum Dei sequi. Etiam ad ea solùm homines cogi possunt, quæ pactô promisêre, & quibus non præstitis alios impediunt, quôminùs jure suô uti officiôque fungi possint, id est, quibus alii læduntur (per princ. Juris); Religionem jam verò in horum numero esse nemo dixerit. Sicuti & in Statu naturali nemo gaudet potestate ab altero vi exigendi, ut suam [illius] amplectatur Religionem: siquidem, cùm alter de aliâ convictus foret, hic ita ab alio impediretur, quòminùs suâ Religione suôque officiô posset fungi, ac ita læderetur; hinc jus haberet se defendendi adversùs talem, qui Religionem suam obtrudere conaretur; ita per Statum civilem id neutiquam immutatum fuit: quum jus Religionem præscribendi in neminem potuerit transferri, in talem translationem etiam consensus nec præsumi possit: quoniam natura rei subjecti repugnat; convictione nempe semper niti debet, quæ verò præscribi nunquàm potest. Et si ponatur tale jus in Principem translatum, vi cujus præscribat cuidam, quæ ab

huius

hujus sensu aliena, per hæc ipsa, seu convictionem contrariam officii ejus esset obsequium, Principi denegare, quum lex Naturæ ac revelatio talem inobedientiam neutiquàm prohibeant; faceret hùc egregius Chrysostomi locus à GROTIO allatus *J. B. P.* II. 22. §. 14. ad n. 3. & quæ aliàs hôcce §. Pessimè proin Pontificii hìc in diversa abeunt, de quibus & post; πρῶτα ψεῦδη autem habentur (sch. 1. §. 195. §. 132. 198.).

1439. Quare cùm imperium sit jus de actionibus entis cujusdam intelligentis pro arbitrio proprio disponendi; vel & dicatur omne id, in quod subditi suam resolvunt voluntatem, & quod in invitos etiam exerceri potest (per defin. JCtis receptas) hinc coactionem inferre, *imperium in Ecclesia quâ tali, vel apud* ejus *Ministros locum habere nec potest nec debet*: siquidem & Christus fundator Ecclesiæ (§. 1427.), & cujus doctrinam Ecclesia profitetur (§. 1316.), apertè dicit, regnum suum non esse de hoc Mundo, Joh. 18: 36. Apostolos quoque suos noluit dominatim ullum sibi tribuere, Matth. 20: 25. -- 27. Luc. 22: 25. 26. Apostoli hinc id secuti sunt, unde PETRUS prohibuit Presbyteros dominari Clero 1. Ep. 5: 3. PAULUS se ùt alios Ministrum vocat 1. Cor. 3: 5. servum 2. Cor. 4: 5.

Non est obnoxia quoad ipsum suum esse vel Religionem dominatui.

Tandem & circa actiones internas, quæ ab externis separatæ, nec has respiciunt, imperia humana locum non habent: quià illæ cognitæ non sunt, ac Deo solùm patent: 1. Reg. 8: 39. Ps. 139: 1. seq.

Sch. 1. Definitioni imperii suprà (§. 576.) traditæ præsentes non adversantur: quippe vis potestasque dirigendi

gendi Civium actiones cum rationibus niti debeat, prout & (§. cit.) memoratum, rationes hæ non possunt esse nisi consensus illorum, qui potestati subsunt, adeòque ubi inferiores voluntatem suam resolvunt in eam Superioris; porrò vis coactionem infert, ubi spontanea deest obedientia, ac ita invitos ad obedientiam reducit.

Sch. 2. Propositio hæcce fundamentalis omninò dici potest in Jure ecclesiastico Protestantium: cùm exinde pendeat genuinus Ecclesiæ externæ, vel ejus Formæ, conceptus, potestatis item ecclesiast. ac legum &c. & ejus ope profligentur omnes Conceptus falsi denominationesque Pontificiorum, Civitatis, Hierarchiæ &c. ùt è seq. ac mox patebit &c.

Sch. 3. De imperio scil. tam civili quàm ecclesiastico hæc valent; illa in civilibus imperio non subjacent, in quibus voluntates non fuêre unitæ, & quæ ùt præstentur, aliorum non interest, jam veritas & Religio ex horum Classe sunt, ut inde arbitrium in iis Imperanti relinqui nequeat: unoquòque quippe & homine obligatô, ut illud credat verum esse, quod suis perspicit oculis, ut modum Deum colendi adhibeat, quem Deo gratissimum agnoscit &c. ut inde & aliud quodcunque imperium circa talia eliminetur; proùt talia, uti & illa (sch. §. 1438.) afferuntur Tract. *de jure Reform. P.* 1. §. 21. seq.

Sch. 4. De Imperio & Ecclesia tali vid. CANZIUS *Disc. mor.* §. 2201. seq. ad hancce materiam & pertinentia plurima egregia ac magna cum eruditione, ùt solet, affert Ill. GROTIUS *de imperio Summarum Potestat. circa S.*, vid. v. g. *Cap.* 3. hinc inde; ubi §. 1. de actionibus internis, quòd soli Deo καρδιογνώστῃ subsint: cùm imperium requirat materiam, cujus natura in Imperantis notitiam cadat; & si internæ imperio humano subjiciantur, id fieri, ubi cum externis conjunctæ, quomodo in delictis inchoatis animus æstimetur; aut ubi actio turpis, vetita, cogitando facienda seligitur, & tùnc illicita habetur, non quia cogitationi propriè lex humana sit posita, sed quia nemo honestè possit velle facere, quod factu turpe. §. 9. ib. ita Vir Summus

mus »LACTANTIUS non minùs verè dixit ---- *quis* »*mihi imponat necessitatem vel credendi, quod nolim, vel* »*quod velim, non credendi?* & hôc sensu verum est CAS- »SIODORI illud: *Religio imperari non potest* ---- & »BERNARDI *fidem suadendam non imperandam &c.* & *Cap.* 4. [ubi complura hùc facientia] §. 6. » vetantur à »Christo Apostoli, ab Apostolo Presbyteri sive Pastores »κατακυριεύειν τῶν κλήρων [*dominari in Cleris*] 1. Pet. 5: »3. neque tantùm κατακυριεύειν [*dominari*] quod Re- »gibus tribuitur Luc. 22: 25. sed & κατεξουσιάζειν [*pote-* »*statem exercere*] quod distinctum ab altero tribuitur »τοῖς μεγάλοις [*magnis*] Matth. 20: 25. Marc. 10: 42. »μεγάλων [*Magnorum*] ergo nomine Principes intelli- »gendi, quales fuerunt Ethnarchæ Judæorum, quos εὐερ- »γέτας [*beneficos*] dictos videre est apud JOSEPHUM »*Antiq.* XIII. 2. unde lux dicto apud LUCAM οἱ ἐξου- »σιάζοντες αὐτῶν εὐεργέται καλοῦνται --- ergo & qua- »le Summarum & quale inferiorum potestatum jus est, »adimitur Pastoribus --- » Et §. 7. »ostendunt »idem tituli, quos Pastoribus Sacra Scriptura tribuit: »vocantur enim *Legati, Nuncii, Præcones*; Legatorum »autem, Nunciorum & Præconum non est suò imperiò »quemquam obligare, sed alienum Imperium notum fa- »cere; *ad docendum constituti sunt Pastores*, inquit »CHRYSOSTOMUS, οὐκ εἰς ἀρχήν, οὐδὲ εἰς αὐθεντίαν· »mandati quoque formula facit hùc: *lubenter loqui, quæ* »*audierunt, tradere, quæ acceperunt*, 1. Joh. 1: 2. 3. » Porrò §. 8. »Regimen ergo, quod Pastoribus tribuitur, »cùm dicuntur ἡγεῖσθαι [*ducere*] Heb. 13: 7. 17. »προΐσταθαι [*præesse*] 1. Thess. 5: 12. 1. Tim. 5: 17. »ποιμαίνειν *pascere* Joh. 21: 16. Act. 20: 28. 1. Pet. »5: 2. aut ad merè *suasorium* aut ad *declarativum* »genus referri debet &c. Quomodo tamen Ec- clesia habere possit ac & habuerit Imperium, exemplò declarat Vir Ill. §. 11. nimirum Judæorum, qui sum- mum temporibus Machabæorum tenuerint, ubi impermixti aliis & ab omni subjectione liberi peculiarem con- stituebant Rempublicam, in plerisque eorum tempo- rum actis tùm Sacris tùm profanis non Ethnarchæ solùm & Senatûs, verùm etiam populi nomine occurrente: vid. ex. gr. 1. Mach. 12: 3. 6. 11. 13: 36. 14: 20. in- terim

terim Ecclesiam tunc summô gavisam fuisse imperiô, non propriè quâ fidelem populum, sed quâ liberum. Inferius item summô Imperium, αὐτονομίαν appellatum, eosdem Judæos habuisse non domi tantùm sed & Alexandriæ, Damasci &c. cum coactione nonnulla, modò latiùs modò angustiùs patente: dùm aliquando pœnas capitales, aliquando flagra tantùm &c. comprehendebat; pro jure concessi imperii à Regibus Chaldæis, Persis, Syris &c. quô & innixa sint, quæ ductu Esdræ ac Nehemiæ tam in Sacris quàm profanis constituta.

Talis dominatus quomodo audiat.

1440. Imperium tale [ecclesiasticum] quô judicium in Sacris, seu de modo Deum cognoscendi ac colendi, adimitur, è contrà ad veritates Cultûsque partes recipiendas quis cogitur, vocatur *Tyrannis sacra*; consequenter cùm judicium de agendis sit ac dicatur Conscientia (*Mor.* §. 73. 77.), *Tyrannis sacra est imperium in Conscientia.*

Conscientia in sacris jam est judicium de Religione, quâtenus vel amplectenda vel non.

Ejus oppositum.

1441. E contra immunitas membrorum Ecclesiæ, quâ ad nullam doctrinam aut Cultûs modum vi metuque induci debent, & nullius Ecclesiæ potestati, nisi quam veram esse credunt, obnoxia sunt, appellatur *libertas Conscientiæ.*

Ita definit Cl. CANZIUS *discipl. mor.* §. 2239. ubi & monet [quod etiam in seq. videbitur] libertatem eam cum potestate ecclesiastica benè consentire.
Idem V. D. ib. §. 2415. Conscientiæ jura perbenè assignat ac distinguit, quòd vel ex necessitate fluant, quæ *absoluta* dicuntur, vel ex majori opportunitate Deo serviendi, quæ *respectiva* audiunt. De illa libertate verò Vir laud. & *Jurispr. Theol.* §. 718. seq.

egregiâ

egregia etiam est Cel. JCti BÖHMERI *diss. de jure circa libertat. Conscient.* præmissa *To.* 2. *Jur. eccles. potest.* ut taceamus Cl. WERENFELSII notam satis de eodem argumento elegantem *dissert.*

1442. In Ecclesia itaque seu rebus ecclesiasticis, quæ ad finem ejus (§. 1436.) spectant, locum habere omnino debet libertas Conscientiæ, è contrà abesse Tyrannis. *Hoc in Ecclesia locum habere debet.*

Sch. 1. Per illam quis, ubi Ecclesia ipsi videtur errores tenere, aut Cultum cum vera pietate implacabilem [seu errores fundamentum tangentes] (§. 1337. 1338.) ejus membrum esse non vult, consensum denegat &c. interim tamen semper non obstante illâ, ordo in Ecclesia servatur, quo de deinceps.

Sch. 2. Pertinet contra Tyrannidem S., quod GROTIUS *J. B. P. Lib.* 2. *Cap.* 20. §. 48. ubi, quòd bella injustè inferantur ijs, qui Religionem Christianam amplecti nolunt; quippe Christo omnino » placuisse [sunt verba Viri Magni ib. n. 2.] » ut ad legem suam » recipiendam nemo hujus vitæ pœnis aut earum metu pertraheretur - - - Luc. 9: 54. seq. - - - quô » sensu verissimum illud Tertulliani: *lex nova non se* » *vindicat ultore gladiô*; - - - - ATHANASIUS: » *Dominus non cogens, sed libertatem suam voluntatê* » *permittens, dicebat quidem vulgò omnibus, si quis vult* » *venire post me, Apostolis verò, nunquid & vos abire* » *vultis?* » &c. & n. 3. » nec obstat illud in fabula de nuptiis, quòd quidam jubentur cogi intrare, » Luc. 14: 23. nam sicùt in ipsa fabella illud cogere » instantiam vocatoris significat, ita & in assabulatione, quô sensu vox ejusdem significationis accipitur » Luc 24: 29. nec aliter Matth. 14: 22. Marc. 6: 45. » Gal. 2: 14. PROCOPIUS in *arcana hist.* parte » docet, à Sapientibus culpatum fuisse Justiniani consilium, quod Samaritas vi ac minis ad Christianam Religionem compulerit; addit & incommoda inde secuta. - - - §. 50. Vir M. quòd talis vis injustè non minùs inferatur ijs, qui circa Legis Divinæ interpretationem hallucinan-

hallucinantur; unde & Judæi pœnis non subdiderint Sadducæos dogma resurrectionis negantes. E contrà justè vim aut bellum inferri iis, qui Christianos ob solam Religionem crudeliter tractant, §. 49. ùt & illis, qui in Deos, quos putant, impii sunt, §. 51.

De Tyrannide verò S., quòd & quomodo in Ecclesia Romana obtineat, introducta sit, non est hujus locì exponere; pertinerent hùc persecutiones, facta, quorum plena Hist. eccles., Leges contrà hæreticos latæ, de quibus lectu dignus *Traité des Loix faites contre les Heretiques*; historia item horrendi Inquisitionis tribunalis, qua de amplè ac eruditè LIMBORCHIUS *hist. inquisit.* BAKERUS &c. lubet nonnisi quoad rem ipsam adscribere Cl. & literatissimi LAUFFERI Nostratis verba, *diss. de recta llberorum educ.* Bern. 1723. ubi quoad Religionem p. 23. 24. graphicè ac eleganter ita: »parum sanguinis est ----- quicquid Romani olim »per decem integra Secula ad totum terratum orbem su»bigendum fuderunt, præ illo, quem Ecclesia, uti »dici voluit, Christiana, ---- ad dominium suum »in Conscientias hominum stabiliendum in omnibus »terræ partibus crudeliter profudit; exempla an »mansuetudinis priori tempore an verò sævitiei posterio»ri luculentiora dederit eadem Ecclesia, valde dubito: »certè ùt antiqui Christiani, quid ultimum in patien»tia sit, ita posteriores, quodnam extremum crudeli»tas habeat, toti Mundo antè oculos posuère. »Satius fuisset, Ecclesiam severis semper agitari perse»cutionibus, continuôque premi jugô, quàm libera»tam tam fœda & crudelia facinora edere. Cur »violentiam, dicere quis posset, adhibetis furibundi »Christiani! an hoc mandatum vobis dedit Sanctissi»mus vester Salvator? an non, quâ humilitate, man»suetudine, patientiâ in immensum crevit Ecclesia, »iisdem aucta stare etiam potuisset? ---- »Extant vestræ aplogiæ, & in manibus versantur »omnium hominum, quibus invictis rationibus pro»batis, nulli hominum jus in Conscientiam aliorum »esse, voluntatem cogi non posse; eam esse naturam »rerum, ut in æternum impossibile sit, veritatem su»stibus, ferrô, igne --- animis hominum ingerere. »---- Cur has veritates in Natura fundatas perse»cutionem

»cutionem passi vidistis, persequentes jam non am-»pliùs videtis? an cum fortuna vestra rerum natura »etiam versa est? &c.

1443. Cùm Ecclesia sit Societas (§. 1355.), præfixum habens finem proximum ac ultimum (§. 1436.), & ad utrumque promovendum membra ejus obligentur per Conscientiam (§. 1441. 1442.), fundamentum cujusvis Societatis autem sit consensus membrorum seu plurium (per princ. *Polit.*), *fundamentum Societatis ecclesiasticæ est consensus Conscientiæ, quàm diu hæc ita judicat.* *Societatis eccles. genesis ac cessatio.*

Sch. 1. Judicium scil. ac sententiam homo potest mutare & sæpè mutat, præsertim si priùs opinione nonnisi ductus fuerit (*Met.* §. 386. 387.), aut persuasione vanâ (*Log. Cap.* 13. §. 13.), dein verò rem certò noscere vel scire velit (*Met.* §. 389. seq.), ac propriis eam intueri oculis, nec solùm aliorum judicium sequi (*Log. Cap.* 13. §. 13. 15.). Hùc & posset facere (Sch. §. 156.).

Sch. 2. Consensus autem alius est ac requiritur vel in essentialia Societatis eccles., seu sine quibus hæc sibi non constaret, uti v. g. lectio Scripturæ, constitutio Doctorum, præconium Verbi linguâ vernaculâ &c. vel in accidentalia, seu sine quibus nihilominùs Societas illa consistere potest, cujusmodi ex. gr. ceremoniæ hæ vel illæ in Cultu publico &c. Quemadmodum & JCti quoad Contractus distinguunt inter essentialia atque accidentalia; jam Contractus quilibet & pactum consensum requirit (per defin. *Mor.* §. 1008.), ut hinc & Societas eccles. tali niti debeat: cum Societas in genere pactum postulet (*Pol.* §. 2.).

1444. Itaque qui Ecclesiæ cuidam ùt membra se associant, judicium de rebus ad finem Ecclesiæ (§. 1436.) pertinentibus sibi reservant. *Consectarium.*

Sch. 1. Ne videlicet Conscientiæ quid contrarium admittatur ac agatur [sicut & circa dogmata potestatem judicandi seu jus examinis sibi reservant (sch. 1. §. 195.); quantò magis ergo circa Ecclesiæ institutа?] uti è contrà qui Imperio subsunt, coguntur ad conformitatem in agendo; sic ut judicium soli conveniat Principi, nec id sibi reservare possint; ùt benè Clar. CANZIUS *discipl. mor.* §. 2173.

Sch. 2. Inter ea autem, quæ ad finem Ecclesiæ pertinent, differentia illa intercedit, de qua (sch. 2. §. præced.).

Ecclesia qualisnam sit Societas.

1445. Societas, quæ ita se habet, ut imperium in rebus suis omne respuat, solò verò plurium pactò nititur, dicitur *æqualis*; proinde *Ecclesia est Societas æqualis.*

Sch. 1. Societas æqualis inde & definitur, quòd sit talis, ubi obligatio, quâ una persona alteri obligata, à natura Societatis solùm dependeat; ita Cl. DARIES *instit. Jurispr. univers.* §. 550. uti è contrà, ubi obligatio ab eo, cui jus competit, dependet, Societas inde fit ac dicitur *inæqualis*, ib.

Sch. 2. In Societate æquali adeò nullâ locum habet ad obsequium coactio; atque hæcce Propositio perinde ùt illa (§. 1439.), quacum ferè coincidit, inde pro basi Juris eccles. habenda.

Necessitas ordinis in ea.

1446. Interim nequicquàm *in Ecclesia ordo ac subordinatio requiritur*: habet enim finem proximum ac ultimum (§. 1436.), ad quem utrumque ideò tendentia omnium ùt ad annum esse debet; ubi verò talis tendentia, ibi per se similitudo variorum, quæ est *ordo* (*Met.* §. 132.): quippe & perfectio, quæ tendentiam ad unum dicit (ib. §. 152.), ordinem præsupponit (ib. §. 156.); conse-

consequenter & ut unum alteri inserviat ac subministret ut medium ad finem [sive sint instituta & res, sive Agentia rationalia] propius, vel minùs tale, quod est *subordinatio*.

Sch. 1. Subordinatio hinc & personarum in Ecclesia [de quibus verò demùm in seq.] requiritur.

Sch. 2. Quoad ordinem in Ecclesia exerte ideò PAULUS 1. Cor. 14: 33. quòd Deus non sit Deus vel fautor ἀκαταστασίας » Tumultûs [inquit Cl. SCHOETGENIUS ad eum locum] » seditionis, quando quis » sine ordine & institutione superiorum res suas tractat » conferri jubet Tob. 4: 13. &c. è contrà εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν omnia fieri vult Apostolus ib. v. 40. ubi idem Vir D. ex *Sorah* notat, talem quoque ordinem in Cultu judaico præscribi.

1447. Ordo hicce ac subordinatio si ita se habeant ac executioni dentur, ut finis Ecclesiæ proximus & per hunc ut medium ultimus obtineatur aut promoveatur, tùm id facit *salutem Ecclesiæ* & quidem *internam*; quæ adeò est, ubi intùs res benè geruntur; uti è contrà si ab extra non sunt, quæ Ecclesiæ noxia (§. 1358. 1359.), inde exurgit salus ejus *externa*. *Quale bonum inde pro Ecclesia resultet.*

Scil. datur omninò Ecclesiæ externæ [de qua semper hic sermo; & quæ objectum est Jurisprudentiæ eccles.] etiam salus interna; hinc non opus est monere, quòd & quomodo salus hæcce differat à salute membrorum Ecclesiæ internæ, qua de Loco IX. De Salute Ecclesiæ præeuntem habemus Cel. BÖHMERUM *Jur. eccles. Protest. to.* 1. *diss. prælim.*

1448. Quòd si in Societate quadam ordo esse debeat, sine omni tamen imperio, tùm ij, qui res talis *Ordinatio rerum quomodo audiat.*

Societatis curant ac agunt, dicuntur *dirigere*, adeòque *in Ecclesia ad salutem ejus* (§. 1447.) *requiritur directio.*

Sch. 1. Id GROTIUS *directivum regimen* appellat *de Imperio Summ. potest. circa S. Cap.* 4. §. 12. quod in suadendo & declarando positum, ut & ex eo memoratum (sch. 4. §. 1439.). Ab Imperio autem satis se discriminat directio: illud scil. & invitos cogit (§. cit.), non autem directio, ad quam ultrò consentientes esse debent, quia Directoris præscriptum omnium Societatis membrorum arbitrio convenit. Ut imperium adeò sit necessitatis, directio autem libertatis, notante CANZIÒ *discipl. mor.* §. 2173. b. directio nonnisi quandam ad imperium habeat analogiam, id. §. 2222.

Sch. 2. Uti jam directio fert Munus, & tale qui gerunt, salutem Ecclesiæ inde promovere debent tanquam finem directionis, seu ad quam salutem directio illa est medium; inde propter obligationem ad illam salutem promovendam [quæ & per propria principia incumbit, ut nimirùm Religio, quam ipsi pro vera tenent, effectum sortiatur] Munia ea vocantur *officia*, & qui hæc gerunt, *officiales*, in præsenti materia ergò *officiales ecclesiastici*, qui sunt, qui curæ habere debent Ecclesiæ directionem, hinc salutem, præter eos, quibus docendi Munus incumbit, Præpositi, Presbyteri, Episcopi. Officia eorum ac jura constituunt *jus personarum ecclesiast.* vid. quædam apud DARIES *Jurisprud. univ.* §. 918. seq.

Quid inde resultet. 1449. Facultas hæcce res Ecclesiæ dirigendi, adeòque efficiendi, ne quid in Ecclesia quâ tali contra ordinem fiat, est, quod dicitur *potestas ecclesiastica.*

Sch. 1. Neutiquàm adeò hæc est potestas cum imperio decernendi, ordinandi, exigendi [ùt satis clarum ex] (§. 1439. 1445. sch. 1. & 2.) quæ *jurisdictionem* facit.

Effectus potestatis ecclesiast. quinam sint, in seq. memorabitur, prout locò convenienti de quolibet mentionem injicere ac agere ordo & evolutio rerum secum feret,

feret, vid. autem ex. gr. [præter supra] (§. 1431. 1434.) infra (§. 1474. 1483. 1486. 1496.).

Recenset aliàs effectus hosce stabilitque eos deducendo ex anteced. definitionibus ac propositionibus probatis Cl. DARIES §. 889. 891. 895. 899. 903. 906. 908. 909.

Sch. 2. Illa jam Jurisprudentia, quæ Leges naturales ad eos applicat, qui potestate illâ gaudent, dicitur *ecclesiastica universalis* & quidem *publica*, uti & monet CANZIUS *discipl. mor.* §. 2223. qui & addit, per analogiam illam directionis cum imperio (sch. 1. §. 1448.) facilè occurri dubio, quod aliàs oriri posset: quomodo scil. publica dici possit, cum *Jus publicum* illud dicatur, quod de nexu Imperantium ac obsequentium exponit, in Ecclesia autem non sit imperium, nec sint Imperantes (§. 1439.).

Potestas eccles. unde nam exurgat.

1450. *Origo* autem *vel fundamentum potestatis ecclesiasticæ est consensus eorum, in quos exercetur:* quippe cùm fundamentum Societatis ecclesiast. sit consensus Conscientiæ (§. 1443.), & verò potestas ecclesiast. sit facultas dirigendi res Ecclesiæ (§. 1449.), seu eorum, qui Societatem illam constituunt, itidem pro fundamento habere debet consensum: siquidem omnis potestatis origo tandem est consensus eorum, qui ei subsunt (per princ. Polit.).

Ubi scil. consensus datur in doctrinæ typum (§. 1354.), eum pro vero assumendo, quod ex convictione, hinc voluntariò (§. 1438.) fieri debet, ac iisdem utendo Sacramentis. Hinc tam diu fundamentum potestatis illius durat, quàm diu consensus Conscientiæ (§. 1443.), aliter ac in civilibus.

Coordinatio cum Statu civili.

1451. *Directio Ecclesiæ* verò *ita debet ac potest institui*, hinc *potestas eccles. ita exerceri, ut Statui civili seu Reipublicæ nullum inde oriatur incommodum:*

namque vera Religio ita est comparata, ut Societati civili nullum planè præjudicium creet, è contra ei admodùm sit accommodata, idque tam Religio naturalis (*Pol.* §. 366.), quàm revelata (per §. 318. 914.), & adjumentum ferat officiorum præstationi (§. 916. seq.); proinde & quæ requiruntur ad finem Ecclesiæ obtinendum (§. 1436.), Statui civili neutiquàm incommodant, consequenter directio, cùm circa finem illum versetur (§. 1448. coll. 1447. 1436.), ita potest ac debet instituti.

Sch. 1. Ideò potestas ecclesiast. & definitur per Jus, quod quidam habent, tùm ut Ecclesiæ negotia dirigant, tùm ut caveant, ne quid in Ecclesia agatur, quod Societati civili adversetur; ita CANZIUS *discipl. mor.* §. 2222.

Sch. 2. Hinc & è Statu civili determinandum est, an & quousque dissentientibus in Religione tolerantia sit concedenda, scil. tolerantia, quæ dicitur *politica*, ubi dissentientes eôdem conjunguntur imperiô civili; *ecclesiastica* enim [quæ est, ubi dissentientes eâdem Professionis formulâ recipiuntur] non potest non esse conscientiæ (§. 1442.), ut imperio neutiquam subsit (§. 1439.).

De tolerantia autem & Vir modò laud. *Jurispr. theol.* §. 737. seq. §. 749. & seq.

Ecclesia in Statu civili inexistentia.

1452. *Ecclesia* itaque *est in Republica seu Statu*, interim *minimè illa est Respublica vel Status*: est in Republica, nisi ponatur, ibi loci nullum esse Statum Imperantium ac subditorum; interim non Respublica seu Status, Luc. 22: 25. 26. quia in suis rebus imperium non admittit (§. 1439.).

Sch. 1. Ecclesiam esse in Republica inde quoque clarum est, quia Respublica semper eadem potest manere ac manet,

manet, idem super eandem regionem, in eosdem subditos, personas, retinere imperium, etsi Ecclesia, Religio, mutetur, quin etsi prorsùs intercideret in ea regione: exempli locô sit vel solùm Reformatio &c.

Aut si casus alius ponatur, ut v. g. locô Religionis Christianæ in regione quadam introducatur Muhamedica, an non Civitas, civilia, eôdem modô manere possunt, eadem Imperantis persona, eadem Leges civiles? quod non posset, nisi Ecclesia ùt aliquid à Republica diversum huic inesset &c. Respublica ideò Ecclesiam complectitur, & membrum Ecclesiæ (sch. 2. §. 1315.) non aliud dicit, nisi quâtenus persona doctrinam illam Cultumque tenet.

Sch. 2. Ita ergò nullum statuitur imperium in imperio: possunt interim ij, qui Rempublicam regunt, & in ea primarii sunt, in Ecclesia esse; ac revera sunt, si ejusdem sint Religionis; atque id quidem, ut in Ecclesia non sint primarii [quum & aliâs in Ecclesia quâ tali ac inter membra locum non habeat talis prærogativa, & si sit disparitas, fundamentum ejus sit potestas per Consensum delegata, aut disparitas donorum, ùt etiam monet Rever. PFAFFIUS *orig. Jur. eccles. Cap.* 4. §. 1. not. s. p. 301.] Nec id ullô modô implicat: cùm in pluribus Societatibus, quæ in regione vel Republica quadam coëxistunt, quis possit esse diversô modô, diversam sustinere personam moralem; ut & in quibusdam è contrà prorsùs non esse &c.

1453. *Nec* etiam *per se requiritur aut necesse est, ut Ecclesia sit à Republica independens:* quippe dependentia a Republica [præsertim si sit ejusdem Religionis Summus Imperans] neutiquàm repugnat naturæ finique Ecclesiæ (1315. 1436.); & quôcunque modô directio rerum Ecclesiæ (§. 1448.) non impeditur, id admitti potest. *Num ab hoc independens esse debeat.*

Sch. 1. Quòd si ergo directio illa è contrà adhùc promoveatur, tum Ecclesiam à Republica dependentem fieri præstat. Semper nempe id nonnisi quoad externa

Eccleſiæ intelligitur (ſch. §. 1447.); & ùt tantùm promoveantur, neutiquàm autem Conſcientiæ adverſantia obtrudantur (§. 1442. & ſch. 2.).

Sch. 2. Pontificios hîc directè in contrarium abire notum eſt: quorum quippe hypotheſis, pro qua ùt pro aris ac focis dimicant, hæc eſt, non ſolùm debere in Eccleſia, vel rebus eccleſiaſt. ac Religionis imperium obtinere, contra (§. 1438. 1439.), quod adhuc poſſet locum habere, dum Imperans quoad jura quædam imperium ſuum interponeret, ac ita Eccleſia imperium mutuò haberet à brachio ſeculari, licèt jam id quoad alia ac interna naturæ Religionis repugnaret (ſch. 3. §. 1439. ſch. 2. §. 1442.); ſed & præterea Eccleſiam quoad directionem (§. 1448.) à Statu civili planè ac ſemper eſſe debere independentem, pro qua independentia ùt pro Palladio pugnat jus Canonicum. Lubet autem illuſtrationis gratiâ, & quià egregiè præſenti materiæ inſervit, hypotheſeos hujus conſectaria in nexu ſuo exhibere è nupero Juris *Canonico-Pontific.-eccleſiaſt.* expoſitore doctiſſimo & Cl. LUD. MART. KAHLIO, & quidem proùt è *diſſ.* ejus *prælim. To.* 1. præmiſſa exhibent eruditiſſ. Auctores *Act. Erudit.* Lipſienſ. 1743. p. 328. 329. ubi poſtquàm monuiſſet, quaſi catenis enunciationes in Titulis ijs omnibus eſſe colligatas, ita dein: » 2. vox *Eccleſia* apud Pontificios gene»ratim denotat Societatem imperantium Clericorum & »ſubjectorum Laicorum, fidei Chriſtianæ addictorum, »à Republica civili planè independentem [hanc no»tionem refellit Author in *Sect.* 1. *diſſ. prælim.*] §. 3. »Eccleſia Romana eſt Respublica in aliis Republi»cis, ſeu omnes Respublicas pervadens (§. 2.) om»nium Principum Catholicorum Majeſtatem minuens »[repugnat Author huic doctrinæ in *Notis*] ab ipſo »Deo Petro & ſucceſſoribus hujus tradita [hæc placita »etiam refutantur ab Authore] §. 4. in Eccleſia Rom. »ſummam Majeſtatem habet Papa, cujus officiò etiam »funguntur Epiſcopi; quamvis horum poteſtas ſubor»dinata ſit ſupremæ Romani Pontificis poteſtati; §. »5. Imperantes & ſubjecti ſunt perſonæ inæquales; »ergò in Eccleſia Romana diverſitas jurium & obli»gationum, in qua inæqualitas moralitas conſiſtit, ra»tione Clericorum & Laicorum locum habet [abhor»rere

»rere hæc à dictis & probatis *Sect.* 1. §. 2. oſtenditur] »ergo Laici debent eſſe obedientes, ac facere credere- »que omnia in rebus fidei, quæ Pontifex & delegati »ejus, horumque adminiſtri, præcipiunt, (§. 4.). »§. 6. Majeſtas non poteſt diſpeſci in partes —— er- »gò una tantùm Majeſtas exiſtit in quavis Republica, »quæ ſi in arbitrio unius perſonæ poſita eſt, *Monar- »chia* vocatur; ergò Eccleſia Romana eſt Monarchia »univerſalis. §. 7. Eccleſia eſt Respublica S. (§. 2.), »in qua Pontifex Summæ rerum præeſt (§. 4.); ita- »que ad perſonas & res Sacras poteſtas Pontificis pro- »priè ſpectat; ergò ad ea omnia, quæ ad doctrinam »& fidem Chriſtianam pertinent; ergò 1. credenda »præſcribit, ſtatuit, & decidit controverſias; 2. agen- »da, quæ ſalutem æternam reſpiciunt, præcipit; 3. »infideles vel atheos pœnis afficit; 4. hæreticos dam- »nat, & in eos animadvertit; 5. privat Eccleſiæ mem- »bra omnibus juribus, non eccleſiaſticis ſolùm ſed & »humanis, ſi ijs indigni videntur; 6. negotia civilia »confirmat, vel corrigit, ſi aliquâ ratione Religioni »Pontificiæ ſunt impedimento ——— atque hac ſub »ſpecie Leges innumeras promulgat, quarum ratio in »his verbis continetur: ſalus Eccleſiæ [ſeu, quod »idem, Pontificis & Cleri] ſuprema lex eſto —— &c. alia cum his cognata infra ad (§. 1465.).

Quomodo reſpectu hujus Statûs dicenda ſit.

1454. Quòd ſi Societas quædam æqualis alteri inexiſtat vel coëxiſtat, ſive ab hacce dependeat ſive non, ac & æquè latè pateat, vel ſecùs, aut ſolùm dependens ſit, ne altera ea detrimenti quid patiatur. dicitur talis Societas *Collegium*; proinde *Eccleſia eſt Collegium reſpectu Reipublicæ, quod huic adverſari non debet:* in Republica quippe eſt (§. 1452.), & ita dirigenda, ut hæc nil detrimenti patiatur (§. 1451.).

Sch. 1. Eſt ſcil. Collegium [Eccleſia] per totam diffuſum Rempublicam aut Statum, ubi nempe Religio ejus eſt dominans; alicubi verò non ita, uti v. g. inter Turcas, ubi Eccleſiæ græcæ Civitate anguſtiores ſunt.

Vanum inde esset objicere: Ecclesiam non posse esse Collegium, eò quòd nullum Collegium æque latè pateat ac ipsa Civitas; quippe & præterea Collegia metiri oporteat è scopo & pactis non autem è quantitate ac amplitudine; estque perinde, sive coëuntes in Civitate omnes sint, sive non; monente hæc CANZIO *Jurispr. theol.* §. 749. fffff.

Sch. 2. Ideò & Collegium aliud assumere licet, ubi Conscientia dictat, in priori veram doctrinam aut verum Cultum aut & Conscientiæ libertatem non obtinere; adeòque alii Ecclesiæ aggregare se licet. Quod qui faciunt, *proselyti* audiunt; uti respectu Ecclesiæ, quam deserunt, *apostatæ*.

Pontific. deviatio.

1455. Malè ideò Pontificii Ecclesiam mutarunt in Hierarchiam.

Sch. 1. Imperium scil. in Ecclesia obtinet Romana [quod & probè distinguendum, ne res ac ideæ diversæ confundantur] 1. dum Conscientiæ multa obtruduntur: vid. (§. 1429. & sch. 2. §. 1441.]: 2. ob administrationem externorum independentem à brachio Seculari vel Summo Imperante; ùt & hæc intelliguntur è (sch. 2. §. 1453.). Ob id posterius itaque faciunt Imperium in Imperio; ac id inde, licèt Pontifici concessum, tamen Status Protestantes jure in Reformatione revocarunt: cùm partes imperii illius in Pontificem ac Clerum non irrevocabiliter sed subordinatè solùm translatæ ac ei concessæ fuerint, sive per pacta, concordata, privilegia, sive maribus, convenientiâ atque usurpationibus id factum; uti de hisce *Tract. de jure reformandi P.* 2. §. 14. 15. seq.

Sch. 2. Vi hujus hypotheseos de Hierarchia disputant inde & Pontificii Theologi ac JCti de forma regiminis Ecclesiæ, aliis id monarchicum, aliis aristocraticum, aliis potiùs mixtum dicentibus; quo de aliquid BUDDEUS *Theol. dogm.* p. 1284. 1304. Nota autem hanc in rem est M. ANT. DE DOMINIS historia, ob hypothesin ejus, quam in celebri *de Republica ecclesiast.* Opere propugnaverat. Ex illa Hierarchia Jus episcopale

pale Pontificiorum ; quod uti & totam Hierarchiam saluti Ecclesiæ (§. 1447.) repugnare notat Cel. BÖHMERUS *diss.* (sch. ib.) cit. §. 21. seq.

sch. 3. Sensum autem hæcce introducta fuit Hierarchia ; dum primò sub imperatoribus ethnicis res Ecclesiæ curare ac dirigere relinquebatur Antistitibus hujus, Episcopis &c. independenter à Summis Imperantibus : hi quippe Ecclesiam nec curabant, nec curare volebant, oppressionem ejus machinantes &c. »At postquàm »Imperatores [ita GROTIUS *de imperio Summ. potest. »circa S. Cap.* 9. §. 11.] Christianismum amplexi sunt, »tùm demum jurisdictionis pars aliqua Pastoribus, ùt »officiô publicô fungentibus, data est ; eâque triplex : »aut *jure ordinariô*, aut *ex consensu partium*, aut *ex »delegatione*. Jure ordinariô concessum est Episco»pis de ijs rebus judicare, quæ ad Religionem perti»nent ; quod primus omnium videtur constituisse Va»lentinianus I., cujus hoc rescriptum citat AMBROSIUS &c. » Constitutiones dein aliorum Imperatorum allegat Vir summus, quæ volebant causas ecclesiasticas episcopali auctoritate decidi, ita ut & horum negotiorum cognitio civilibus judicibus adimatur. Illam autem »ex consensu jurisdictionem [loquitur idem »Vir Magnus §. 12.] à Constantino Episcopi accepe»runt, tanto cum jure, ne liceret ulterius tractare ne»gotium, quod Episcoporum sententia decidisset, id »est, remotâ appellatione ; hinc Valentinianus modò »cit. constitutione ---- primus omnium Imperatorum »Justinianus jura judicum secularium circumscripsit, & »Clericos tam à Laicis quàm à Clericis in civilibus »causis apud Episcopum omninò conveniri voluit &c. De tertio genere jurisdictionis, seu ex delegatione Vir laud. quædam §. 13. ac ei nomen fuisse *audientiæ* monet. Monemus adhùc ; Hierarchiam eam ampliùs stabilitam fuisse ab Imperatore Phoca : dum reduxit ad Episcopum Romanum, seu hunecce auctoritate reliquos anteire voluit &c.

1456. Cùm Ecclesia tale sit Collegium in Republica (§. 1452. 1454.), *Ecclesia à quibusnam*

pro

hominum generibus componatur.

pro fine habens exercitium Religionis (§. 1435. seq.), per doctrinæ instillationem ac Cultum, *nulli alii in ea sunt Status hominum, nisi qui docent ac dirigunt, & qui doctrinam directionemque recipiunt*, seu *Ecclesia quâ talis non continet nisi Doctores ac auditores*: quippe nec genesis (§. 1443. 1450.) ac natura hujus Societatis (§. 1437. 1439. 1445.), nec fines ejus (1436. 1447.), nec quæ ad eos obtinendos requiritur subordinatio (§. 1446.) ac directio (§. 1448.) & in hisce fundata potestas ecclesiast. (§. 1449. 1451.) alia quàm hæc duo hominum genera in Ecclesia, quatenus est Ecclesia, & homines eam constituere considerantur, requirunt quin admittunt.

Minùs aptè itaque dicitur; tres esse in Ecclesia Status, œconomicum, civilem & ecclesiasticum: cùm Status civilis non sit in Ecclesia, è contrà hæc in illo (§. 1452.); etiam Status œconomicus ad Ecclesiam quâ talem non pertineat, non magis quàm aliud quodcunque in Civitate Collegium. Interim qui ita loquuntur, non aliud [saltem plerique] sibi volunt, nisi eos, qui Ecclesiæ membra ac Christiani sint, versari simùl & in alio Statu, qui diversus, & cui vel Ecclesia inexistit, vel ei coëxistit; unde etiam Ecclesiæ membra proveniunt, nempe per educationem in Statu œconomico. Nimirùm quià [uti & monitum] (sch. 2. §. 1452.) diversam quis potest sustinere personam moralem, dici potest eô sensu, qui explicatus, Christianos in ijs tribus versari statibus; Status scilicet quicunque moralis, neutiquàm autem civilis tùm intelligitur, ùt nemo non videt. Magis ineptè adhùc Status hi dicuntur *hierarchici &c.* Cæterùm Status dicti dùm Ecclesiæ coëxistunt, adeòque Societati veram tenenti Religionem, inde & fructum ab Ecclesia percipiunt: Religio quippe Christiana felicitatem eorum promovere apta est: cùm & singulorum

hominum

hominum & integrarum Rerumpublicarum saluti inserviat, uti hocce deducit Vir Cel. ac eruditiss. GOTTFR. OLEARIUS Tract. JEsus der wahre Meßias, *P.* 4. *Cap.* 1. 2.

1457. Indidem, quia Ecclesia est uti Collegium in Republica (§. 1452. 1454.), cuivis autem Collegio competit facultas res pro scopo suo, seu proùt hic requirit, ordinandi ac dirigendi, hinc Jus tale, ita nempe ut Reipublicæ non sit detrimento (§. 1451.), ideò & *Ecclesiæ Jua competunt jura*, eaque quâ talia dicuntur *collegialia*. *Jura ejus.*

Per horum administrationem stat ordo in Ecclesia (§. 1446.), estque jus directionis (§. 1448.).
Præcipua autem jurium collegial. sunt ac ponuntur à Doctoribus: doctrinæ approbatio conventionalis, constitutio & depositio Ministrorum Ecclesiæ, ordinatio Cultûs publici, determinatio ceremoniarum, decisio controversiarum per compromissum, eorum, qui contra confœderationem peccant, segregatio à cœtu externo, bonorum ecclesiast. administratio &c. quorum quædam & in seq., proùt dicendorum ordo determinabit, memorabuntur.

1458. Jus collegiale itaque versatur circa finem Ecclesiæ (§. 1436.) promovendum, seu ordinat, quomodo per exercitium Religionis (§. 1435.) gloria Dei illustrari possit; unde rectè dicitur *jus circa Sacra:* quippe cùm circa ea [actiones externas] quæ Deum concernunt, Cultum Ipsius, versetur. *Horum objectum.*

Non adeò differt ab hacce definitione illa, quâ Jus circa Sacra definitur per illud, quod versatur circa Ecclesiam [uti definit Cel. CRAMERUS *diss. de Jure circa Sacra colleg. & Majest.* §. 12. seq.] ut mox perspicitur,

spicitur, si attendatur definitio Ecclesiæ (§. 1437.); unde idem V. D. objectum ejus constituit, quicquid exercitium Religionis mutuum concernit, §. 14. uti Vir. Cl. *Jus circa S. collegiale* dicit illud, vi cujus ordinari possunt, quæcunque per modum medii se habent ad finem Ecclesiæ obtinendum, ib. §. 15.

Penes quos jus illud origine suâ resideat.

1459. Jus tale cùm Ecclesiæ competat quâ Collegio (§. 1457.), seu Societati particulari (§. 1454.), sociis autem incumbat finem Societatis promovere (per princ. *Polit.*) [uti & per se manifestum est eò ipsò, quia consensum dederunt] (§. 1443.) *Jus circa Sacra collegiale est penes Ecclesiam originariè, seu omnia ejus membra simul sumta.*

Huc & facerent quædam infra (sch. 1. §. 1472.). Cl. CANZIUS ideò jus collegiale definit per facultatem, quæ ipsi Ecclesiæ secundùm primam originem convenit omnia sic dirigendi, ut ordo conservetur, 1. Cor. 14: 40. *discip. mor.* §. 2246. Consensus populi hinc quoque Seculis primis [secundò ac tertiò] rogabatur: vid. Cel. PFAFFIUS *Orig. Jur. eccles. Cap.* 3. ad §. 2. not. g. p. 179. seq.

Quodnam admittat exercitium.

1460. *Jura collegialia* ideò *ab Ecclesia cum imperio & in invitos exerceri nequeunt*: quippe repugnaret id naturæ Ecclesiæ (§. 1437. 1445. 1456.), quæ imperium non agnoscit (§. 1439.), repugnaret fini, quem intendit (§. 1436.).

Ecclesia ideò imperium non admittit nec activè nec passivè; de activo probatum (§. 1438. 1439.); jam actio & passio per se invicem determinantur, uti in moral. jus & obligatio; ut, ubi non actio, ibi ex altera parte non passio, sicut ubi non jus, ibi non obligatio; jam cùm imperium activum vel jus Ecclesiæ denegatum fuerit

fuerit (§. cit.), inde membra nullâ tenentur obligatione, ejus imperio ut ejus & propriè tali in rebus Religionis se submittendi. Quòd ideò Christus Apostolis omne imperium interdixerit, jam memoratum (§. 1439.) uti alia plura hùc facientia (sch. 3. ib.). Interim quomodo jura Ecclesiæ adjuvari possint ac debeant per imperium civile, absque omni tamen tyrannide S., mox dicetur; unde & exercitio jurium collegialium genuino non obstat, si imperiò civili suffulta fuerint, vel Princeps, quòminùs Sacra turbentur, vi externâ impediat; sic &, si Ecclesia, ubi Religio ejus non est dominans, contra violentos turbatores [vim externam injustè illatam] se vi defendat: cùm cuivis homini, hinc & Collegio, jus defensionis contra aggressores competat: vid. (*Mor.* §. 866. seq.).

1461. Illa facultas [moralis], quæ Principi convenit, omnia in Republica ita ordinandi, ut scopus hujus obtineatur, adeòque cum imperio exercendi, dicitur *Jus Majestatis* vel *Majestaticum*; & Majestas, quæ Principibus [dicitur & Statibus] pro rata provinciarum suarum competit, dicitur *superioritas territorialis*. *Jus Principis.*

Sch. 1. Jam & supra (sch. 1. §. 298.) Majestatis definitio quâdantenus exhibita; benè autem & alii monent, esse eam summam ubique in Civitate potestatem, non ratione loci & territorii in universum [cùm & alias civium in territorio thorus Principi pateret &c.] sed ratione scopi: quia quicquid ad finem Civitatis pertinet, potestati Principis subjectum sit.

Sch. 2. Ob jus Majestaticum ac superioritatem territorialem membra Ecclesiæ in externis imperio Principis subsunt, non quia sunt membra Ecclesiæ, sed quia inter Civitati subjectos referri debent; uti ita DARIES §. 912.

1462. Quandoquidem Ecclesiæ com- *Potestas eccle-*

fiast. unde nam componatur.

competit potestas (§. 1449. seq.), quæ constituit Jus collegiale (§. 1457.), libertati conscientiæ se accommodans (§. 1442.), quod Reipublicæ adeoque juribus Majestatis neutiquàm debet præjudicare (§. 1451.), imò & Ecclesia [adeòque etiam quoad istud Jus [à Republica potest dependere (§. 1453.), *potestas ecclesiastica non est nisi complexus jurium collegialium etiam Majestatis ac* [quæ utrisque illis limites ponit] *jurium Conscientiæ.*

Sch. 1. Ita Cl. CANZIUS *discipl. moral.* §. 2255. ubi & in seq. notas, hæc jura nisi benè contemperentur, Ecclesiam malò graviter laborare; scil. si jura collegialia plùs justò evehantur, oriri imperium hierarchicum, adeòque Papo-Cæsariam, contra (§. 1455.); si jura Majestatis nimiùm extendantur, oriri Cæsaro-Papiam, contra (§. 1457. 1459.); si verò Conscientiæ libertati immunitas nimia concedatur, tùm ordinem Ecclesiæ non relinqui, contra (§. 1446.); in quod malum v. g. Independentes illi in Anglia inciderint.

Sch. 2. De fundamento potestas hujus jam supra (§. 1450.). E dictis autem satis patet, potestatem eam ab imperio ecclesiast. longè differre; cùm & sit potestas moderandi res Ecclesiæ, de qua Princeps etiam participat [quo de mox] Ecclesiæ enim soli nil juris Majestatici tribui posse per se clarum est; ut frustrà objiceretur: quomodo Ecclesiæ jus Majestatis vel participatio de eo tribui possit &c.

Jus Imperantium quoad jura Ecclesia.

1463. Quia autem directio Ecclesiæ, hinc jus collegiale, ita semper administrari ac determinari debet, ut Status civilis nullum inde sentiat damnum (§. 1451.), ideò *Principi vi* Majestatis, seu *Juris Majestatici* (§. 1461.), *competit facere, ut jura collegia ad tranquillitatem salutem-*

temque Reipublicæ exerceantur ; atque id dicitur *Jus circa Sacra Majestaticum.*

Sch. 1. Placet opponere CANZII verba è *discipl. mor.* §. 2385. »quicquid, unô verbô, pacem in Civitate »vel directè vel indirectè turbare potest, illud Principis judicio, tametsi Ecclesiæ membra attingat, im»perativo, non solùm declarativo, penitus obnoxiam »est, quæ generalis regula facilè ad singulos casus ap»plicari potest.» Principi scil. in quævis Collegia in suo Statu suprema competit inspectio ; cùm jam Religio gravissime hominum animos afficiat, Princeps majorem omninò Ecclesiæ curam gerere debet, quàm reliquorum Collegiorum. Ex quibus & patet, Principis esse, Ecclesiam contra insultus defendere, uti notat Cl. CRAMERUS *diss. de jure circa S. &c.* §. 44. 45.

Sch. 2. Distinctionem inter jus circa Sacra collegiale & Majestaticum realem esse ex eo perspicitur, quòd diversa sint hæc, scil. ordinare, quæ ad finem Societatis obtinendum requiruntur, & dein ea saluti ac tranquillitati publicæ conformiter dirigere. Differentiâ illâ nititur divisio illa, qua Principis jura Sacrorum dividuntur vel distinguuntur in *absoluta*, quæ & *negativa* dicuntur, ac essent, quod dicitur jus circa S. Majestaticum ; & in *positiva*, seu collegialia, de quibus in seq. (§. 1465. 1466.) ; inter priora [absoluta] refertur v. g. cura Religionis in genere, utpote firmissimi Societatis vinculi, porrò, ut ne aliquam è diversis Religionibus in sua ditione turbari patiatur, ut permittat congregationes ad Cultum, sic tolerantia diversarum Sectarum, jus consistorii seu judicia ecclesiast. constituendi, attentio, num Clerus aliquâ jurisdictione civili in plebem Christianam uti velit &c.

1464. Id igitur Jus Principis quâ Principi convenit, & eum imperio, hinc etiam in invitos exerceri potest. *Coroll.*

Sch. 1. Ideò & Imperatoribus ethnicis competat : vid. Act. 25: 11. 12. ac jura circa Sacra Majestatica in Sta-

tibus è Superioritate territoriali fluere monet & probat CRAMERUS diss. jam laud. §. 65. 66. uti è contrà jura collegialia Principi quâ Principi non competere idem JCtus Cel. notat ac probat ib. §. 19.--22. 42. 43.

Sch. 2. Jus circa S. Majestaticum ideò secum ferre jurisdictionem ecclesiast. patet: Jurisdictio scil. est potestas cum imperio decernendi, ordinandi, exigendi; hinc quid sit ecclesiastica, facilè videtur; possunt verò & subditi Vasalli, Status subordinati eâ gaudere, dependenter à Principe quoad originem &c. vid. de jurisdictione ecclesiast. Tract. *de jure reform. P.* 2. §. 22. seq. 29. seq. 37. seq.

Translatio Jurium propriorum in Principem.

1465. *Potest* autem *Ecclesia jurium collegialium administrationem Principi tradere*, imò *id facere aliquando prudentiæ est, si Princeps ejusdem sit Religionis*: namque Societas & Collegium quodlibet potestate gaudet jura ipsi competentia cuidam tradendi, si bonum Societatis inde meliùs promoveri possit; quare cùm sæpissimè bonum Ecclesiæ, seu salus ejus (§. 1447.) eò modò meliùs promoveatur: quia Princeps impedimenta fortuitò emergentia meliùs è medio tollere, evitare, Ecclesiam contra insultus defendere ac tutam præstare valet, benè agit Ecclesia jus collegiale Imperanti relinquendo.

Sch. 2. Jura collegialia adeò eoùsque & tam diu in alios transferri possunt, quòusque & quàm diu permittit scopus Ecclesiæ [quo de] (§. 1436.), ac ejus salus; consequenter &, nisi ob diversitatem Religionis, cui Princeps addictus, persecutio timenda. Interim & Principes alienis Sacris addictos, gentiles, judicasse de rebus ecclesiast., judicio ipsorum ab ipsis Christianis delatis, judicia ipsorum ratihabita, vergentia in bonum Ecclesiæ, exemplis compluribus eruditè GROTIUS docet Tract. sæpius cit. *Cap.* 5. §. 12. Scilicet jura in genere possunt aliis salvâ Conscientiæ libertate

libertate relinqui; unde & rectè monetur, ea jura in Principes transferri posse, quæ illibatâ in Deum pietate, vel ipsô actu transferri, vel in perpetuum relinqui possunt. Etiam benè monetur ab aliis, discrimen in præsenti materia esse faciendum inter jura, quæ Ecclesia necessariô in Principem transferre debet; inter ea, quæ liberè in eum transfert, & ea, quæ planè non transferre potest; illa esse jus vi externâ impediendi, ne quis Sacra Ecclesiæ recepta turbet; ista, quæ ad externam Ecclesiæ formam pertinent; hæc jus in articulos fidei consensum dandi. Applicentur hæc ad jura memorata (sch. §. 1457.); de hisce verò hîc speciatim pluribus agere necesse non est: in seq. enim ordo ac occasio commemorationem cujuslibet ingeret, ubi simùl vel addi dijudicari poterit, an & quâtenus Principi relinqui possit. De conjunctione aliâs juris circa S. cum jure Majestatico [quæ quippe hùc pertineret] seu directione Ecclesiæ à Principe peragenda ac peracta leg. Cl. PFAFFIUS *orig. Jur. eccles. Cap.* 3. ad §. 3. Not. i i p. 266. – 276. ubi de illa historicè [apud Judæos, gentiles, ac præcipuè Christianos] & moraliter seu juridicè.

Sch. 2. Ecclesiam Romanam vi hypotheseos de Hierarchia ecclesiast. (§. 1455.) non posse non jurium collegialium translationi repugnare clarum est; quin & jura Majestatica circa Sacra Principibus aut denegat aut mutilat; unde positiones ac conclusiones hujus Theologorum ac JCtorum quoad hancce materiam juriumque collegialium partes per se satis possunt conjici; lubet autem concatenatas eas juxta jus Canonicum porrò proponere ad ductum eruditi juris Canon. & eccles. Interpretis, Cl. KAHLII, prout epitome suppeditatur locô (sch. 2. §. 1453. cit.) ubi ita » §. 8. Pontifici est obe- »diendum (§. 7.), errori verò non est dandus locus, »ob mala inde resultantia; ergò Pontifex debet esse »infallibilis; ergò Principes omnes regium Sacerdo- »tium Papæ venerari, & imperata ab eo & Episcopis »facere tenentur (§. 4. 7.); ergò etiam debent ag- »noscere judicium à Pontifice atque Episcopis insti- »tutum, seque ei permittere; ipse Pontifex autem, »quoniam Caput est & Princeps Ecclesiæ independens, »nemini est subjectus, nec ab alio judicari potest (§. »4.);

»4.); §. 9. res & personæ S. pendent ex Pontifice »unicè (§. 6. 7.); ergò Clerici planè non sunt sub»jecti Principibus secularibus, nec jurisdictionem eo»rum admittunt; unde infinita alia Clericorum jura »oriuntur: adeò ut Principes tanquàm oves Pastori»bus seu Clero se subjicere debeant, ac planè in om»nibus obedire, uti reliqui Laici (§. 5.); nullâ igi»tur ratione mutare possunt ecclesiasticas ordinatio»nes Principes seculares, sed obligati sunt, ut se se»veros executores voluntatis Cleri, seu spiritualis ju»stitiæ præbeant; ergò brachium seculare prosequi »debet, quæ à spirituali imperantur. 10. dantur »duo gladii, spiritualis nimirùm & temporalis: cùm »locum habeat Respublica S., scil. in omni civili (§. »3. & 9.); spiritualis autem præstat temporali ob »dignitatem objecti ac prærogativam rerum Divina»rum; itaque hujus potestas illam antecellit (§. 9.); »uti igitur planè independens est Pontifex, ita etiam »gladius spiritualis non dependet ab alio, sed solùm»modò à Pontifice (§. 8.), Rege Regum, Domino »dominantium; §. 11. infinitum propè est corpus il»lud morale, quod Ecclesiæ Pontificiæ nomine insig»nitur (§. 6.); fieri igitur non potuit, quin in par»tes perplures divideretur jurisdictio ejus, ac à Pon»tifice fidei committeretur Episcoporum; & ab his »iterum mandarentur inferioribus particulares Ecclesiæ »tanquàm membra totius; unde exorti sunt episco»patus, qui dici merentur Respublicæ particulares »---- pendentes ex generali illa, quam adhùc de»scripsimus, una & sic dicta catholica Ecclesia (§. 6.).

»Unde ratio etiam concipi potest, cur Episcopo »diœceseos cujusdam omnes & singuli, ipsique Impe»ratores, subjecti sint (§. 9.); nec non cur Papa & »Episcopi Ecclesiam repræsentent.

Ex hisce sequuntur ac per hæc determinantur alia Cleri Romani prætensa jura, v. g. quoad judicium & judicem ecclesiast.; quo de ex ejusdem Cl. KAHLII *to.* 2. iidem eruditiss. Auctores *Act. Erud.* 1744. p. 26. ita: »Judice seculari prorsùs non utitur Clericus »---- licèt igitur repudiaverit privilegium istud, »& tulerit Judicem secularem, id tamen irritum ju»betur esse ---- ergò non causæ tantùm sacræ Cle»ricorum,

»ricorum, sed & causæ civiles pertinent ad Judicem »ecclesiasticum vel Consistorium; vocatur enim *Con-»sistorium* judicium ecclesiasticum, quod diœcesani »nomine administratur - - - - - Judex ecclesiasticus »competens est, & præponitur spiritualibus, ecclesia-»sticis, sacrisque, quin etiam civilibus causis Clerico-»rum - - - ergò Laici sumere etiam Judicem ecclesia-»sticum debent, si deliquerunt adversùs Ecclesiam » - - - &c.

1466. Summus Imperans itaque seu Magistratus non plus potestatis in juribus collegialibus exercendis habet, quam Ecclesia ipsi tradidit; & si juribus ijs gaudere debet, Pactum expressum cum subditis præcesserit necesse est. *Limites potestatis civilis quoad Ecclesiæ jura.*

Sch. 1. Etiam per (§. 1459.). Idem monet ac demonstrat JCtus Cl. CRAMERUS *diss.* sæpiùs laud. §. 67. 68. qui hinc itidem demonstrat §. 69. jura collegialia in Statibus Protestantibus superioritati territoriali tantùm coëxistere, neutiquàm verò cum ea esse connexa; & §. 71. Jus circa Sacra Principi competens non indistinctè è superioritate territoriali esse derivandum. Ex PUFENDORFIO quoque monet §. 70. si quæ potestas & jus Summis Imperantibus circa Ecclesiam & Sacra asseri debeat, id deducendum esse vel ex genuina indole Summi Imperii, vel ex indole ipsius Religionis Christianæ, vel tandem ex ultronea delatione Ecclesiæ. Notandum, quòd etiam ad tempus nonnisi aliquando jura Ecclesiæ collegialia exercenda tradantur; cujusmodi [& quod hùc pertinet] dicitur *Jus devolutionis*; ac definitur à Cl. CANZIO *discipl. mor.* §. 2276. per potestatem Principis, quæ locum habeat, quoties Ecclesiæ membra suis juribus in Ecclesiæ commodum uti ab aliis impediuntur, uti in Papo-Cæsaria fiat, vel suò ipsorum dissensu uti nolunt; ubi tùm in remedium confusionis Principes ad meliora usque tempora jura illa exerceant.

Sch. 2. Magistratus consequenter non constituitur Caput

Ecclesiæ : quum jura collegialia ipsi competant non propterea, quia Princeps est ; etiam non in omnia, quæ in Ecclesia sunt, potestatem habet : aliâs & in Conscientias haberet [quo de mox], sicùt nec jus Majestatis ad omnia, quæ in Civitate sunt, se extendit (sch. 1. §. 1461.). Etiam jura illa irrevocabilia non sunt suâ naturâ, non versantur enim circa talia objecta, circa quæ subditis paciscî licet, aut ex aliorum arbitrio dependere ; unde nullâtenus minuitur auctoritas ac Majestas Principum : cùm maneat semper potestas in omnia ea, quæ Lege Dei non sunt exemta, inspectio suprema in res Ecclesiæ, imperium in omnes personas territorii sui, quæ simùl membra Ecclesiæ, per jus Majestatis &c. (§. 1461. & sch. 2.) ; prout hæc monentur Tract. *de jure reform. P.* 1. §. 37. conf. verò & (sch. §. 1438. sch. 3. §. 1439. & sch. 1. §. 1463.).

Pertinerent etiam hùc partes officiorum, quæ Principibus respectu Religionis, hinc Ecclesiæ, incumbunt, de quibus ùt & malis ex eorum omissione orientibus legi meretur, qui graviter ea de re Vir Rev. & Cl. J. F. OSTERVALD *Sourc. de la corrupt. to.* 2. *sourc.* 4.

Sch. 3. Multò minùs Summus Imperans exercere potest, quod nec Ecclesia ipsi tradere potuit, scil. jura Conscientiæ (sch. 3. §. 1439. & §. 1441.) : nam » quicquid [sunt verba Cl. GANZII *discipl.* &c. p. 2419.] » Conscientia Ecclesiæ ipsi expediundum injungit, id » Ecclesia in Principes transferre non potest, nempe » in juribus Conscientiæ absolutis, benè autem in re» spectivis. Quòusque verò interim & Magistratibus potestas competat in Conscientiam civium errores foventium, idem V. D. evolvit *Jurispr. Theol.* §. 710. seq. nimirum distinguendo errores : dùm alii errores evitabiles. sunt omnibus hominibus, eò quòd dogmata opposita sana Ratio omnibus dictitet, cujusmodi sunt, Deum existere, esse Conditorem suscipiendum, perfectissimum &c. alii autem evitabiles sunt tantùm Christianis per S. Scripturam ; alii denique, quos Eruditi nonnisi præcavere possunt. Jam errores primi generis quum regimen Dei in universas creaturas everlant, inde imperanti competere jus, quin impositam adhuc esse necessitatem eos profligandi ;

non

non autem eos secundi ac tertii generis, eò quòd tùm cives inducerentur ad peccandum: cùm vi coacti facerent, quod peccatum esse sibi persuadent; quod pugnaret contra subordinationem, quâ Imperantes omnes supremo Rectori obnoxii: dum potestas eorum circa Sacra quoad cives eâ nitatur ratione, quòd omnia illis subjecta sint, quæ subjectio Deo debita non præripit. Hisce positionibus solvi posse difficultates [pronunciat Vir laud.] quibus aliàs haud facilè quis se extricaturus sit, v. g. liceret Principi cives erroribus circa Religionem deditos in rectam reducere viam, pellendo Doctores, alias & veras fidei formulas præscribendo &c. tùnc autem Principem falsæ addictum Religioni id moliturum adversùs veræ Religionis assecias; aut si dicatur id non licere, in contrarium adduci piorum in V. T. Regum exempla, in N. T. Imperatorum. Probè etiam monet id. Vir, eos, qui Conscientiæ institinctum Ecclesiæ mandato præferunt, non posse dici anteponere privatum publico, sed maximè publicum minùs publico: quum Conscientia sit judicium de officiis, quæ debentur Reipublicæ summæ, adeòque tali, quæ ipsam Ecclesiam, ut particularem, obnoxiam habet; & judicium illud Conscientiæ, etsi hominis privati tamen formaliter saltem publicum esse, si non materialiter, vid. §. cit. -- 331.

Sch. 4. E dictis etiam (sch. 2. 3.) patet, quænam Principi in ecclesiasticis competant circa subditos diversæ Religionis; quæ & determinatur per ea, quæ paucis memorata (sch. §. 1438. sch. 3. §. 1439. sch. 1. §. 1463.); de cætero ad pacta, conventa, concordata, Leges item publicas respiciendum, juxta quæ tanquàm ad præscriptum Princeps jura Ecclesiæ [subditorum alius Religionis] exequi tenetur &c.
Indidem quoque perspicitur, an & quomodo admitti possit illud vulgatum: *ejus est Religio, cujus est regio* &c. Ex eo verò, ubi jura Ecclesiæ [collegialia] Principi traduntur, oritur, quòd difficilior sit jurium Imperii & collegialium distinctio, non in se sed ex accidente, quia eidem subjecto inhærent, uti monet sæpiùs laud. GANZIUS *discipl.* &c. §. 2251.

Delegatio alia jurium Ecclesiæ è commissis.

1467. *Potest* etiam *Ecclesia administrationem jurium collegialium* [maximam partem] *uni vel pluribus committere*, imò *benè ac prudenter ita facit:* Sociorum enim cùm sit finem Societatis promovere (per princ. *Polit.*), quælibet Societas res suas ita ordinabit, ut scopus obtineatur, res cum ordine, sine confusione, turbis, fiant, adjumenta fortuita in usum convertantur, impedimenta removeantur, idque [uti sæpè opùs] sine mora; prudentiâ quoque id postulante (*Mor.* §. 330.); jam verò ubi Ecclesia major tota jurium collegialium administrationem ipsa exerceret, illa non ita ordine, sine mora &c. fierent, consequenter non benè: quippe magnâ hominum multitudine ad dissensus, moras nectendas, proclivi &c.

Sch. 1. Ita Seculô primô jurium collegialium administratio commissia erat Apostolis ac Presbyteris: Seculô secundô & tertiô Episcopis ac Presbyteris; à quibus verò & quô tempore interim semper consensus populi seu totius Ecclesiæ respiciebatur ac quærebatur: uti memoratum (sch. §. 1459.). Quemadmodùm & hodiedum, si potest, fieri debet: quippe ij, qui Ecclesiæ nomine dirigunt, id faciunt potestate ab Ecclesia acceptâ, per (§. 1459.).

Sch. 2. E translatione vel delegatione jurium Ecclesiæ quoque provenit, ut hujus directio ac potestas vel monarchica, vel aristocratica, vel democratica dici ac esse possit, sine omni tamen Cæsaro-Papia, vel Papo-Cæsaria aut Independentismo. Juxta primum modum Magistratus jura Majestatis in personam ecclesiast. ultrò transfert ac sine opinione juris Divini immediati; cujus exemplum in Episcopis Germaniæ, jura Majestatis & collegialia possidentibus, ex norma Juris publici germanici. Juxta secundum modum jura collegialia

gialia in Principem translata, conferentium Conscientiæ conformiter exercentur, uti in pluribus Ecclesiis evangelicis. Juxta tertium modum ipsi Cœtus ecclesiast. jura collegialia exercent per majora membrorum suffragia; prouti hæc monet CANZIUS *discipl.* &c. §. 2278.

1468. Quod si quidem ab Ecclesia committantur [ordinariè, qui rebus agendis ob Intellectûs voluntatisque dotes maximè idonei, aut ob ætatem ac Munus commendabiles sunt] ut res ejus ubicunque & quôcunque modò curent, adeòque nomine Ecclesiæ agant, dicuntur *Ecclesia repræsentativa:* & si tales à majori quadam totius regionis Regnique Ecclesia commissi conveniant, ob coortas circa doctrinam Cultumve lites decidendas, sedandas, abusus tollendos, aut ad judicandum, quosnam pro membris agnosci velint, appellantur *Concilium*, & quidem *nationale*, ubi regio quædam regnumque delegat, item *Synodus;* si verò tota undequaque Ecclesia, seu universalis (§. 1348.) talia agat, appellatur *œcumenicum.* *Ex Ecclesia commissis quid resultet*

Rectè ejusmodi Ecclesia audit repræsentativa: quià Caput repræsentativum est ac dicitur, quod nomine Societatis agit (§. 762.). Non ingredimur autem hic, quæ alias materiam de Conciliis spectant: quis convocandi ea jure gaudeat, scil. Summus Imperans; quomodo in ijs agendum &c. spectant hùc, quæ præter alios GROTIUS *de imp. Summ. potest* &c. *Cap.* 7. ubi §. 1. de ipsa voce σύνοδος &c. §. 5. de triplici Synodorum fine, qui sint consilium, consensus, exercitium jurisdictionis concessæ; §. 9. -- 11. quòd jus eligendi mittendos ad Synodum sit penes Summam potestatem; §. 14. 15. quòd ei competat ἐπίκρισις, ut mutare, demere ac addere possit. In compendio autem, quæ de Conciliis quæruntur, exhibita vid.

apud Cel. PEAFFIUM *institution. Jur. eccles. Lib. 1. Cap. 4.*

Auctoritas Conciliorum qualis.

1469. *Auctoritas Conciliorum est tantùm declarativa* [qualis dicitur, ubi solum ostenditur rationibus ac declaratur, quid verum ac rectum sit nec ne] *non* autem *imperativa*: quippe imperium omne ab Ecclesia abest (§. 1439.).

Interim auctoritate Conciliorum aliquando devenit imperativa [in talibus scil., ùt quivis videt, quæ non sunt Conscientiæ] (§. 1442. 1443.) si nempe Jura Majestatis interveniant, ubi Princeps, ne salus Reipublicæ patiatur, auctoritatem suam interponere potest, uti monet Cl. CANZIUS *discipl.* &c. §. 2382. seq. uti hæc ex antea dictis de jure circa Sacra Majestatico &c. (§. 1463. & sch. 1.) satis intelliguntur. Idem & de aliis quoque rebus, quas Ecclesia quædam ordinat, valet. Longè autem semper hæc differunt ab auctoritate, qualem Pontificii suis Conciliis & Ecclesiæ tribuunt: quippe quæ est imperativa per se, ob infallibilitatem prætensam (§. 198. & sch. 1-3. ib.); ut frustrà sint, dum obtendunt, quòd Protestantes synodis suis reapse eandem tribuant auctoritatem vimque obligandi, quam Catholici; quam tibiam & inflat BOSSUETUS, dogmata pingendi ac transformandi artem apprimè callens, vide *Cap. 20. expos.* &c.

Pontific. error quoad Caput Ecclesia visibile.

1470. Cùm in Ecclesia sint Doctores, Ministri (§. 1433.), qui non solùm docere debent (§. 1434.), sed & dirigere possunt (§. 1448.), porro Magistratus jure circa Sacra Majestaticò gaudeat (§. 1463.), insuper & jure collegialia administrare possit (§. 1465.), quin etiam Ecclesia alios adhùc ad id committere (§. 1467. 1468.), potestatemque dirigendi ijs adeò delegare possit, sequitur, *nullò planè Capite visibili*

bili Ecclesiæ universali prætereà opùs esse, quod Pontificii volunt.

Non quæritur nempe, utrùm tota electorum Societas, seu Ecclesia invisibilis (§. 1300. 1313.), gaudeat Capite itidem invisibili (§. 1306.): de hoc quippe Pontificios inter ac nos convenit; verùm quæritur de Ecclesia visibili (§. 1315.), num Caput visibile habere debeat, & præcipuè num Caput hocce sit Pontifex Romanus. In quæstione hacce probè est distinguendum inter Ecclesiam universalem & particulares; nam etsi quis probaverit, Monarchiam esse optimam omnium Regiminis formarum, inde tamen nondum probavit, unum nonnisi debere esse Monarcham, qui toti imperare debeat Orbi; eôdem modô etsi hæc vel illa Ecclesia nonnisi ab uno optimè vel gubernari vel dirigi posset, inde nondum sequitur, universæ per Orbem dispersæ Ecclesiæ unum præesse debere. Ex eo etiam, quòd in V. T. unum nonnisi in ecclesiasticis fuerit Caput, scil. Pontifex Maximus, neutiquàm consequentia valet ad N. T.: tùnc temporis quippe Ecclesia unius erat regionis [etiam Judæis post captivitatem Babyl. exteras licèt habitantibus regiones tamen Templo Hierosolymitano Festis illis tribus (sch. §. 1386. N. 4.) adstrictis] ut unica persona toti potuerit præesse.

Quòd si Ecclesia Apostolica tale Caput agnovisset, Apostoli certè, post Petri obitum adhùc viventes, sociatim tale Caput iterùm delegissent ac substituissent in locum Petri; at nullum de talibus vestigium; porrò si talis monarchia in Ecclesiam potestas fundamentô niti debet, Christum non solùm eam instituisse oportet, verùm adhùc successorem certô modô determinasse: ponatur enim, Christum dedisse Petro primatum, inde tamen successio legitimè continuari nequit, nisi adsit iterùm expressum Christi mandatum; ac verò nil ejusmodi legitur à Christo factum, nec etiam PETRUS in altera epistolarum suarum aliquid de iis rebus ordinasse, licèt morti propinquus 2. Pet. 1: 14.

Conceditur, Petrum, uti & reliquos Apostolos, cùm Ecclesias particulares fundarent, constituisse ibi Doctores, Episcopos &c. verùm non pro successoribus in Apostolatu, sed tantùm pro inspectoribus Ecclesiæ

ejus

ejus loci &c. vid., qui hæc omnia suppedita? MOLINÆUS *de novit. Papismi, Lib.* 2. *Cap.* 1. qui & quoad primatum adhùc *Cap.* 2. quæ autem jam ferè supra (sch. 1. §. 1427.) notata; de loco verò Matth. 16: 18. vid. præter ibi quædam dicta Cl. WERENFELSIUS *cogit. ad loca N. T.* p. m. 293. *Opusc.*

Jam ergò nunc ad quæstionem, num Papa sit Ecclesiæ Caput, regeritur, ipsum non esse Petri successiorem: cùm tales Apostoli non habuerint [quoad Munus Apostolicum] vel instituerint, & maximô jure tùm institutus fuisset Johannes Apostolus, multò majori, quàm Linus aut Clemens &c. Cùm etiam primis temporibus Episcopi Romani electio facta fuerit à populo Romano, seu tota ejus loci Communitate Christiana, num præsumi potest, aliarum Urbium ac Provinciarum Communitates jure Episcopum proprium eligendi cessuros fuisse, submittendo se Communitati Romanæ? Dein ut alia prætereamus, quandoquidem Petrus complures annos Antiochiæ sedem habuit, num Romam se recipiens Antiochiæ [Veteribus quibusdam ùt paris ferè dignitatis cum urbe Roma laudatæ] primatum suum demsit, & Urbi Romæ tribuisse probari potest? vel an dici potest, quòd, in quacunque Urbe pro tempore sedem habuit, tùm ea primatum obtinuerit &c. De Primatu Petri, item num Romæ fuerit, conferri etiam meretur Rever. noster ac Doctissimus ZPHENDERUS Tract. omnibus commendandô **Histor. Chronologie** p. 285. - - 307.
Primatus verò Episcopi Romani inde oriebatur, quòd Ecclesia Romana è præcipuis in Occidente fuerit, ab ipsis Apostolis plantata, constantiâ in Fide ac Sanctimonia celebris, item ob ipsam Urbis Romæ celebritatem ac eminentiam.

Qualenam sit jus constituendi Doctores.

1471. Quoniam in Ecclesia ad scopum ejus requiruntur Doctores publici (§. 1434. seq.), jus verò res in Ecclesia pro scopo hujus ordinandi constituit jura collegialia (§. 1457.), *Jus constituendi Doctores pertinet ad jura Ecclesiæ collegialia.*

Sicuti

Sicuti enim » alia in Civitate Collegialia [loquitur CANZIUS *disciplin.* &c. §. 2547. b.] » Mercatorum, »opificum &c. sub inspectione quidem Magistratûs, »ipsa tamen per se & ex suo Conventu Capita Colle»giorum, quæ directioni præsint, eligere solent, ita »&, quià Ecclesia est Societas æqualis, seu Collegium, »idem Juris omninò habet.

1472. Jus itaque eos eligendi [quod aliâs dicitur *vocatio*] originariè pertinet ad totam Ecclesiam seu omnia ejus membra, per translationem verò seu delegationem potest vel ad Magistratum vel ad alios pertinere (§. 1465. 1467.). *Ad quosnam propriè pertineat.*

Sch. 1. Electio Ministrorum ideò quòd primis Seculis à populo sit facta, jam memoratum; id ipsum est, quod PAIONUS prolixè adstruit *exam. du Livr. &c.* P. 3. *Cap.* 10. ut evincat, Ministros Protestantium a Societatibus Laicorum ordinatos legitimam habere ordinationem, quo de & supra (sch. §. 1430.).

Pastorum electionem hinc dicunt *naturaliter* Ecclesiæ competere, interim *mutabiliter*, ita & GROTIUS *de imp. Summ. potest. &c. Cap.* 10. §. 3. siquidem » naturaliter [loquitur ipse Vir Max.] Cœtui unicuique »permittitur ea procurare, quæ ad conservationem sui »sunt necessaria, in quo numero est functionum ap»plicatio; ita vectores multi jus habent eligendi gu»bernatorem suæ navis, viatores itineris ducem, »populus liber Regem. Unde sequitur, si jus »Divinum certam eligendi rationem non præscripserit, »& nullum adhùc extet ea de re jus humanum, ad »Ecclesiam sui Pastoris electionem pertinere.

Immutabiliter autem ad populum pertinere neque rationibus ullatenus nec Sacrarum Literarum auctoritate probari posse, nec & Veteri Ecclesiæ creditum fuisse adstruit dein Vir laud. in seq. vid. etiam §. 13.

Posse inde & Summas potestates justi de causis electiones sibi vindicare, §. 15. quod erudité Vir Maximus in seq. probat factum esse v. g. in populo Israëlitico, item ab Imperatoribus Romanis, Orientis &c.

Jus eligendi Ministros ideò non est *præceptivum*, cujusmodi

modi dicitur, ubi lex alicui quid injungit, ac rei faciendæ necessitatem imponit, ut inde jus tale translationem non admittat, notante CANZIÔ *discipl.* §. 2512. qui & §. 2507. a. monet, Principi potestatem competere non *in* ipsam Ministrorum vocationem, sed *circa* eam; nec ut eâ fruatur, sed ut eam moderetur, ne Reipublicæ obsit; uti & in conjugia civium potestatem habeat, legibus illa circumscribendi, non autem uxores civibus eripiendi.

Sch. 2. Circa vocationem etiam *Jus Patronatûs*, ùt dicitur, benè locum habere potest; origo Patronatûs autem, seu quod quidam eô gaudeant, inde est, aut quia Ecclesiam dotarunt, aut Templum extruxerunt, aut fundum concesserunt; hinc regula: *Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus*; vid. CANZIUS lib. cit. §. 2529. imò totô illô *Cap.*, quod est quintum *discipl.* 4. *P.* 2. præcipuè verò Cel. BÖHMERUS *de jure paroch. Sect.* 3. *Cap.* 1. §. 9. seq. Quoad ortum autem Juris dicti ratione temporis H. GROTIUS Tract. sæpiùs cit. *Cap.* 12. §. 5. illud antiquum esse, ex Imperatorum ac Regum constitutione atque concessione originem traxisse asserit, esse ἀπορροὴν *emanationem* quandam è Jure Summæ potestatis provenientem, nec niti jure Papali: quum antiquius sit Papatum dominatu. Vocationi Ministrorum fœdam aspergit labem *Simonia*, quæ dicitur, ac est profana æstimatio rerum spiritualium actuumque Sacrorum; ac inde præprimis & committitur, ubi Munus sacrum quæritur re quâdam temporali, æstimationem recipiente; & » Jure Canonicô Simoniam committunt [sunt verba J. ULR. CRAMERI *programm. de diversit. crimin. Simoniæ & Sim. Magi*, Marburg. 1734. p. 12.] » quicunque spiritualis obtinendi gratiâ dant, » faciunt, vel loquuntur, quod in utilitatem spirituale » conferentis quôcunque modô vergit; atque inde » est, quòd Theologi Scholastici - - - & cum ipsis » Canonistæ triplex Munus distinguant, munus scilicèt » à manu, ab obsequio & à lingua; munus enim à » manu offert, quô quis dat; munus ab obsequio, » quô quis facit; munus à lingua, quô quis loqui- » tur, quod ad alterius, à quo spirituale obtinere in- » tendit, utilitatem spectat. » Ut latissimè crimen

Simoniæ

Simoniæ jure Canonicô pateat ; etiam, eôdem V. D. judice ib. p. 11. crimen Simonis Magi sub Simonia tanquàm sub suo genere contineatur.
Gravissimum porro crimen hocce esse Canonistæ pronunciant, adeò ut cætera crimina, quàmvis alioqui gravia, huic tamen comparata, levia ipsis æstimentur, vid. v. g. ANT. CUCHUS *instit. Jur. Can. Lib. 4. Tit. 1.* ubi & in criminis hujus accusatione servos adversùs Dominos, imò quoslibet criminosos admitti dicit &c.

Sch. 3. Circa Ministrorum constitutionem quidam distinguunt actus : *nominandi, vocandi, præsentandi ;* alii autem clariùs : *electionem, confirmationem, ordinationem ;* pertinent hùc, quæ JCtus longè præstantissimus BÖHMERUS *de Jur. paroch. Sect. 3. Cap. 1.* quod agit *de parochis eorumque constitutione.* De electione autem idem Vir Cel. prolixè *Jur. eccles. protest. Lib. 1. Tit. 6.* Notandum hîc, quòd adeò per hancce electionem nulla militet successio in & pro constitutione Doctorum Ecclesiæ, quo de aliquid jam (sch. 4. §. 1321.) ; minùs successio juxta genealogias, uti in Ministris Sacrorum V. T. seu Sacerdotibus, ubi præcipuè notanda successio illa in Pontificatu, magno olim Judæis in pretio, ut videre est è SELDENI *de Successione in Pontificatum Ebræorum* libris duobus [qui inter Opera ipsius nuperè in Anglia junctim fol. edita extant *Vol. 2.* col. 80. —— 200.] ubi *Lib. 1.* historicè rem tractat, *Lib.* verò 2. juridicè ; vid. autem hujus *Lib. 2. Cap.* præcipuè 1 -- 4.

Functiones Ministrorum quotuplices.

1473. Quia Doctores in Ecclesia requiruntur, ut finis Ecclesiæ obtineatur (§. 1432. -- 1436.), ad finem huncce autem non solùm opùs est, ut publicè doceatur Sacramentaque administrentur, sed & ut functiones privatæ fiant, *functiones Ministrorum Ecclesiæ* ideò *sunt vel publicæ vel privatæ :* quippe & privatas requirit excitatio ad pietatem per certum doctrinæ typum (§. 1353. 1354.).

Per

Per privatas functiones ac exercitia promoventur omninò publicæ, seu per illas fit, ut hæ majori cum fructu fiant: quum ita τὸ universale individuis applicando ritè determinetur. Munia ad functiones in Ecclesia Apostolica obeundas instituta memorantur à PAULO 1. Cor. 12: 28. seq. in quem loc. vid. VITRINGA *Syn. V.* L. 2. C. 3. p. 505. seq.

Quænam sint. 1474. *Pertinet* itaque *inter functiones eas* [præter docendi publicè privatimque officium (§. 1431. 1434. coll. 1473.) Sacramentorum item administrationem] *peccata ac vitia publicè privatimque reprehendere, è contra ad virtutem adhortari, obtestari, item malò quòcunque pressos solatiò sublevare:* quippe per omne id scopus Ecclesiæ seu excitato pietatis in Deum ac Servatorem promovetur, ùt & intenditur finis ac Usus cognitionis veritatum Religionis, quas Doctores instillare debent, scil. applicatio ad virtutem ac solatium (prol. §. 12. 14. 39.).

Sch. 1. In hocce ultimo consistit officium paracleticum, quo de præcipit Theologia paracletica (prol. §. 13.); ad illas priores functiones pertinent instructiones, colloquia, dissidia componendi studium, casuum item conscientiæ resolutio: admodùm quippe sæpè necessaria, nec minùs difficilis (*Mor.* 96. seq.). Ea omni cùm non sufficienter fieri possint sine domestica auditorum visitatione, ideò & hæ visitationes quàm maximè inter privatas functiones [diligenter obeundas, & quarum omissio magno vergit damno] ponendæ; ea de re lectu digna est JOH. FECHTII, Theologi de Ecclesia benè meriti *diss. de domestica auditorum visitatione*, Rostoch. 1708.

Sch. 2. Quòd functiones privatas ùt obeundas hîc adstruendo tamen non contrariemur (§. 1434.), quivis videbit. Notare hic juvat, è functionibus Ministrorum patere, quòd & quomodo differant à Ministris

V. T.

V. T. seu sacerdotibus, quod OUTRAMUS *Lib.* 1. *Cap.* 19. §. 5. observat, ubi postquàm monuisset, quàmvis PAULUS tralatitiô loquendi genere Sacerdotis personam sibi sumat, & Christiani quoque Sacerdotes appellentur Apoc. 1: 6. tamen nullos Evangelii Ministros, quocunque in ordine constitutos unquàm ἱερεῖς aut ἀρχιερεῖς dici; dein ita »quod ideò moneo, ut »Ministerium Evangelicum à Sacerdotio Aaronico multum differre intelligatur, idque in eo præcipuè cerni, quòd illud pro Deo apud homines præcipuè constitutum sit, hoc pro hominibus apud Deum; ex »quo & illud intelligitur, illud præcipuè circa homines, hoc circa Deum versatum esse. Quibus adde, quòd Sacerdotio judaico succesſit Sacerdotium Christi, non Ministerium evangelicum; ut »nemo nunc nisi ipse Christus authoritate à Deo datâ »ἱερεὺς aut ἀρχιερεὺς superſit, nempe hominum apud »Deum patronus.

1475. Functiones illæ constituunt *curam*, quæ dicitur, *animarum*; & industria, vigilantia in omnibus iis [publicè privatimque] obeundis facit *Pastorem fidelem.*

Minister fidus in iis industrius esse debet.

Sch. 1. Qui verò non minùs prudentiam jungere debet, juxta præceptum CHRISTI Matth. 10: 16. ac exemplum PAULI 1. Cor. 9: 20--22. adeòque operam dabit, ut, quæ præstat officia incumbentia, cum Ratione & judicio præstet; uti, ubi fidelitas est, ibi præstanda præstabuntur non solùm voluntariè, sed & cum zelo [prudenti inde semper], constanter; etiam ex intuitu vel consideratione momenti harum rerum, difficultatis simùl ac propriæ ineptitudinis, humiliter. Itaque præstationi officiorum vel functionum Ministro incumbentium inesse debent, ac inerunt, ubi est fidelis, quinque illæ Virtutes cardinales (§. 1196. & sch. 1.); & quidem inesse debent, ut ibid. commemorantur, tanquàm adjuncta Sanctitatis seu Virtutes Christianæ.

Sch. 2. Per illas functiones scil. Ministri Ecclesiæ fiunt

ac sunt *Pastores*, nec solùm præcones Verbi Divini; membra Cœtûs, gregem pascunt, nec solùm publicè docent, quasi hôcce omne eorum officium absolveretur. De functionibus autem ac officiis pastoralibus non pauci Viri egregiè exposuerunt, ex gr. [ut alios prætereamus] Rev. ac eruditiss. Pastor Basileensis ROQUES in Libro inscripto: *Le Pasteur evangelique*; jungere interest considerationem damni ac malorum ex neglectu functionum illatum, vel ubi non rectè obeuntur, provenientium, quam graviter exponit Venerab. Neocomens. Antistes OSTERWALD *Sourc. de la corrupt. Tom. 2. journ. 3.*

Requisita Ministri talis fidelis.

1476. Jam autem *ad Munus tale ritè ac benè obeundum requiri Dona, Virtutes scil. intellectuales ac morales satis ac per se patet*: quum enim cognitio vel doctrina aliis sit instillanda (§. 1431. 1434.), oportet cognitione ejus priùs eâque distinctâ gaudeat Doctor, & quidem tàm quoad agenda, quàm credendæ, doctrinæ, quæ casus conscienciæ enodare, item, quæ veritates malò pressis applicare docet; omnia hæcce jam effectum multò faciliùs ferunt exoptatum, si molestia (*Mor.* §. 810. seq.), mansuetudo (ib. 852.) comitentur, si ex amore proficiscantur, proprioque inprimis exemplô confirmentur, si veritates ipse experiatur Doctor, adeòque Theologiam experimentalem animo insidentem habeat (*Prol.* §. 15. & sch. 2.

Sch. 1. Præsertim si hæc omnia, uti debent, sint sanctitatis vel sanctificationis effectus; faciunt ideò huc (§. 1193. & sch. 1194. & sch. 1196. sch. 1. 2.). Inde perspicitur, qualia oporteat esse literarum studia ejus, qui se Muneri huic destinat; quòd necesse sit, ut doctrinarum fundamenta ac principia distinctè & familiariter teneat; quòd non contemnere debeat [ex præju-

præjudiciis, ignorantia, judicium item submittendo iis, qui studiis præfuêre] quæ maximo usui esse possunt; quòd è contrà minùs incumbere, inculcari, necesse sit, quæ in nuda speculatione, conjecturis, consistunt, nec ferè nisi Eruditis materiam se exercendi præbent, aut & aliis imaginationi frena laxandi; præsertim si necessaria propterea omittenda forent &c.

Cognitio rerum sacrarum cùm requiratur, hæc autem è Verbo Divino hauriendæ sit, mediantibus, quæ ad id intelligendum necessaria [de quibus Locô II. §. 164. seq.] adeòque & vel maximè aliquali linguarum Cod. S. originalium notitiâ; hæc negligi neutiquam debent; minùs leviter tractari ab iis, qui studiis præsunt. Ut pessimum esset talia contemnere: quippe ita Seculum paulatim assimilaretur illis ignorantiæ, ubi nonnisi ARISTOTELIS Philosophia ac Dialectica resonabat, & umbratici Seculorum illorum Doctores græca, hebræa Cod. S. ignorabant, quarum tamen linguarum cognitio Reformationem pòst attulit. Eos imitantur hodiedum, qui linguarum originalium studium ût minutias grammaticas contemtui habent ac aliis contemnendum reddunt; inde quoad hoc Anabaptistas ac Fanaticos [licèt aliâs ab hisce multùm discrepent] reipsâ sequuntur.

Sch. 2. Ex hisce donis requisitis uti & illa Ministris incumbente cura (§. 1474. 1475.), quæ objectum, circa quod occupantur, constituit, quo de & (§. 1431.), patet & dignitas & necessitas ordini vel Ministerio ecclesiast. etiam apud Protestantes tribuenda, & quônam æstimii gradu Pastores seu personæ ecclesiasticæ propriè haberi ac respici debeant: cùm apud gentes antiquas gradus honoris, quin Nobilitatis conspicuus Ministris Sacrorum fuerit tributus, quo de aliquid infra (sch. 2. §. 1492.); hodiedum autem apud Protestantium plerosque rerum facies quoad id insigniter mutata reperiatur, ubi non solùm pretium ac æstimium habetur & tribuitur tantummodo pro gradu splendoris natalium, divitiarum &c. sed & Munus ecclesiast. locô splendoris ac honoris conciliandi, adhùc splendorem, si unquàm connatum, obscurat &c. ut nil dicatur de hominibus mundanis ordinem S. etiam ob se ipsum contemtui quin odio habentibus &c.

Necessitas ordinis ecclesiast. in Societate humana satis perspicitur ex eo, quod Religio firmissimum sit Societatis vinculum, & per officiorum inculcationem, pœnarum Dei denunciationem, homines adigi possint, ut justè ac tranquillè secum invicem vivant; unde Magistratuum auctoritati & securitati valdè submINISTRAT ordo is, præsertim ubi talia media coactiva ad subditos in officio continendos non adhibentur ut alibi; ut miserè suæ in Politicis perspicientiæ defectum prodant, qui ex odio in Ministerium ecclesiast. [cujus fons præter alia fastidium Religionis] tenent aut & profitentur, Menisteriô hôcce vel saltem tantô Ministrorum numerô opus haud esse &c.

Th. 3. Jam ut Ministri Muneri suo fine aliarum rerum terrenarum cura quietè vacare possint, omnino sustentationi eorum decenti prospiciatur oportet; salaria hinc [quæ verò magis ut honoraria consideranda] iis exhibeantur: more omnibus tantùm non populis consuetô, ut Sacerdotes de Munere suo sustentarentur; præcipuè in V. T., ubi hinc Deus iis, qui sacris peragendis vacabant, largiter prospexit, per fundos, decimas, reliquias sacrificiorum; vid. Lev. 25: 32. 34. Deut. 12: 12. 14: 22. seq. 27. seq. 18: 6 -- 8. 26: 13. 14. Res ipsa & æquitatem, quin necessitatem ac decorum loquitur: quippe ij, qui ob Munus suum, cui se devovent, omni temporali quæstui renunciare debent, omnino inde, quô largiter sustententur, habere debent; necessitas: quoniam aliâs contemtui forent: quippe juxta Satyrici effatum

Nil habet infelix paupertas durius,
quàm quòd ridiculos homines facit;

JUVENALIS *Sat.* 3. v. 153. 154.

Decorum: Magistratum quippe, cujus Statûs tranquillitati submINISTRANT Ministri, decet omninò, ut è reditibus in eos inde redundare sinat, præsertim si ejusdem sit Religionis; tantò magis id fas est apud Protestantes ob reditus, quos Principes per & post Reformationem secularisarunt. PAULUS hinc & illud injungit 1. Cor. 9: 11. 13. 14. 1. Tim. 5: 18. lectu autem digna est hanc in rem JCti Halensis Cl. C. THOMASII *Diss. de officio Principis evangel. circa augenda salaria & honores Ministrorum Eccles.* Halæ 1707. & recusa 1729.

1729. ubi §. 21. sententiam suam proponit; §. 24. hostibus Ministerii deesse rationes ac nullas ab iis proferri ponit; §. 30. 32. de reviviscentia primævæ obligationis ad sustentandos ac honorandos Clericos; §. 31. ad objectionem respondet, ubi regeritur, quòd Christus per pauperes & non honoratos doctrinæ fundamenta jecerit; §. 33 - - - 38. damna exponit orientia ex neglectu sustentationis ac honoris Clericis exhibendi; ut alia prætereamus apud ipsum videnda. Jungatur etiam omnino, qui materiam de beneficiis ac sustentatione Clericorum amplè exhibet Cel. nominis JCtus BÖHMERUS *Jur. eccles. protestant. Tom. 2. Lib. 3. Tit. 5.* ubi *de præbendis & dignitatibus.*

Quidnam, ut functiones à Ministro ritè obiri possint, determinandum sit.

1477. Oportet autem, si functiones illæ (§. 1474.) cum fructu, quantum potest ac debet, fieri debeant, *quilibet Minister habeat determinatos, seu designatorum locorum in vicinia homines, qui curæ ejus* [nec alius] *concrediti sint:* cùm enim industria ac vigilantia requiratur in Ministris seu Munere ecclesiast. (§. 1475.), etiam per scopum Ecclesiæ (1353. 1436.), ut functiones illæ ritè ac diligenter exerceantur & applicentur, applicari verò tàm benè non possint, nisi noscantur ij, erga quos id faciendum, eorum indoles, circumstantiæ, Status in spiritualibus (per princ. mor.), vid. etiam (§. 1062.), omninò quilibet Pastor suos sibi proprios habeat opùs est; etiam ubi invigilandum, tùm plures si sint, nec quilibet sciat, quando & ubi sibi agendum, res socorditer magis geruntur, unus alteri relinquit [experientiâ comprobante] ubi res non sunt determinatæ ac assignatæ; consequenter tùm nec ordo in Ecclesia obser-

vatur, qui verò prorsus & semper Ecclesiæ necessarius (§. 1446.).

Adeò res ipsa id plùs satis loquitur, ut vel sine probatione assumi posset; quin cùm rebus eô modô, uti requiritur, constitutis ac determinatis, tamen adhùc toties & tam variè de negligentia eheu! conquerendi rationes se prodant, quantò magis tùm?

Quidnam ulteriùs.

1478. Cùm etiam, ut omnes simùl doceri possint, publicè docendum sit (§. 1434.), *oportet* itidem *sint designata loca publica, quò tales è designatis locis conveniant*, item *tempora determinata*; loca talia Cultûs publici dicuntur *Templa*.

Non ingredimur hîc materiam de Templis, sive historicè, quoad originem eorum, [quam SPENCERUS, uti notum, pro more è gentilium derivat idololatria, vid. *Lib. 3. Diss. 6. Sect. 1. & 5.* in quam ejus sententiam ferè concedit Magnus JCtus BÖHMERUS *Jur. paroch. Sect. 2. Cap. 2.*] item quando & quomodo inter Christianos exorta; uti nec moraliter seu politicè, prout Jus Naturæ politicum curam Religionis habet (*Pol. §. 320. seq.*). Nec etiam ingredimur, quæ respiciunt tempora & dies Cultûs publici Ecclesiæ Christianæ solennes, de quibus Hist. eccles. & prolixè ac eruditè Rev. noster ZEHENDERUS **Histor. Chronolog.** §. 89. seq. de die primo hebdomadæ, Solis, BARTELS *Diss. de Sabbatho Christiano ex Historia N. T.* Vitemb. 1731.

Societas inde resultans quomodo dicatur.

1479. Vicinia jam certorum hominum [qui quoad illas functiones (§. 1474.) certo cuidam Doctori seu Pastori concrediti sunt] seu Ecclesiæ membrorum in eodem Templo Cultu publicô defungentium, certisque juribus ac officiis sibi invicem obstrictorum dicitur *Parochia* [etiam

[etiam Communitas] & membra talis Societatis *Parochiani*, uti Pastor inde *Parochus*.

Parochiarum plurium collectio dicitur *Diœcesis*, uti hæc omnia definit CANZIUS *discipl. moral.* §. 2891. 2892. ubi *de jure eccles.* Ministri inde definitionem V. D. hancce dat: quòd sit persona, quæ publicâ auctoritate ornatur certi loci populum ad doctrinæ ecclesiast. typum informandi, tùm in conventibus publicis, tùm privatim. Parochias requirere Templa, ac respectum ad ea involvere necessarium monet laud. sæpè BÖHMERUS *Jur. Paroch. Sect.* 2. *Cap.* 1. §. 13. 14. & *Cap.* 2. §. 3. seq. de parochianis idem Vir Cel. agit ibid. *Sect.* 3. *Cap.* 2. cujus inscriptio: *de parochianis.*

Ex unione hacce sua ac communione parochiani etiam certis juribus ac officiis sibi mutuò sunt obstricti; quo de autem hic pluribus agere Institutum non admittit; monemus, quòd & erga Parochum diversis possint esse ac sint obstricti officiis &c. inter quæ & pertinere possunt illa, de quibus (sch. 3. §. 1476.), ac etiam dicuntur *præstationes* parochiales &c. vid. de hisce idem JCtus Maximus BÖHMERUS ib. *Sect.* 7. *Cap.* 1. ubi *de Decimis & aliis præstationibus parochialibus*; & *Cap.* 2. ubi *de juribus stolæ*, id est, emolumentis, quæ Parochis ratione stolæ seu officii sacri per stolam [vestimenti genus] significati debentur.

Hùc ideò & ingeri posset materia, quæ itidem in Jure ecclesiast. pertractatur, tùm de unione, tum de divisione Ecclesiarum & beneficiorum; qua de utraque ex instituto & specialiter JOH. PH. SLEVOGTIUS *Opusc. Jur. eccl.*, *quorum unum de unione Ecclesiarum & beneficiorum*, *alterum de divisione Ecclesiarum agit* 1746. Nimirum causa unionis, seu cur una Ecclesia cum alia conjungatur, vel plures secum invicem, sæpè esse potest paupertas Ecclesiæ, quâ non potest Ministro sibi proprio ac singulari sustentationem præbere; unde & tòt uniuntur, quòt in sustentationem requiruntur, *Cap.* 2. §. 12. Aliàs inter legitimas unionis causas ponit paucitatem Christianorum, §. 9. porrò si Ecclesia si sit in hostili territorio, §. 11. si ædes sacræ sint devastatæ §. 11.

Modos autem unionis tres ponit: 1. si è duabus Ecclesiis una fiat; 2. per subjectionem; 3. ubi æqualiter conjunguntur; *Cap.* 3. p. 41--46.
De divisione inde & asterô *Opusc.* agit; ac jus dividendi summæ in Republica potestati competere docet p. 37. seq.

Functiones Ministrorum & Societatum coordinationes intendunt Cultum Dei.

1480. Functiones Ministrorum Ecclesiæ, quæ intendunt scopum Ecclesiæ (§. 1473. 1474.), cùm è potestate ecclesiast. resultent (§. 1447. 1448. coll. 1449.), hæcce potestas verò non aliud nisi exercitium Religionis intendat, ùt patet è (§§. cit. & 1436.), *finis Ecclesiæ, potestatis ecclesiast., functionum Ministrorum ac effectus horum sunt unum idemque*, atque *id omne est Cultus Dei.*

In Cultu publico præcipuum sunt Sacramenta (§. 1232. 1287. & sch. 1.), quæ juxta jus ecclesiasticum universale considerata, sunt devoti animi sociatis viribus testificandi signa adjumentaque; ita definiente CANZIÒ §. 2476.

Media ad eum tanquàm finem Ecclesiæ.

1481. Finis cùm requirat media, & ad media hæcce, ùt ad fines subordinatos, iterùm alia requirantur media, *ad finem Ecclesiæ*, seu *Cultum Dei*, *omnes externi Cultûs partes*, item, *quæ his subordinantur ùt media ac adminicula, requiruntur.*

Sch. 1. Cultus externus ac partes ejus requiruntur ob internum, quoniam in hominibus interna [motus interni] nonnisi mediantibus externis produci possunt, conformiter etiam experientiæ psychol. (*Met.* §. 528. seq. 846.); externa ideò tanquàm media subsunt potestati ecclesiast., unde Jurispr. eccles. non de interno animi Statu [quod ad Theologiam practicam pertinet]

(prol.

(prol. §. 12.) verùm de externis nonisi sociorum officiis præcipit, ùt monitum (sch. §. 1355.).

Sch. 2. Notandum inde hîc, quòd Cultus publicus [qui dicitur, ubi tota alicujus loci Ecclesia simul congregatur ad Deum colendum] habere debeat ac ordinariè habeat *Decorum*, ùt audit; quod constituunt concomitantiæ Cultûs, quæ splendorem ei conciliant, uti sunt v. gr. ædificia expressè destinata (§. 1478.), liturgiæ, campanarum sonitus, cœmiteria &c.

Præterea Cultus ille, præter sociatas Ecclesiæ membrorum vires [sive membra hæcce à recepta pridem Civitatis doctrina dissentiant, sive non] requirit, ut supremi Magistratûs consensu peragatur; consensus hicce si quidem adsit, nec non sociatæ plurium vires, ac ordinatus Minister, interim nullum tale decorum, est Cultus *semi-publicus*; si verò paucæ nonnisi in Civitate familiæ coëant Cultum peracturæ, sine Magistratûs auctoritate & multò magis sine decoro, dicitur is *privatus*; à quo adhùc differt *exercitium pietatis privatum*: quippe hoc est, ubi tantùm unicus Paterfamiliâs cum domesticis, aut unicus homo devotionem suam testificatur. Cultus scil. non est nisi devotionis testificatio; hinc externus, publicus &c. si devotio externè, publicè &c. testata fiat; uti hæc suppeditat CANZIUS *discipl. mor.* 4. *P.* 1. *Cap.* 5.

Quòusque autem dissentientibus Tolerantia politica sit concedenda quoad Cultûs diversas species, idem V. D. exponit aliô Opere, scil. *Jurispr. Theol.* §. 749. ff. seq.

Sch. 3. Decorum in Ecclesia & aliæ res Sacræ cùm Sumtus requirant, ideò & Bona requiruntur, queis Ecclesia gaudeat, uti & alia Collegia sua habent sibi propria ac usibus destinata. In Romana Ecclesia talia Bona malè parta ac administrata fuisse constat; unde in Reformatione res aliter ordinatæ; vid. quædam hac de re egregia Tract. *de Jure Reform. P.* 2. *Cap.* 3. ubi & §. 68. è priùs positis ac probatis concluditur: jus bona ecclesiast. administrandi esse collegiale, Majestati sive superioritati territoriali necessariò haud connexum; nec ab Episcopis aut Principibus secularibus Catholicis in Bona ecclesiast. Protestantium

nec à Protestantibus Statibus in Bona Catholicorum jus exercendum esse. Porrò jus hoc collegiale administrandi distinctum esse à suprema Principis potestate ac inspectione: cùm hæc ex jure circa sacra Majestatico, illud verò ex Collegii sive Societatis ecclesiast. consensu originem trahat; licèt jus administrandi supremæ Principis inspectioni semper sit subordinatum. Principem neutiquàm gaudere jure bona ecclesiast., quæ quilibet cœtus ecclesiast. tanquam propria possidet, vel dominio suo vel bonis patrimonialibus adjudicandi; æque tunc peccari, ac ubi res Universitatis, vel quæ in ejus patrimonio esse dicuntur, illis, quæ juris publici sunt, adjungere, vel dominium earum Principi asserere quis vellet: ex jure quippe circa Sacra nullam fluere rerum ecclesiast. proprietatem; pari ratione Imperanti omnium cæterorum Collegiorum patrimonium assignari: quum itidem inspectione gaudeat supremâ; jus equidem supremum in talia bona Reipublicæ competere, verum quæri hic de dominio speciali, proprietate & jure privato dominii. Item Principem evangelicum, ubi ad Catholicorum Sacra transeat, & vicissim Catholicum, qui in terris evangelicis succedit, jus bona ecclesiast. administrandi vel amittere in primo casu, vel planè non habere in secundo: cùm repugnet jura collegialia exerceri à tali, qui non membrum Collegii; interim supremam inspectionem ipsi denegari non posse; utpote quæ sola è superioritate territor. fluat.
Vid. autem & de Bonis ecclesiast. breviter Cel. PRAFFIUS *institut. Jur. eccles. Lib.* 4. *Cap.* 2. ubi tenet, posse ea ad Seculares Usus trahi, si vel nimia sint, ut Ecclesia illis adhùc perdatur, vel & si superstitiosis Usibus inserviant, superbiam item ac ignaviam Clericorum foveant, vel & si Reipublicæ indigentia ac necessitatis lex requirat &c. [quæ tùm de Statibus Catholicis, tum de temporibus ante Reformationem valent] redolere autem Jus Canonicum, si dicantur patrimonium Christi aut Juris Divini.

Sch. 4. Tangunt hæc adeò *Jus*, quod dicitur *rerum* in Ecclesia, seu rerum ecclesiasticarum; hæ vel immediatè Cultum spectare possunt, & tunc *sacræ* dicuntur, vel ac Societatem ecclesiasticam conservandam facere, ac

tùm

tùm dicuntur *Ecclesiæ* & quidem aut ad ùt ecclesiasticam conservandam, *spirituales* tùm dictæ, aut ùt simpliciter Societatem, ubi *temporales* audiunt; vid. de jure rerum in Ecclesia breviter DARIES *Sect.* 7. *Cap.* 3. *Tit.* 2.

1482. Jam media vel talia vel adminicula ad Cultum externum dicuntur *actiones pædagogicæ*, cùm ad Cultum externum ducant, & ad eum peragendum invitent; uti actiones Cultûs externæ, quæ Cultum internum adhùcdùm vel deficientem gignunt, vel latentem quidem, at infirmum, excitant, dicuntur *actiones Cultûs immediatæ*. *Quotuplicia sint, & quomodo dicantur.*

Sch. 1. Pædagogici notio generalis scil. est, quòd aliquò seu ad aliquid ducat (§. 1049. & sch. ib.).

Sch. 2. Actio prædagogica duplicis est generis, alia Naturâ universali duce suscipitur, ex aspectu Mundi, Ps. 19: 1. Rom. 1: 20. alia autem, Ecclesia occasionem præbente, suscipitur, hinc *ecclesiastica* audit, ad quas & ideò in Jurisprudentia ecclesiast. publica universali præcipuè respicitur. Eò pertinent Cultûs externi decorum (sch. 1. §. 1481.), cantionum suavitas, precantium devoti Vultus &c. 1. Cor. 14: 23--25. uniformitas temporis in Cultu Dei, loci, signorum, queis Cœtus convocatur; vid., qui hæc suppeditat, Cl. CANZIUS *disciplin. mor.* l. cit. *P.* 2. *Cap.* 3. seu §. 2394. seq.

1483. Actiones igitur prædagogicæ in Ecclesia requiruntur. *Coroll.*

Sch. 1. Cogitationes scil. ultimam rationem in sensationibus habent (*Met.* §. 846.), ideò signa externa & ceremoniæ requiruntur.

Sch. 2. Ut tùm actiones hæ prædagogicæ, tùm quæ aliàs ad

ad Cultum Eccleſiæ ſpectabant ac requirebantur in V. Eccleſia, benè peragerentur, ideò diverſa inſtituebantur Munera; *Ordines* dicebantur, & quidem *minores*: uti *oſtiariorum*, quorum erat januas aperire, campanas pulſare &c. *acoluthorum*, qui cereos præparabant, funalia deferebant, vinum & aquam in Euchariſtiam miniſtrabant; *lectorum*, qui è ſuggeſtu homilias prælegebant Patrum; *exorciſtarum*, qui catechumenis & energumenis manus imponebant.

Quanam fortius adſtringantur.

1484. *Actiones Cultûs immediatæ* verò *per Conſcientiam requiruntur*, hinc *ad jura collegialia pertinent*: cùm à ſcopo Eccleſiæ abeſſe prorsùs non poſſint, id quòd Tò collegiale conſtituit (§. 1457. 1458.).

Seu ſcopus Eccleſiæ ſine iis ſibi non conſtaret; cùm è contra absque actionibus pædagogicis tamen adhùc ſibi conſtaret. Actiones pædagogicæ ſunt propter actiones Cultûs immediatas, ſunt adminicula ad has tanquàm ad partes exercitii Religionis (§. 1435.), interim nonniſi, ut hæ tamen adhùc absque illis conſiſterent.

Jus Magiſtratûs in utrasque.

1485. Quum Magiſtratui ſuprema competat in quævis Eccleſiæ negotia inſpectio ob Jus Majeſtatis & Jus circa Sacra (§. 1461. 1463. & ſch. 1.), ne quid ſcopo ac tranquillitati Reipublicæ adverſetur (§. 1451.), ideò & *in actiones pædagogicas omnes habet poteſtatem per Jus Majeſtatis, in actiones immediatas per Jus collegiale ab Eccleſiæ ipſi traditum* (§. 1465.).

Quoad poſteriores ſcil. nonniſi ſecundùm jura reſpectiva, de quibus (ſch. §. 1441.); uti Eccleſia, quæ tradidit ipſa non plus juris habet (§. 1439. ſeq.), vid. & (ſch. 3. §. 1466.).

1486.

1486. Quandoquidem in Ecclesia ordo obtinere debet (§. 1446.), ordo verò requirit regulas (*Met.* §. 141.), & regulæ tales actionum liberarum sunt Leges (*Mor.* §. 16.) ideò & *legibus Ecclesia opùs habet*, seu *requiruntur Leges ecclesiasticæ:* quippe etiam directio ac jura Ecclesiæ (§. 1448. 1457.) Leges involvunt. *Necessitas legum eccles.*

Iis scil. negotia in Ecclesia sunt attemperanda. De legibus ecclesiast. etiam in compendio ac nervosè Cl. ENGAU *element. Jur. Canon. — Pontific. ecclesiast. prolegom. Cap.* 4.

Ad Leges ecclesiast. pertinent & Constitutiones, de quibus BÖHMERUS *Jur. eccles. Protest. Tom.* 1. *Lib.* 1. *Tit.* 2. inter quas Protestantibus cum Pontificiis communes monet esse 1. Symbola illa tria: Apostolicum, Nicenum, & Athanasii; 2. Concilia Oecumenica quatuor [licèt aliàs sint sex] Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonense; 3. Jus Romanum & Canonicum. Sunt & aliæ particulares, particularium Ecclesiarum (§. 1349.) seu Leges seu constitutiones, inter quas etiam Synodi (§. 1468.) protestantium. Pertinet eò & consuetudo, unde *observantia ecclesiast.*; scil. constitutiones ecclesiast. præter scriptas sunt etiam traditæ, item consuetudine roboratæ; de consuetudine tali laud. modò Vir Cel. ib. ad *Tit.* 4.

1487. Quare quoniam Leges hæ requiruntur ad scopum Ecclesiæ promovendum ac obtinendum (§. 1436. coll. 1486.), in hoc verò salus Ecclesiæ consistit (§. 1447.), *omnes Leges ecclesiasticæ nonnisi ad veram Ecclesiæ salutem tendere debent*; hinc *salus Ecclesiæ suprema semper lex esto.* *Quonam tendere debeant.*

Ita præclarè JCtus longè Celeberr. BÖHMERUS *Diss.* jam supra (sch. §. 1447.) cit., ubi vid. §. 1--4. 10.

quod

quod utinam ſolùm ſemper & ubivis in praxi obſervaretur! Leges omnes ideò, ob talem tendentiam ad unum, debent ex uno eodemque procedere principio, cui innituntur ut concluſio præmiſſis, vel ut ſyllogiſmi complures ſequentes cum antecedentibus [juxta regulas] cohærere debent; ut ita poſteriores ſyllogiſmi eſſent media ad priores, ſeu fines magis ſubordinati: aliàs quippe ſine tali legum nexu, perſpicacioribus [qui diſtinctè ac ſine ſaltu res ſibi repræſentare valent; quo de] (*Met.* §. 346. ſeq.), detegendo ac patenti, non eſſet medium ad finem. Conf. & hùc quædam, quæ ſupra (ſch. §. 1398. & ſch. 1. §. 1463.).

Circa quod verſari poſſint.

1488. Sequitur etiam, omnes Leges eccleſiaſticas nonniſi circa Cultum externum verſari poſſe ac de eo verſari debere (§. 1481.).

Quòtquòt ſcil. [uti & monet Cl. CANZIUS *diſcipl.* §. 2394.] cum ratione & ex Legis eccleſiaſt. publicæ univerſalis dictamine feruntur.

Sunt interim Leges impropriæ.

1489. Cùm verò in Eccleſia quâ tali imperium locum non inveniat (§. 1439.), nec aliter niſi in quantum Princeps imperiò uti poteſt ac debet, ſi quid pacem Reipublicæ turbaret, aut ut aliàs omnia Reipublicæ ſaluti ſubminiſtrent (§. 1451. 1463.), ideò *in Eccleſia quâ tali non dantur Leges propriè tales, & ſi quædam ſint, ſunt Principis ob jus Majeſtaticum, aut jus circa Sacra* (§. 1461. 1463.).

Sch. 1. De *legislatione circa Sacra* GROTIUS *Cap.* 8. Tract. ſæpius cit. *de imp. ſumm. pot.* &c. quam Summæ poteſtati etiam circa Religionis partes competere ponit §. 3. ad has pertinere v. gr. inutilium diſputationum prohibitionem, curam vitæ Clericorum, §. 6. 7. etiam Leges ferri poſſe de Sacris citra Canones, §. 8.

§. 8. Lubet autem ex eodem Viro M. ; quid S. Potestatibus circa actiones à Deo definitas liceat & incumbat, propriis ejus verbis commemorare ; ubi *Cap.* 3. §. 11. 1. immediatè ab iis fluere, » quòd » ea, quæ Deus imperat, liberè imò & commodè fa- » cimus, amotis impedimentis, datis adminiculis; » ita Cyrus & Darius Judæis permiserunt Templum » restaurare & sacra itidem facere ; additis etiam pe- » cuniis ad sustinendas impensas; sic Constantini & Li- » cinii edicto contigit Christianis ἐλευθέρως καὶ ἁπλά- » ϛως [*liberè & apertè*] ea facere ; quæ Christiana Re- » ligio desiderat. 2. —— lex humana —— & » jubendo, quod jubet lex Divina ; novam superad- » dit obligationem, ——— 3. Summa potestas hu- » mana circumstantias quasdam loci, temporis, mo- » di, actionibus à Deo imperatis præscribit ; ut fiant » εὐσχημόνως κατὰ τάξιν, —— Hæc spectant Le- » ges —— quæ vetant sacra mysteria in privatis domi- » bus peragi —— quæ à Laicis litanias, hoc est, » publicas supplicationes, nisi præsentibus Clericis fieri » prohibent —— quæ Episcopum vetant ab Ecclesia » abesse nisi Summæ Potestatis consensu ; & ne sic » quidem annò amplius —— 4. per humanum im- » perium vetitis à Deo actionibus materia & occasio- » nes subtrahuntur ; sic Ezechias amovet ecclesia —— » sic paganica Templa ac delubra claudi voluêre Impe- » ratores —— 5. Summæ potestatis est pœnis propo- » sitis homines ad ea adigere, quæ Deus jubet ; & à » vetitis absterrere ; ita Rex Nabuchodonosor mem- » bratim jubet eum discerpi, qui Deo Hebræorum ma- » ledixerit, Dan. 3. 29. qui Diis gentium sacra fece- » rit, eum gladiò sterni jussêre Imperatores ——— . » Atque in his, ni fallor, capitibus consistit illud offi- » cium Summarum potestatum, ——— θείων νόμων » παραφυλακὴν —— egregiè vocavit Justinianus —— » talem intelligens custodiam, quæ & ipsa sit νομοθετικὴ » [*legifera*], quemadmodum AUGUSTINUS dixit ---. » Horum autem omnium nihil est, quod non locum » habeat etiam in actionibus non sacris, quæ itidem » Divinâ Lege in alteram partem definitæ sunt &c.

Sch. 2. Vi Juris Majestatici Princeps & constituere potest, Judicia

Judicia ecclesiast., quæ sunt Senatus eccles. & Consistoria, quorum ille jure gaudet Leges ecclesiast. condendi, & causas majores evolvit, hoc verò jure exequendi; eorum adeò constitutio etiam ad legislationem circa S. pertinet. Successerunt autem in locum Audientiæ Episcopalis; nec verò conveniunt cum Presbyteriis in primitiva Ecclesia, de quibus & Actor. 20: 17. 1. Tim. 4: 14. cùm hæc nonnisi curam directionis, curam animarum sine ullo imperio & mediis coactivis habuerint; de Presbyteriis aliâs Vet. Ecclesiæ etiam Cel. VITRINGA *Synagog. Vet. Lib. 3. P. 1. Cap. 16. 17.* Consistoria verò non dependeant ab Ecclesia, ei non subsint, etsi jura hujus administrent, hinc nec Ecclesia representativa dici possint. Nec etiam deduci possunt ex 1. Cor. 6: 5. aut propterea necessaria dicenda: cùm Apostolus nonnisi pro ratione illorum temporum consilium dederit Corinthiis, & quidem quoad causas merè civiles, litigiosas. Nec aliâs quoque necessaria dicenda absolutè: cùm & ejusmodi negotia ab aliis consessibus [uti & in quibusdam locis à Senatu, ipso Magistratu] tractari possint. Necessaria sunt iis locis, ubi Catholici Principes imperant subditis Religioni Protestantium addictis; ubi hinc jurisdictionem suam habent non à Principe, sed à Lege publica Imperii, nec Princeps ea tollere potest, aut causas ad se avocare, aut ab iis ad superius judicium appellatio locum habet; hæc breviter Rever. PFAFFIUS *institut. Jur. Eccles. Lib. 5. Cap. 3.*

Potestas Magistratûs circa eas.

1490. Inde patet, quòd & quali Magistratus gaudeat potestate Leges Ecclesiæ ferendi, vid. (§. 1463. - 1466.), ac quòd tales nonnisi ferè Leges ei competat, quas typus doctrinæ & Conscientia, item & Jus Christianorum universale positivum [id est, quod Ecclesia Christianorum sola & omnis, omnium temporum & locorum approbavit, tanquàm Instituta à Christo, vel Apostolis, vel proximis eorum Successoribus

hunc

hunc in finem sancita] indeterminatas relinquunt, per (§. 1438. 1442.).

Sch. 1. In reliquas ei nonnisi competit inspectio, uti in quævis Ecclesiæ negotia [quia in omnia, quæ in Civitate] suprema Imperanti semper competit inspectio: per (§. 1451. & sch. 1. ib. §. 1463. & sch. 1.).

Pertinent inter Leges ferendas: v. gr. definire dies Cultûs publici [scil. præter illum ex traditione ac Lege Christianorum universali receptum, seu diem Solis] horam, modum signorum, rationem liturgiarum, parochias &c.

Sch. 2. Leges ecclesiast. adeò si ferat summus Imperans, per se patet, quòd Ecclesiæ salubres esse debeant (§. 1487.), præsertim si is ejusdem sit Religionis, adeòque simùl ecclesiast. Societatis socius (§. 1437.); cùm Imperantes debeant esse Patres Ecclesiæ ac Nutritores Esaj. 49: 23. [licèt aliâs ex hocce loco jura Sacrorum, quæ Principibus competunt, probare nolimus] Ut neutiquàm talia ordinare liceat, quæ Ecclesiæ detrimentum afferrent, & nonnisi in emolumentum proprium vergerent &c. per (§. 1466.). Quosnam autem S. Imperans in talibus in consilium adhibere debeat, & quomodo in Statu monarchico, aristocratico &c. non est hujus loci inquirere.

Hìc generatim memorare juvat, quod GROTIUS Tract. sæpiùs cit. *Cap.* 5. §. 8--11. intelligentiam ac pietatem in Summis Imperantibus requiri egregiè docet; ubi §. 10. »duo ergo vitia fugienda Summæ potestati; »primum & ante omnia μεγίστη νόσον ἀθεότης *maxi»mum vitiorum, impietas*; deinde verò *superstitio*, quæ »animum effœminat, & generosa consilia evertit; »tùm &, quod ibid. Vir Summus §. 12. rata etiam esse de Sacris imperia earum Summarum Potestatum, quæ de rebus Divinis non rectè sentiunt, aut Deum non rectè colunt; ubi etiam talium Imperantium exempla affert, qui circa ecclesiastica benè ordinationes ac autoritatem interposuerunt.

1491. Leges, quæ Societati æquali competunt, hinc imperium *Quomodo dicenda.*

& coactionem secum non ferunt, dicuntur *conventionales*, proinde *Leges Ecclesiæ non sunt nisi conventionales*, per (§. 1445. conf. & §. 1439.).

Sch. 1. » Legum conventionalium possibilitati [verba sunt Cl. DARIES *instit. Jurispr. universæ.* coroll. §. 893.] » principium, vi cujus nemo sibi legem con» stituere potest, cum specie quadam opponere so» lent Doctores, legem sine obligatione, & obligatio» nem sine Superiori non posse concipi affirmantes; » sed hic dicunt solùmmodo de ejusmodi legibus, quæ » strictè Leges vocantur, nos verò de legibus, quæ » significatu generaliori Leges vocantur &c.

Sch. 2. Leges hasce omnes nonnisi externa curare quis non videt: conf. (sch. 1. §. 1481.)? interna quippe soli Deo subsunt; ad salutem hinc membrorum Ecclesiæ externam seu felicitatem Societatis promovendam tendunt, quæ verò respectu totius Ecclesiæ [quatenus ad circumjacentes ac hostes respicitur] fit interna (§. 1447.). Sicuti jam Leges civiles, quæ itidem Reipublicæ felicitatem promovere debent, non sunt nisi Jus Naturæ applicatum ad diversum Reipublicæ statum; hinc pro diversis Statibus [Regnis, Rebus publicis] ac temporibus variantur, semper regulâ optimi observatâ; vid. (*Pol.* §. 227. 401. seq.); ita & Leges ecclesiast. non sunt nisi Jus Christianorum universale positivum applicatum ad diversum Ecclesiæ universalis statum, id est, ad diversarum regionum Ecclesias, seu particulares (§. 1349.); ac diversorum temporum; ut scil. talis Ecclesiæ felicitas promoveatur; hinc itidem latæ juxta regulam optimi. Unde & variæ ac variabiles sunt, interim tamen legibus Christianorum positivis universalibus non contrariæ; saltem ita se habere possunt ac debent, ut non contrarientur.

Oppositum earum.

1492. Proinde & comminationes ac pœnæ, ab Ecclesia quâ tali intentatæ ac infligendæ, non sunt nisi conventionales.

Sch. 1.

Sch. 1. Tales proinde, quæ in civilibus nullam efficiunt Statûs mutationem, nec diminutionem honorum, opum &c. Lubet interim hûc adscribere verba CANZII *discipl. mor.* §. 3005. 3006. »judicioſiſſimè »Romani poſt Græcos *actionem* à *querelâ* diſtinxe»runt - - eadem diſtinctio egregium in Jure eccle»ſiaſt. præſtat Uſum: minora enim delicta, quæ Ci»vitas non curat - - tùm contra doctrinam publicam »commiſſa - - tùm adversùs pietatem deſignata - - »ad Eccleſiæ inſpectionem pertinent - -; minora »verò delicta amicitiam non rumpunt, ergò querelam »tantùm pariunt. Nec in Eccleſia nec coram »Eccleſia actio intentatur, ſi à ſolâ querelâ, ût di»ctum, diſceſſeris. « In exemplum autem non advocanda, quæ ab Apoſtolis Divinitùs acta, eò quòd pœnarum propriè talium latorem habuerint, ac ût tales inflictæ fuerint, etiam GROTIUS monet *Cap.* 9. §. 5. Tangerent autem illa priora materiam vel Titulum in Jure eccleſiaſt. de *Jure actionum*.

Sch. 2. Quum autem jus Leges violantibus pœnas determinatas irrogandi vocetur *jurisdictio*, inde jurisdictionem ſpiritualem [ſub quâ & excommunicatio, de qua in ſeq., comprehenditur] enaſci monet etiam Solidiſſ. DARIES lib. ſæpius cit. coroll. 2. §. 906. quam ideò jurisdictionem impropriè talem eſſe nemo non mox videt. Hûc inde & pertinent, quæ GROTIUS *Cap.* 9. *de jurisdictione circâ ſacrâ*, ubi §. 5. ſeq. de actibus paſtoralibus juris Divini agit, qui ad jurisdictionem accedere videantur, & tamen à jurisdictione propriè dicta diſtincti ſint, Uſu ſcil. clavium [quo de & mox aliquid] non exhibitione Sacramentorum &c. §. 9. ſeq. de Eccleſiæ actibus Juris Divini, qui ad jurisdictionem accedere videantur, ac aliis &c.

Lubet autem hûc erudita Viri hujus M. apponere verba, quali jurisdictione Sacerdotes apud populos quosdam olim ſint gaviſi, & cujusmodi tùm fuerint Sacerdotes, unde patebit, qualis honoris aut æſtimii gradus habitus fuerit officio ſacerdotali ſeu Ordini eccleſiaſtico; ubi loc. cit. §. 4. ita »quare, etſi, qui »in primævo Statu Legis naturalis Sacerdotes juris»dictionem habuerunt, eam non habuerunt ût Sacer»dotes

»dotes ſed ùt Magiſtratus : nam etiam , cùm non »fuit penes Summam poteſtatem Sacerdotium , vix »tamen Sacerdotes ſine imperio ; hinc *Cohen* com»mune Sacerdotibus & Magiſtratibus nomen , man»ſitque is mos plurimas apud gentes : nam Druidæ »apud Gallos gentis nobiliſſimi , & in Epiro Sacer»dotes & opibus & genere ſplendidiſſimi HERODO»TÔ teſte , & apud Cappadoces , STRABONE Cap»padoce auctore Sacerdotii dignitas regali proxima, »ac fermè eodem ex genere Sacerdotes & Reges ; »apud Germanos veteres neque animadvertere , neque »vincire , neque verberare quidem niſi Sacerdotibus »permiſſum , ut apud TACITUM eſt. Prin»ceps areopagatici Senatûs Athenis Sacerdos , & apud »Romanos Pontificum imperiô legimus Veſtales ſub »terram defoſſas. aut flagris admonitas , Flamines Fla»miniô abire juſſos , aut Multam ipſis dictam ; quare »quod in Senatu dixit Lentulus (CICERO *Lib.* 4. *ad* »*Atticum*) *Pontifices Religionis eſſe Judices*, eâ voce non »peritiæ tantùm ſed & poteſtatis judicium ſignificavit. » Dein Vir Ill. de dignitate ac jurisdictione a Lege Moſaica Sacerdotibus in Iſraële & præcipue Pontifici collata , de illorum nobilitate &c.

Quid inde reſulter. 1493. Leges Eccleſiæ conventionales, quæ verſantur circa pœnas irrogandas iis, qui Leges transgrediuntur, aut aliâs nomine membri Eccleſiæ indignos ſe reddunt, conſtituunt *diſciplinam eccleſiaſticam.*

In forum civile ſeu politica , honores , Munera , divitias , &c. diſciplina hæcce non influit , nec influxum habere debet , ùt memoratum (ſch. 1. §. præced.).
De Diſciplina Vet. Eccleſiæ commentatus eſt DU PINIUS ; de ea Seculi ſecundi , tertii , excluſione Peccatorum ; contritionis ob peccata teſtificatione , ſatisfactione , admiſſione in Eccleſiam Rev. PFAFFIUS *Orig. Jur. eccleſ. Cap.* 3. ad §. 3. p. 197 — 214.

1494. *Disciplina ecclesiastica* itaque *ejusque dextra executio Ecclesiæ utilis quin necessaria est:* per (§. 1486.), etiam ob finem Ecclesiæ summum (§. 1436.). *Necessitas disciplinæ in Ecclesia.*

Sch. 1. Genesis scil. ejus, seu unde ejus exercitium, est flagitiosa quorundam vita, unde alii Religionem nostram proscindendi occasionem sumunt; cùm jam gloriam Dei, ceu Civitatis Dei bonum publicum (sch. 2. §. 274.) cives vindicare debeant, etiam eorum est, & quidem per Conscientiam, hanc Dei ignominiam amoliri; uti hæc CANZIUS *Jurispr. &c.* §. 762. seq. De malis è defectu disciplinæ hujus vel omissione exercitii ejus orientibus legendus, qui graviter de hisce conqueritur, Vir de Ecclesia optimè meritus, J. F. OSTERWALD *Sources de la corrupt. &c. To.* 2. *sourc.* 2. Interim potest dici, quòd ferè præstet nullam esse, quàm verò malè administrari &c.

Sch. 2. Etiam *potestas clavium* dicitur *Catech. Heidelb. Quæst.* 83. ex Matth. 16:19. apud Antiquos scil. claves potestatis erant symbolum: vid. Cel. VITRINGA in Esaj 22:22. In locum autem Matth. cit. ut & 18:18. dignus est, qui legatur Cl. PFAFFIUS *Orig. Jur. eccles.*, ubi pag. 17 - - 31. historiam interpretationum exhibet; hasce amicè reuniri judicat, ubi per claves regni cœlorum teneatur notari potestatem Evangelium docendi, hominibus adeò viam ad salutem monstrandi; quô regnum cœlorum fidelibus aperiatur, incredulis autem claudatur. *Ligare & solvere* non solùm notare declarare, quid sit permissum, quid prohibitum &c. verùm & peccata remittere ac retinere, scandalosos hortari, ut Ecclesiâ excedant, extraordinariâ pœnâ [Divinitùs] afficere &c. ---- Apud Judæos moris fuisse, ut Doctoribus ad Insigne, quòd polleant potestate ac doribus Scripturam explicandi, porrigerentur claves (מפתחא), unde פתח *aperuit* notet *explicavit* [formula usitatâ רב פתח *Rabbinus explicavit*] conf. Luc. 24:32. ut claves regni cœlorum indicent potestatem Scripturam explicandi, inde hominibus viam ad salutem monstrandi &c.

Ejus applicatio quomodo dicatur.

1495. Disciplinæ hujus applicatio vel executio talis, quæ ab Usu Sacramentorum excludit, dicitur *excommunicatio minor*; ea verò, quæ prorsus indignum pronunciat titulo membri Ecclesiæ ac jure, *excommunicatio major*.

Sch. 1. In genere scil. »excommunicatio [loquitur solidiss. DARIES *Instit. Jurispr. univers.* §. 905.] » est »denegatio jurium, quæ aliàs membro Societatis de»negari non solent; excommunicatus itaque vel ex »Societate expulsus est, vel manet Societatis mem»brum, & usu quorundam jurium tantummodò pri»vatur; priori ratione excommunicatio vocatur *ma»jor*, posteriori verò *minor*. Quid sit excom»municatio ecclesiastica, eaque vel major vel minor, »facilè ex dictis intelligi potest.

Sch. 2. Excommunicationem apud Judæos jam obtinuisse, nemo est, qui nesciat, vid. de ea [ut alios prætereamus] eruditiss. Philologus DANZIUS *de ritu excommunication.* in *Meuschenii N. Test. è Talm. illustr.* p. 615 - - - 648. in gredimur hic quæstionem, num duo an tres ejus fuerint gradus. An & quomodo Christus eam ordinaverit, ad (§. seq.) memorabitur; nonnisi monemus, segregationem à Cœtu haberi etiam 1. Cor. 5 : 5. & in Ver. Ecclesia hùc pertinere illos pœnitentiæ gradus seu Opera pœnitentibus imposita (sch. 2. §. 1184.). At verò quòd non solùm inter Judæos, de quibus modò, sed & apud minorem inter eos Sectam obtinuerit, quin etiam apud alios populos [qui segregationi incommoda præterea alia addiderunt] Eruditi annotant; non pigebit hanc in rem adscribere verba GROTII è Tract. ejus sæpiùs cit. *Cap.* 9. §. 10. 16. ubi ita »simili olim se»veritate, [scil. uti apud Christianos per illos pœnitentiæ gradus] »sui gregis delicta Esseni coërcebant, »de quibus insignis est JOSEPHI locus (*Bell. Jud.* »II. 12.) *deprehensos in magnis peccatis ejiciunt ex »Conventu; illis Sacramentis* (ὅρκοις) *& ritibus ob»ligatus neque capere ab aliis oblatum cibum potest, »herbas verò pecudum more decerpens, & fame exe»sus

»*sus per membra conficitur.*» Paulò inferiùs de iisdem ex Josepho »*miserti multos mortui vicinos in* »*gratiam recipiebant, delictis illorum sufficere arbitrati,* »*toleratos ad mortem usque dolores.*» Quod ad alios populos & incommoda segregationi addita id. Vir. Ill. ib. §. 16. ita »jam & illud notandum, ex» »communicationi præter illam relegationem à Cœtu »piorum alia quoque incommodata addita fuisse, quò »magis facinorosos suæ culpæ pœniteret; hoc quo» »que non novum sed vetustissimæ consuetudinis —— »perpetuus mos omnium fermè gentium. In» »signis est CÆSARIS locus (*Lib. 6. de Bell. Gall.*) »de Druidibus, *si quis aut privatus aut publicus eo*» »*rum decretô non stetit, sacrificiis interdicunt, hæc* »*pœna apud eos est gravissima; quibus ita est inter*» »*dictum, ij numero impiorum ac sceleratorum haben*» »*tur, iis omnes decedunt, aditum eorum sermonem*» »*que defugiunt, ne quid ex contagione incommodi ac*» »*cipiant, neque iis petentibus jus redditur, neque ho*» »*nos ullus communicatur.* Et PLATÔ hùc »alludens vult —— *eum, qui Cœtu excluditur, nisi* »*se excludi patiatur, impietatis posse. quamdiù vivat,* »*accusari à quocunque.* Athenienſium κατάρας »Romanorum *Diras* fuisse δυσφημόν τι καὶ σκυθρωπὸν »[*grave quid & triste*] PLUTARCHUS notat; »quibus additum plerumque, ut Bona publicarentur, »aut consecrarentur. Planè ut istæ Diræ judaico »חרם respondeant, cujus illustris apud ESDRAM »(10: 8.) est historia &c.» Patet autem, pœnas hasce fuisse civiles, diminutionem opum, honorum ferentes, contra ac Ecclesia vult (§. 1492. & sch. 1. ib. sch. §. 1493.).

1496. Perspicitur verò, *excommunicationem esse effectum potestatis ecclesiasticæ*; potestatis enim hujus effectus non potest non esse, uti hæreticos & irreligiosos ab Ecclesia, ita non Religiosos ab Usu tesserarum religiosæ familiaritatis [S. Cœnæ] (§. 1236. 2282. 1298.) excludere: quippe potestas ecclesiast. vult ordinem (§. 1449. coll. *Undenam exurgat.*

1446--1448.), inde uniformitatem [quantùm admittit Conſcientiæ libertas] (§. 1442.), cum hac autem conſiſtere nequit, ſi etiam ij, qui naturâ determinatæ Eccleſiæ membra eſſe nequeunt, inter Eccleſiæ membra tamen referantur, & ſi Uſus teſſerarum Religioſæ familiaritatis concedatur, quum interim ſalvô ejuſmodi teſſerarum ſcopô iis uti nequeant, per (§. 1285. 1292.) ſeq.), jus autem ad finem dat jus ad media (per princ. mor.).

Sch. 1. Ita ad verbum Cl. DARIES §. 906. qui indè & Coroll. 1. ib. determinatos eſſe utriuſque excommunicationis limites concludit. Eam quoque non à ſola dependere Majeſtate, verùm ad Sacram pertinere Societatem, & hinc diſſipari poſſe nebulas, quas Eraſti aſſeclæ affuderint, qui excommunicationem civilem eſſe pœnam volebant, monet Cl. CANZIUS *Jurispr.* &c. §. 764. qui & ib. §. 765. A. ſeq. ſeu p. 585 ---- 593. conſideratu digna affert contra eos, qui Eraſti principia ſequuntur, quomodo excommunicatio inſtituenda; uti & aliâs de ea juxta jus eccleſ. agit *Diſcipl. mor.* 4. *P.* 2. *Cap.* 4.

Sch. 2. Facit ad rem præſentem notare, quòd pro excommunicatione adducatur & præceptum CHRISTI Matth. 18: 15--17. & exemplum juxta ac præceptum PAULI 1. Cor. 5: 5. cum praxi primitivæ & Vet. Eccleſiæ [quò pertinet] (ſch. 2. §. 1184. & ſch. 1. §. 1293.). In locum Matth. cit. vid. PFAFFIUS *Orig. Jur. eccleſ.* p. 11--16. ubi præcipuè VITRINGAM laudat, qui *Synagog. Vet. P. I. Cap.* 9. p. 734. ſeq. [ubi & contra Eraſtum quædam monet] & *Cap.* 10. p. 753. 754. è ritu Judæis in Synagogis obſervato deducit; effatum autem CHRISTI intelligendum eſſe de excommunicatione privata (נדוי), quam præcedebat גזיפה *correptio*, תוכחת *redargutio peccantis.*

Judicat autem PFAFFIUS p. 15. Chriſtum propriè & directè non agere de excommunicatione, licèt fundamentum ei ſternat; alia autem loca Nov. Teſtam.

hùc

hûc spectantia esse 2. Cor. 2: 6. 2. Thess. 3: 14. 1. Tim. 5: 20. siquidem, [quod monet p. 6.] Jus ecclesiast. à Christo ordinatum nondum continuerit expressam excommunicationis ordinationem, aut excommunicationem à S. Cœna: hanc quippe demûm Apostolis post communicasse; nec etiam expresè & distinctè quid præcepisse de pœnitentiæ publicæ testificatione: eò quòd nondum à Cultu Judæorum se separaverit, ne peculiarem cum suis Cœtum erexerit. Christum interim Matth. 16: 19. 18: 18. ad certam respexisse excommunicationem vult [p. 35. ubi de iis locis] & conferri jubet Joh. 20: 23. formulam Judæorum ad excommunicatum in subsidium allegat, [ubi absolutoria erat: שרוי לך sit tibi ἄφεσις מחול לך *condonatum sit tibi*; idque dicebant התרה נדוי *solutionem excommunicationis*, VITRINGA p. 739.] locum 1. Cor. 5: 13. laud. PFAFFIUS separationem seu ejectionem ex Ecclesia indicare judicat, in quem eruditè *Cap.* 2. §. 2. Not. pp. p. 108--115.

Sch. 3. Ex iis autem omnibus, quæ usque hûc dicta & exposita quoad jus ecclesiast. ac externorum in Ecclesia ordinationem, satis cuilibet attendenti & facilè patet, tendere illa omnia ad interna: vi finis Ecclesiæ summi (§. 1436.); hinc ut sanctitas tanquàm conditio vel bonum fœderis gratiæ (§. 993.) in membris Ecclesiæ externæ efficiatur (§. 1171. sch. 2. §. 1189. sch. 1-3. §. 1191.), aut si mavis, fides in Christum (§. 1009. sch. 3. §. 1073. §. 1079. seq. 1130.), vel, quod eòdem redit, ut redemtionis Ejus participes fiant Christiani; seu & ut Propheticum Christi Munus efficax in iis fiat per regii acceptationem ac inde participationem de Sacerdotali (§. 1103.-1105. 1143.), quò ita felicitas post hanc vitam sequatur, de qua nunc mox.

Finis Loci XI.

LOCUS XII.

DE STATU HOMINIS PRÆSTITUTO,

Sive gloriæ, sive damnationis,

& quæ præcedunt;

Morte temporali, judicio particulari, resurrectione à mortuis,

&

Judicio universalis.

Pios quidnam inducat ad Deo serviendum.

1497. *Membra Ecclesiæ internæ ac militantis* (§. 1300. 1361.) *Deo Christoque præcipuè in adversantibus ac tribulationibus serviunt & adhæresunt, inducti promissione de felicitate post hanc vitam*, Esai. 45: 19. 1. Cor. 15: 19. Heb. 11: 6. 16. 26. 34. seq. quippe cùm anima præmii pœnæque post hanc vitam capax sit (§. 88.), & præcipuum Religionis robur ac in Revelatione propositum motivum sit felicitas post hanc vitam, aut infelicitas (§. 98. 109. 118. & sch. 4.), Christusque jus ad illam felicitatem comparaverit fidelibus (§. 955.), & Fides eam quærat (§. 1070. 1071. 1119.),

1119.), ij etiam, qui hâc gaudent, sint Ecclesiæ internæ membra (§. 1302.), hæc Christo adhæresçunt spe ac Fide hujus promissæ felicitatis consequendæ, non obstantibus afflictionibus: quum Fides ac justificatio consolationem in afflictionibus pariant (§. 1150.).

Sch. 1. Status perceptionum distinctarum, in quo anima, depositô corpore, permanet (§. 524.), & inde resultans immortalitas illius (§. 525.) excludunt adeò *somnum animæ*, qui dicitur: quum hic sit Status perceptionum obscurarum (*Met.* §. 925.); quem qui statuunt, *psychopannychitæ* audiunt, quoniam in noctem quasi, quæ tempus somni, animam conjiciunt.

Lubet autem hîc ex CANZIO (*Jurispr. Th.*) ad quem supra (sch. §. 524.) nonnisi remisimus, quædam commemorare contra somnum illum animæ, seu responsiones inde petere ad objectiones, quæ fiunt contra durationem Statûs perceptionum distinctarum post hanc vitam; nimirùm, ùt benè V. D. ib. §. 280. ut monet: in morte perit tantùm determinatio virium distinctè cogitandi; non verò vis ipsa ac natura, uti quum legio militiæ [quod simile affert Vir laud.] præfecti cæsa, tùm determinatio peritiæ præfecti cessat; quoniam occasione legionem exercitandi destituitur, peritiâ ipsâ verò propterea non expirante; quòd verò Vis ipsa in æternum non amplius exercenda sit, nullâ ratione posset statui: repugnaret etiam æternum cogitandi Nisum æternô stuporis impedimentô sufflaminari, perinde ac si Deus solem perpetuò duraturum ac lucendi vi donatum tamen æternis obvolvendum decrevisset nubibus; ib. r. Ex partiali etiam vitæ hujus statu (somno) non potest inferri totalis alterius vitæ, ad plurimum inde nonnisi concludi posset, fore alternationem somni ac vigiliæ in altera vita: quum in hac vita talis obtineat alternatio; ib. ll. Recordationem quoque animæ eò minùs amissura, quòd non omni prorsus corpore sit caritura, sed ex corpore hocce crasso quintam essentiam veluti post mortem secum sit ablatura, tanquàm typum cognitionum, quô opùs habeat, ib. nn. seq. quum omnis spiritus finitus habeat proprium corpus

pus naturâ; quod V. D. §. 387. seq. probare sibi sumit, nos verò ulteriori disquisitioni remittimus: quum hìc sufficiat opinioni de animæ somno aliquâtenus occurrisse. Addimus hìc occasione talis animæ semper adhærentis corpusculi, extracti, quòd WINDETUS *de vitâ functorum statu* &c. *Sect.* 7. p. m. 108. doceat, Cabalicos animæ suam מאן *vestem* vehiculum corporeum tribuere, quod Græci εἴδωλον, Latini *effigiem*, *spectrum* etiam dixerint; paria etiam ferè dicentes ac sentientes adducit Vir eruditus Judæos veteres, *Sohar* &c.

Sch. 2. Quoad fautores pessimæ ac periculosissimæ opinionis de anima mortali [de quibus aliquid] (sch. 2. §. 88.) noscendos eos dat [præter alios] DERLINGIUS *Diss.*, ad quam supra (sch. §. 520.) nonnisi remisimus, ubi de antiquis ac recentioribus, integris populis, & singulis personis, Sectis etiam, quæ errorem illum foverunt, seu directè, seu indirectè [ut ex aliis placitis non potuerit non sequi], vel equidem ita directè, interim testimoniis directis nobis non suppetentibus, quum de veteribus res non semper ita plana fieri ac exhiberi queat; refert eò nihilominùs Phœnices, Persas &c. ex Hebræis Sadducæos apertè [de quibus vid. Luc. 20: 27. Act. 23: 8.] è Græcis Sectam eleaticam præcipuè ac apertè; ex recentiori tempore SPINOZAM, HOBBESIUM, COWARDUM, DODWELLUM, [licèt hic cæteroquin neutiquàm ad eandem cum reliquis prioribus classem sit referendus] TOLANDUM, item alios in Germania anonymos. Immortalitatem illam Sadducæi inquam, negarunt, quam tamen promissio fœderis gratiæ requirit, Exod. 3; 6. Matth. 22: 32. [in quem Matth. locum prolixâ Notâ ac eruditè Cl. SCHOETGENIUS ex antiquissimis Rabbinis ostendit, ipsos tenuisse, quòd mortui vivant] & fideles sub promissione ac V. Test. agnoverunt (sch. 1. §. 1364. sch. §. 1366. §. 1413. sch. 1. §. 1417.), Christus autem in plena colloquavit luce 2. Tim. 1: 10. (§. 912.).

Contra Sadducæos in priscos Hebræorum Sapientes invexisse locutionem עולם הבא [ad Seculum retributionis עולם הגמול indigitandum] tuetur eruditiss.

RHEN-

RHENFERDIUS *Diss.* 1. *de seculo futuro* §. 9. quæ quidem locutionis hujus significatio etsi non prorsùs denegari possit, uti & μέλλον contradistinctè τῷ νῦν αἰῶνι 1. Tim. 6: 17. 19. statum post hanc vitam notat; posteriori phrasi etiam occurrente 2. Tim. 4: 10. utrâque verò eô sensu Matth. 12: 32. Eph. 1: 21. prout notat ac tenet Cl. WITSIUS *Diss. de seculo hocce &c.* §. 5. seq. interim tamen præcipuus ac receptior significatus est ille, de quo (sch. §. 1426.); unde; quæ hîc dicuntur, dijudicanda. Licèt & WINDETUS *Sect.* 7. p. 115. 116. 128. ob epitheta, quæ de עולם הבא in *Talmude* ac apud MAIMONIDEM occurrunt, Seculum retributionis ideò per id notatum fuisse teneat; uti quum dicunt in illo nec cibum & potum nec Liberorum procreationem, emtionem, venditionem locum habitura; sicut & idem dicunt de מלכות השמים.

Sch. 3. Mortalitati illi animæ contrarii erant, qui mentes continuò aliis corporibus [sive hominum iterùm, sive & bestiarum] se unire statuebant, uti Ægyptii, Pythagoras &c. ita enim animas perennare indicabant; interim præmio pœnæque vix locum relinquebant: cùm non potuerint non ponere, animam non recordari, quòd eadem sit, quæ priùs huic vel illi corpori unita tale quid fecerit, vel aliud; tollebant igitur conscientiam personalitatis suæ (*Met.* §. 924.), unde ipsa immortalitas sibi non ampliùs constabat: vid. supra (§. 525. & sch.); etiam illa dicta *animarum transmigratio* adversatur regulæ & ordini, quem Natura rectè tenetur in magnis revolutionibus observare, scil. ut entia perficiantur (*Met.* §. 925.), adeoque animæ non à cognitione distincta ad claram solùm vel obscuram iterum delabantur, quod autem contingeret, ubi corpus priùs humanum animans dein bestiæ corpus animaret (*Met.* §. 892. seq.). Placito transmigrationis verò sententiam de tabula rasa, seu quòd anima ideis vacua omnes ab extra & à corpore recipiat (*Met.* §. 820.), patrocinari benè observatur: cùm ita cuilibet corpori se jungere ac ideas ab eo recipere possit: uti è contrà harmonia præstabilita ei obstrueret: siquidem tùm anima ideas in se habens potentialiter ipsa evolvit (*Met.* §. 819.), nec corpori uniri

uniri potest alii, quàm cui unita [nisi novum illud & aliud etiam consentiens illi fieret &c.] etiam quia status è statu sequitur, hinc è statu perceptionum distinctarum pariter talis, depositò quoque corpore, & quià id ad mentis perceptiones propriè nil confert [juxta harm. præstabil.] (ib. §. 765.); inde mentem facultatem distinctè cognoscendi amissuram non esse, hinc sociati non posse corpori bestiæ alicujus consequitur; nisi quis voluerit & hasce creaturas facultate cognitionis distinctæ pollere, quod verò admitti prorsus nequit &c.

Tribuitur autem μετεμψυχώσεως Placitum etiam Phariſæis, quòd ſcil. bonorum animæ in alia migrent corpora, malorum autem ad Cruciatus deferantur; tuebantur igitur ij adversùs Sadducæos doctrinam fidelium V. Teſt. ſuper hocce articulo quâdantenus, ſimul autem pervertebant [positò nimirum, quòd rectè illis opinio dicta tribuatur, in quod nunc non inquirimus]; recentioribus quoque Judæis μετεμψύχωσιν arridere notum est, quam סוד הגלגול *myſterium revolutionis*, item גלגול הנשמות *revolutionem animarum*, opposite ad גלגול המתים [quæ planè alia, & ad corpora pertinet] vocant; vid. HORNBECK *contra Jud. Lib.* 8. *Cap.* 3. & in genere de opinione illa WINDET *Sect.* 5. p. m. 79--86.

Mors quidnam ſit reſpectu ipſorum.

1498. *Mors temporalis* ideò [etſi à peccato aliàs originem trahat] (§. 834.) *fidelibus non eſt pœna propriè dicta*, ſeu *reſpectu eorum naturam ac rationem pœnæ non ampliùs habet*: ſine morte enim ſanctificari plenè & perfectè nequeunt (§. 1183.); requiritur adeò mors ob ipſa peccata, è quibus oritur, ac ad hæc deſtruenda, & ut ita remedium fiat peccato; Hinc etſi damni rationem habeat, tamen ſimul eſt medium neceſſarium ad pellendum damnum è peccato oriens; uti medicinæ neceſſitas eſt quidem damnum, dùm è peccato originem trahit,

trahit, ac mala, morbos, præsupponit, interim dum utilis ad mala hæc pellenda, boni locò omnino habetur. Deus inde per fidelium mortem bonum horum promovet ac intendit [id quod aliâs sine miraculis, hinc sapienter (*Met.* §. 1041.), promovere non posset] dum per illam liberantur ab afflictionibus (§. 835. 1150.), peccati reliquiis (§. 1187.), ac in meliorem introëunt statum; ut mors sit bonum subsidiatum, consequenter non pœna in se ac propriè sic dicta.

Sch. 1. Mors quid sit, hîc ampliùs definire ac explicare nil attinet, jam id aliquâtenus factum (sch. §. 789.); vid. etiam, qui aliquid hac de re PFLUG Tract. deinceps citandô §. 11. 13. Notatur mors, vel Status mortis Hebræis etiam voce שְׁאוֹל, quæ, prout de corpore aut anima vel persona adhibetur, tùm sepulchrum, tùm orcum, infernum, mortem, Statum vitâ functorum designat, prout quoque WINDETUS *Sect.* 2. p. 13. qui & ibid. ut affines terminos commemorat שַׁחַת *corruptionem*, דּוּמָה *silentium*, בּוֹר *foveam*, אֶרֶץ נְשִׁיָה &c. Ps. 88: 15. etiam V. D. ib. p. 14. 15. de voce ἅδης & ejus apud Auctores circumscriptionibus &c. sic & *Sect.* 4. p. 59-62. quòd שְׁאוֹל ac ἅδης describantur ut domus cum clavibus.

Sch. 2. Quare morti etiam credentes, piis subesse debeant, jam supra (sch. 3. §. 846.), memoratum fuit; unde quoque intelligitur, quòd & respectu illorum cessare nec debeat nec possit; an non ergo inde jam patet, cùm sit malum ejus naturæ, à quo quis liberari nequit, jam non posse cum veritate objici, esse pœnam ab irato Judice infligendam? supra (§. 834.), ubi diximus mortem omnibus hominibus ob peccatum ut pœnam esse subeundam, locuti sumus sine respectu ad Liberatorem: quippe qui ibi loci adhùc ignorabatur. Etiam quòd & quomodo mors respectu fidelium non ampliùs pœna peccatorum eorum

eorum propriè talis dici debeat, aliquâtenus intelligitur è (sch. 3. §. 315.); hùc facit, quod Cl. CANZIUS [ibid. laud.] in alio Opere, scil. *discipl. mor.* &c. §. 2316. 2317. notat, & alium licèt in finem, ubi ita »pœna est malum physicum, quod cum actione »civium imperans connectit, vel quià fini Civitatis »nocuerat [civis], vel ne postmodùm talis noceat »——— non omne igitur malum pœna est, si nem»pe aliam ob rationem cum actione connectatur, »quàm quia peccatum est, aut ne pòsthâc ab aliis »peccetur ------- si v. gr. exauctoretur militiæ Præ»fectus, quià hodiè demùm statuere cœpit, nullum »Deo bellum approbari, nobisque licitum esse, aut si, »dum Præfecti munus ambit, eam sententiam profi»tetur, nemo eum puniri dixerit; si ferat repulsam.«

Nempe quod jam antea ac per se tùm ob naturam rerum [Leges naturæ physicas] tùm moraliter fieri nequit ac interdictum est, id si non obtineatur & conferatur, ùt pœna infligi dici nequit; quemadmodum si munus bellicum non conferatur vel non ulteriùs relinquatur ei, qui bellum non posse licitè geri credit, pœnam ei inferri dicere nemo potest: dum nil mali de novo infertur, siquidem munus eâ ratione petere ac gerere nequidem licitum ponitur; hinc si petat, petit, quod per Leges fieri nequit; ut denegatio simplex sit ejus, quod nunquàm & nemini datur. Pari modò se res habet cum miraculis, ut scil. nemo petere ac sperare debeat, quod miraculosè fieri debet. Idem dicendum [scil. quòd pœnæ ab irato Judice profectæ ac vindictæ rationem itidem non habeat] de eo, quod ut medium ad bonum aliquod infertur: dum ita naturam mutat.

Jam juxta dicta de morte pronunciandum per Leges naturæ scil. aliter fieri nequit, quin omnes homines pariter & æqualiter ei sint subjecti (sch. 3. §. 846.); an igitur petere possunt, etsi vel maximè aliàs è peccato oriatur, à cujus maledictione fideles liberati sunt, per (§. 1144. & sch. 2.), num inquam hi petere possunt etiam à morte liberatos esse, seu ei non subjacere? Mors nimirùm à Deo in hacce rerum serie totali (sch. 3. §. 381. & sch. 3. §. 810.) involuta ac implicita fuit ùt ingrediens, quò omnia cohærerent, ne nexu dissolutò [nexu rerum sapienti] (§. 661.) saltus

tus fieret per miraculum admissum, imò continui saltus per plurima miracula, multitudinem fidelium; unde σχέσις pœnæ ac intentio iram exercendi per immissionem mali tollitur, vel saltem insigniter mitigatur; imò nequidem mali, dum non solùm ut simplex damnum considerari debet nec aliter potest, uti quibusdam aliquid infertur vel & denegatur tantùm ut simplex damnum, non verò ut pœna (sch. §. 804.); & in exemplo allato militiæ Præfectus damnum non potest non ferre ac sentire; sed & rationem medii prærequisiti ad bonum acquirendum habet: ubi malum physicum minus admittitur, ut bonum inde resultet, nempe ut non solùm fideles inde à terrenis abstrahantur, sed & corpus à peccato liberetur per corporis peccati destructionem; dùm scilicet ob miracula aliàs admittenda fieri nequit, ut fideles à peccatis planè purgentur, sine morte corporis, & verò Leges supremæ Civitatis Dei non admittunt, ut quis peccatò adhùc inquinatus cœlum intrare possit; inde omnino ut bonum subsidiatum mors fidelibus infligitur, seu eam subeunt. Inde ut eam non subeant, moraliter fieri nequit, Leges Dei supremæ id vetant.

Atque id est, quod modo dictum ac positum, nimirum quod nec per Leges naturæ [seu physicas, hinc sine miraculo] nec moraliter fieri potest, vel antèa jam utrâque viâ prohibetur, id si non obtineatur vel conferatur, ut pœnam infligi dici non posse. Ob nexum hinc potest dici, tùm antecedentis, seu ne miraculum admittatur, tùm consequentis, seu ut plena in fidelibus fiat à peccato mundatio ac ejus enecatio, eos mori debere; quod hinc illorum respectu pœna ampliùs non est, quàmvis in se & originariè sit peccati pœna. Consequenter quoad subjecta illa, in quibus mors talem σχέσιν aut finem non habet, è contrà nexum cum majori adhuc malo infligendo, pœna semper manet; etsi vel maximè aliàs prior ratio, seu evitatio miraculi pro iis militet. Nec repugnat, ut, quod uni ut pœna infertur, alteri non ut pœna inferatur, seu ut idem malum apud unum sit pœna, apud alium verò non item; dum scil. connexio rei malæ cum aliis est attendenda; per mortem scil. impii non liberantur à peccato, nec id intendit Deus per mortem ipsorum, quoniam nec sanctificatio hujus vitæ præcessit, nec

meritum Christi illis prodest &c. Juxta dicta & capienda est responsio, quam quidam [uti v. gr. BUDDEUS *Theol. dogm. Lib.* 2. *Cap.* 3. ad §. 19.] dant ad præsentem difficultatem levandam, scil. distinguendum esse inter incommodum & pœnam; mortem fidelium esse incommodum, non autem pœnam.

Intelligitur etiam è dictis, objici non posse, quòd, cùm Deus omnia præordinaverit convenienter statui hominis prævisо (sch. §. 835.), ideò & mortem fidelium ita præordinaverit respectu habitò ad statum peccati ipsorum: nam semper nexus ille ac intentio Dei respici debet, ut & indicatur cit. (sch.).

Sch. 3. Disputationis serram hac super difficultate, uti notum, secum invicem reciprocarunt Duûm Viri in Belgio fœder. Celeberr., Academiæ Franequer. Theologi, H. ALEX. RÖELLIUS, & CAMP. VITRINGA. Interim forsan si logomachiæ admistæ demantur, de cætero non magnus erit in re ipsa dissensus: cùm in principiis reliquis convenientes hac in re discrepare vix possint; consequens malum nimirum suô sensu pœna potest dici, sine nexu scil., relatione ac fine ad bonum inde comparandum; quô sensu haud dubiè Röellius intellexit, nec Vitringa hôcce sensu negaverit. Juvat autem ad hancce materiam porrò discutiendam è Vitringa quædam afferre, qui de ea [sine discrepatione cum Röellio] egit *Observ. S. Lib.* 2. *Cap.* 7. 8. ubi *Cap.* 7. p. 106. difficultates proponit; hasce videlicet inde oriri, quòd videri deberet, sublatâ causâ [scil. peccatô] etiam effectum [seu pœnam abesse oportere; quum & contra Pontific. statuamus, pœnam supereſſe nullam, condonatâ culpâ (sch. 2. §. 1144.): & »cùm liquidum »sit [ipsa sunt Viri Cel. verba] Deum judicem à no»bis exigere non posse supplicium, quod ad vindi»cationem justitiæ læsæ locô nostrô tulit Sponsor; »neque minus in confesso sit, Christum Sponsorem »hanc mortis speciem ut pœnam nostrâ vice luisse, »jure disceptatur, quæ ratio sit, quòd fideles redemti »non minus ferant molestam hanc partium suarum »dissolutionem, quàm improbissimi mortalium? quin »cùm in fœdere gratiæ electis non tantùm paria sed »& certiora bona promittantur, quàm expectanda ha»buit

» buit Adamus in eo amicitiæ ſtatu cum Deo, quò vi-
» xit in paradiſo; audax expoſtulo, cur vi hujus fœ-
» deris continuò non reducat ad illum perfectionis gra-
» dum in hac vita, quem ipſe poſſedit &c. »

Ad difficultates haſce diſpellendas jam inſerviunt, quæ modò (ſch. 2.) allata; præter reſponſionem autem, quam Vir. Cel. deſumit p. 143. (*Cap.* 8.) à *Sapientia Divina*, quam deceat opera magna per gradus perficere; quò & faceret (ſch. 2. §. 649.); lubet alias propriis ipſius verbis apponere, ita autem p. 121. *Cap.* 7. » mors corporis, ut pœna peccati eſt, non conſi-
» deranda à nobis ſeorſim eſt, ſed ut pars illius mor-
» tis, quæ per peccatum in Mundum venit, quæ in
» ſummo gradu ſuo *æterna* vocatur; ea verò mors
» inflicta eſt peccatori ut pœna, ut per eam mortem
» peccator præpararetur ad interitum multò majorem,
» quàm ante hâc expertus eſt. Quando verò
» homo peccator incipit credere, & illius principii
» vitæ particeps evadit, per quod æternum id exi-
» tium ſuperaturus eſt, tùm ſimùl dicitur ſuperaſſe
» mortem corporalem, quæ ſolùmmodo æternæ mor-
» tis Miniſtra concipiebatur &c. » & p. 123. » ubi
» enim abeſt interitus, condemnatio & ira, ibi nulla
» eſt mors, vel ubi ſolvitur nexus afflictionum & mor-
» tis corporeæ cum æterno interitu, condemnatione
» & demonſtratione iræ Dei, ibi abeſt mors; iterum
» ubi afflictiones & ſolutio mentis à corpore ſunt me-
» dia promovendi vitam veram fidelium, ibi nullô
» pactô conſiderari poſſunt ut mors &c.

Notandum etiam omninò » interitum corporis fide-
» lium [ita Vir laud. p. 134. *Cap.* 8.] procedere ex
» condemnatione peccati, facta à Deo judice in morte
» Chriſti, ac proin in credentibus ut fructum illius
» mortis conſiderandum eſſe » advocat Vir eruditiſſ. Rom. 6:6. 8:10. » non poteſt igitur [ib. p. 135.]
» peccatum damnari, niſi corpus noſtrum damnetur,
» in quo peccatum eſt, quod per peccatum inquina-
» tum eſt - - - - interitus noſtri corporis eſt fructus
» condemnationis peccati, quæ fidelium juſtificatio
» eſt, atque id ſibi vult Apoſtolus, quando corpus
» mortuum eſſe dicit propter peccatum; corpus poſt
» regenerationem manet peccati ſedes &c. Ut
» verò pateſiat clarius [ſic. p. 137.] quomodo fieri

»possit, ut mors fidelium sit consequens & fructus mortis Christi, neque tamen propriè sit ad ἔνδειξιν τῆς »δικαιοσύνης τοῦ θεοῦ, quid vetat simile adhibere, ad »quod ipse nos Spir. S. manuducit? liberatio fidelium »proponitur per redemtionem captivi ex carcere propter »solutum λύτρον; quòd captivus è carcere liberetur, »hoc unicè habet adscribendum λύτρῳ, *pretio* pro se »soluto, quòd verò judex, liberaturus captivum pro»pter pretium solutum, custodem & Commentarien»sem [diabolum] suâ privet potestate, quam ante ha»buit in captivum, quodque carcerem, in quo custos »captivum detinuit, ut miseriæ instrumentum maxi»mum [corpus nostrum intellige] destruat ad plenam »captivi liberationem, hoc justè quidem facit judex ad »captivo præstandum & effectum liberationis propter »pretium solutum, sed per ea minimè satisfit suæ ju»stitiæ, cui jam ante satisfactum est; est ergò mors »nostra beneficium, quod nobis justè præstatur ex sen»tentia Dei justa propter mortem Christi, ad illius ef»fectus nobis applicandos &c.» Aliud simile idem Vir Celeberr. p. 147. hisce profert verbis: »fit »alicui decreta vel sententiâ Judicis addicta hæreditas, »quæ tamen ab hostibus tenetur, ac proin acquiri non »potest ab hæredibus nisi per variam luctam; quòd »sint, qui resistant executioni, quòd illi nonnisi per »partes & gradu vincantur, hoc contrarium non est »justitiæ judicis: dandum enim tempus est execu»tioni, quantum convenit. Observetur igitur »ad sublationem totius difficultatis motæ: tempus & »gradus, quibus Deo placet sententiam in gratiam »peccatoris latam pro sua Sapientia exequi, non con»trariari justitiæ Divinæ &c.

Post eam judicium requiritur particulare.

1499. Quòd si retributio futura est post hanc vitam, seu per felicitatem (§. 853.), seu infelicem Statum (§. 837.), *oportet Deus tùm cum quolibet homine judicium instituat post mortem*, Hebr. 9: 27. [quod vocatur *particulare*]: quippe cùm Deus homini legem præscripserit immutabilem

immutabilem (§. 75.), eamque expreſsè in Verbo ſuo confirmaverit (§. 1383.), omnis autem lex eò ſpectet, ut applicetur ad facta (per princ. Juris), idque quâ conſequens, ſeu dijudicationem & pronunciationem, num pœna vel præmio quis dignus ſit [hîc autem, num gratiam in Liberatore oblatam (§. 846. & ſch. 2. ib. §. 1007.) adeòque fœdus gratiæ ritè acceptaverit nec ne] (§. 993. 1116.) applicatio autem talis Legis ad facta ſeu horum juxta illam conſideratio ſit, quod vocatur *judicium*, omnino judicium cum quolibet homine poſt mortem inſtituetur: ùt & negotium juſtificationis ſecum fert (§. 1147.).

Sch. 1. Leges, niſi applicentur, ſunt meri luſus; comminatio ideò Legis, promiſſio comminatioque fœderis [quod itidem legem: quippe conditionem in ſe continet] (§. 746.) executioni dandæ ſunt. In humanis qui legem applicat, aliquando eſt judex ſubordinatus nec ipſe Legislator, vid. (ſch. 2. §. 1122), at hîc ipſe eſt Legislator (ib.). Lex Dei applicata fuit quod præmium in Abrahamo, Iſaaco &c. Matth. 8: 11. Luc. 16: 23. Lazaro ib. v. 22. quoad pœnam in divite epulone ib. v. 23.

Sch. 2. Judicium hoc itaque inſtituetur in animam à corpore ſeparatam; nec tam præmii pœnæque diſtributionem ſtatim & immediatè ſecum feret, quàm tantùm verſabitur in dijudicatione meriti [nempe Sponſoris applicati] (ſch. §. 958. §. 1138. & ſch. 1.) & demeriti: cùm plenaria utriusque illius diſtributio demum poſt aliam periodum & præcedentibus aliis ſecutura ſit [ut in ſeq. videbitur]; licèt omninò jam quædam tùnc locum habitura ſit pœna, nimirum Conſcientiæ morſus, expectatio executionis ſeveræ judicii Divini, Heb. 10: 27. ſenſus jam iræ Divinæ &c.

In eo quid agendum.

1500. *Cuilibet homini* itaque *tunc ratio erit reddenda eorum, quæ in hac vita egerit, vel non egerit*, Eccles. 12: 16. 2. Cor. 5; 10. Vita, quippe præsens est stadium obendientiæ Deo & Christo præstandæ, tempus, in quo pensum glorificationis Dei, Christique præscriptum; vid. (§. 672. seq. 1160. 1171. 1174.), tempus à Deo concessum &c. (§. 580.); igitur non potest non Deus rationem ab homine exigere, quomodo tempus id impenderit, num fini præscripto convenienter &c.

Sch. 1. Per hæc ideò firmatur judicium mox post hanc vitam instituendum, adeòque judicium particulare, ut intimetur animæ meritum vel demeritum ob vitam hanc vel benè vel malè actam, ac irrogatio pœnæ; omnia juxta dicta (sch. 2. §. 1499.). Atque per hæcce satis occurri potest objectionibus, quæ contra sententiam de judicio particulari mox post mortem instituendo moveri solent, ac & lis componi potest.

Sunt nimirum, qui judicium id nolunt admittere: ita BÜRNETUS *de statu mortuorum & resurg. P. I. Cap.* 4. p. m. 57. 58. ubi judicium id negans tamen benè dici posse pronunciat, quamlibet animam è corpore migrantem tacitum ac singulare subire judicium, testimonium sibi præbendo aut boni aut mali, cui in hocce Mundo operam dederit, suspiciendo Deum iratum aut placatum; scire item sortem, quæ obventura; interim hæc omnia intus fieri. Non quæritur nimirum hîc de forma aliquas externa ac processu judicii: quum res sit, quæ inter Spiritus agitur, Spiritum scil. omniscium, omnipotentem &c. & spiritus hominum, seu animas defunctorum, mox nunc, mox aliò tempore è corporibus emigrantes.

Alii verò nec negare nec affirmare se audere perhibent judicium id particulare eô sensu, quô communiter intelligatur, ita SHERLOCK *du jugement dernier P. 2. Chap.* 2. p. 160. qui interim ib. seq. addit, cùm clarum sit è Scriptura, pios statim in locum statumve felicitatis intrare post mortem, uti impios in eum miseriæ,

seriæ, id aliquam judicii speciem esse, licèt non adsint solennitas ac pompa judicialis; porro Heb. 9: 27. judicium sub secundo Christi adventu innui tenet, quià v. 28. de hocce adventu sermo sit; at an non melius tenetur, κρίσιν v. 27. contradistingui secundo Christi adventui v. 28.? Vir laud. autem p. 168. præcisè ac breviter sententiam suam enunciat, ferè prout habetur (sch. 2. §. 1499.). Argumenta verò, quæ *P.* 1. producit ad probandum judicium futurum, an non eò ipsò & pro judicio particulari militant? quid etiam opus de ipso judicio litigare, cùm interim de effectu ejus consentiatur?

Sch. 2. Quemlibet ideò hominem Opera sua sequentur, quod de piis in solatium, ac ut beati prædicentur, dicitur Apoc. 14: 13. in q. l. Eruditiss. SCHOETGENIUS complura producit. Vet. Hebræorum loca, quæ ostendunt, quid senserint ea de re, quomodo scil. hominem ex hac vita egredientem Opera ad judicium insequantur. Uti sanè Vetus Ecclesia Judaica non poterat aliter sentire, per principia firmiter credita de justitia Dei, providentia Ipsius, natura boni malique &c. vid. & (§. 1363. 1365.), ac de judicio Dei Dan. 7: 10. unde quoque fortiter obviam ivit iis impiis vel incredulis, qui omnes Religionis nervos abscindebant: vid. Eccles. 12: 1. Liber Sapient. 1: 1. seq. 21: 22.

1501. Cum autem homines omnes peccaverint (§. 820.), hinc rei sint (§. 784.), & propterea rationi sufficienter reddendæ impares, ab accusatoribus (§. 1141.) convicti, *pii ac fideles* ideò *in judicio hocce stabunt ope intercessoris Christi* (1143.).

Fideles in eo quomodo tecti maneant.

Sch. 1. In hocce quippe consistit gradus seu articulus justificationis fidelium sextus, quo de (sch. 2. §. 1147.); unde nexus hujus doctrinæ cum illa de justificatione perspicitur, nec non & cum illa de peccato, morte, &c. Petinet eò, & quod CHRISTUS dicit Joh. 5: 24. credentem in Eum non venturum esse in

judicium; uti è contrà impii non ſtabunt in judicio, Pſ. 1: 5.

Sch. 2. Ob meritum Chriſti imputatum (§. 1138. & ſch. 2.) & ſanctitatem hujus vitæ (§. 1160. 1197.) intimabitur fidelibus conſcientia remunerationis reportandæ, ac jam tùm animæ felicitate fruentur, ſtatumque beatitudinis intrabunt, 2. Cor. 5: 1. Phil. 1: 23. Apoc. 14: 15) ut corpore peccati per mortem depoſitò ac juſtificatæ (§. 1144. & ſch. 2. ib. ſch. 2. §. 1147.) opùs habituræ non ſint purgatione quâdam, nec per pœnam aliquam [interim tempore ac gradu finitam] malefacta fidelium in hac vita commiſſa ſint recompenſanda; quaſi non congrueret Sapientiæ ſummæ eos ad perennem maximamque admittere felicitatem [ſine quòd ullam ſentiant pœnam] qui majora aliquando patrarint malefacta, ac ex iis quidam, qui honeſtatis externæ ſtudioſi, tamen [quoniam Chriſtum fide non receperunt] felicitatis illius exſortes manere debebunt.

Delabimur adeo hîc ad Pontific. dogma de purgatione animarum [à peccatorum reſiduis & peccaminoſitate] poſt mortem dolorosa, *ignem purgatorium* appellant; adſtruere id dogma volunt v. gr. quòd ſine ſanctificatione nemo Deum viſurus dicatur Heb. 12: 14. at verò, præterquàm quòd & ſanctitas imperfecta hocce gerat nomen, ſanctitas inſequens omninò ſine tali efficietur purgatione, ut infra (ſch. 1. §. 1534.) videbitur; unde & idem reſpondetur, ubi objicitur: nil immundi Hieroſolymam novam ingreſſurum eſſe Apoc. 21: 27. inſuper locus hicce de mundatione à peccatis anteà memoratis loquitur &c. Magis directè rem pròbare volunt locis è Vet. Teſt: v. gr. Eſaj. 4: 4. 49: 8. ſeq. ibi verò nil de purgatorio: ſiquidem [ut alia taceamus] ablutio, de qua Propheta, hujus vitæ eſt: dicit enim, Zionis cives non priùs ſanctos fore, quàm Deus eos à ſordibus in Spiritu ardoris ac judicii abluerit, at verò fideles jam in hac vita ſunt ſancti (§. 1197. ſeq.); poſteriori locò liberatio equidem è carcere proponitur, verùm ſpiritualis, & quòd aliquam poſt hanc vitam Propheta indigiter, nullo indiciò probari poteſt; provocant etiam omninò ad Mal. 3: 2. 3. at poſitò, quòd per filios Levi intelligendi eſſent omnes fideles, locus interea ſemper de purgatione nonniſi in hac vita ageret; cùm ſermo fiat de

oblatu-

oblaturis sacrificia in justitia; clarè etiam indicentur ea, quæ Christus præstiturus esset; vid. autem quoad hæcce aliaque loca DALLÆUS *de pœnis &c. Lib.* 1. *Cap.* 9, 10. Ex 2. Mach. 12: 39. seq. probari nil potest: cùm Liber sit apocryphus, & si vel maximè de purgatione animæ post mortem acciperetur, tamen, quòd Veterum Judæorum fuerit placitum, nondum sequeretur: siquidem tùm temporis Judæi multa è Philosophia græcanica assumsêre dogmata, vid. ex. gr. BUDDEUS *philos. Ebr.* ad §. 18. seu p. 70. seq. uti & id de animæ post mortem purgatione dogma fuit græcanicum, PLATONIS nempe, vid. EUSEBIUS *præpar. Evang. Lib.* 11. *Cap.* ultim.

E Nov. Testam. ut manifestum causæ præsidium producunt 1. Cor. 3: 13. at verò, qui prius opinionem de purgatorio menti infixam non habuerit, locum illum legens de igne tali post hanc vitam non cogitabit: talis enim sit oportet ignis, qui relationem habeat ad ea, de quibus in proximè anteced., jam verò sermo est de iis, quæ fundamento inædificanda, id est, opinionibus, quæ, num veræ vel falsæ, probandæ sunt; controversiæ scil. tùm temporis à pseud-Apostolis motæ, de Lege ceremon. &c. examini probatorio ac decisioni subjiciendæ erant: dùm ignis opiniones illas falsas erat probaturus, ubi Templum ipsum cum choragio Levitico erat abolendum. Ut adeò PAULUS feralem Romanorum innuat ignem, hinc non alterius verùm hujus vitæ, porro non purgatorium sed probatorium; dum igne res, de quibus locutus, probandas esse dicit. Tandem ignis nonnisi in eo tertio adducitur, quâtenus res mistas discriminat, ut scoriæ ab auro discriminantur; ut ignis analogicè talis intelligatur, unde Apostolus: ὡς διὰ πυρός; vid. autem quoad h. l. HAMMONDUS *cum additam* CLERICI, item prolixè DALLÆUS, ubi modò, *Cap.* 16. nec omittenda, quæ Cl. & eruditiss. ELSNER ad 1. Cor. 3: 15. notat, scil. rectè Interpretes locutionem *servari ex igne* sumere ut proverbialem pro *servari è maximo periculo*, hinc inservire Pontific. confutandis; loca producit è profanis V. D., ubi ex igne eripere id notat, quò & refert Jud. v. 23. interim tamen aliquantum diversum esse locutionis Paulinæ

sensum: cùm non dicatur ἐκ πυρὸς, sed ὡς διὰ πυρὸς, ideò rectiùs exponi è proverbio: *per ignem incedere*, id est: *in periculo & damno versari*, huc facere Ps. 66. 12. Esaj. 43: 2. loca etiam è profanis subjungit Vir Cel. significari autem ab Apostolo ignem metaphoricum, vel vehementissimarum calamitatum & periculorum, ubi sola fides tanquàm aurum remaneat, 1. Pet. 1: 7. 4: 12. vel acerrimi Judicii Divini, quò aliquando opiniones & actiones humanæ explorandæ sint, paleis straminibusque, & quicquid ignis vim sustinere nequit, conflagraturis; citat Esaj. 33: 11. 12. 66: 15. 16. Zach. 13: 9. eò præcipuè respexisse PAULUM.

Porrò modò laud. DALLÆUS nullas fidelibus in tali purgatorio pœnas subeundas rectè probat ex Apoc. 14: 13. ubi à laboribus suis quiescere dicuntur [quem locum V. D. prolixè discutit *Lib.* 2. *Cap.* 11.] & cum quo ferè convenit Esaj. 57: 1. 2. item quòd ex hac vita in domum cœlestem migrare dicantur 2. Cor. 5: 1. quòd mansuri sint apud Dominum, v. 6. 8. quòd sint cum Christo Phil. 1: 23. tandem quòd preces pro fidelibus mortuis in Scriptura nusquàm imperatæ ac piis solitæ legantur; vid. prolixius Vir laudatiss. ib. *Cap.* 12 - 14.

Jam quod ad authoritates Patrum attinet, quibus Doctores Pontificii hypothesin de purgatorio fulcire volunt, idem Vir Cel. variis rationibus eruditè ostendit, Patres Ecclesiæ tale quid non statuisse: ex eo, quòd hi loca, è quibus Pontificii purgatorium probare sumunt, non eò sed aliò retulerint; quòd definiverint, pœnitentiæ, remissioni peccatorum nullum post mortem locum relictum iri; quòd crediderint nullà pios demortuos manere supplicia; item quòd non dubitarint affirmare passim, amicos in fide Dei mortuos recèns quiescere felicitateque frui; vid. *Lib.* 6. tot.

Prolixè quoque *Lib.* 4. tot. loca, quæ à Pontific. è Patribus proferuntur ad ostendendum, quòd hi purgatorio faverint, vindicat, ac ea obtortò collò in favorem purgatorii explicari monstrat; speciatim Origenem malè advocari: non tantum quià nullas statuerit pœnas compensatorias, verùm præcipuè quòd talibus pœnis non fideles sed reprobas subjecerit ac diabolos; *Cap.* 6. etiam quæ apud Lactantium, Hilarium, Augustinum, Ambrosium, Hieronymum, aliosque

que de igne ejusmodi occurrant, frustrà ad illum Romanensium trahi evincit *Cap.* 9. cùm Patres hi de tali igne ne cogitaverint quidem, verùm nonnisi ignem homines resuscitatos ultimò die lustraturum intellexerint, adeòque aliquid, quod contingeret in fine Mundi.

Hùc pertinet, quod Commentatores ad MINUT. FEL. notant p. m. 331. Patrum complures ignem quendam statuisse postremò die exusturum, quò fidelis quisque purgandus sit, ut ita prorsus sanctus felicitatem cœlestem ingrediatur, eumque nominasse *ignem sapientem*. Laud. DALLÆUS & evincit frustra Romanenses inde velle probare, Patres purgatorium statuisse, quià hi precibus pro mortuis faverint: cùm preces hæ non alium in finem fuerint factæ, nec aliam habuerint originem nisi triplicem opinionem: 1. quòd fidelium animæ extra cœlum ad resurrectionem usque quiescant, in statu quidem placido & à pœna immuni, interim nondum consummato; 2. Christum per mille annos in terris regnaturum, ac per hocce spatium fideles singulos diversis vicibus à mortuis suscitandos esse; 3. ignem die postremò lustraturum esse resuscitatos; vid. *Lib.* 5. tot. prolixè ac eruditè.

Tandem notat *Lib.* 6. *Cap.* 13. dogma de purgatorio Ecclesiæ Roman. à Gregorio originem sumsisse versùs exitum Seculi sexti; nec anteà fidem de eo obtinuisse; occasionem & suppeditasse dogmata alia tùm rejecta; Bedam item ignem illum nutrivisse.

Sch. 3. Vocatur autem Status animæ post mortem, ubi non statim vitam æternam ingreditur, *Status medius*: siquidem medium tenet inter felicem & infelicem. Pontificii adeò sunt assertores statûs ejusmodi medii; licèt & præter Pontificios alii talem statuerint, notante BUDDEÒ *Theol. dogm.* p. 503. interim non ex iisdem principiis: siquidem illi etiam ad satisfactionem præstandam statum talem volunt; hi autem nonnisi ad purgandam animam ejusmodi tenebant. Scriptura jam verò duos nonnisi Status agnoscit, felicem prorsùs aut infelicem, Matth. 7:23. 13:30. 28:46. Marc. 16:16. Luc. 16:22. seq. Joh. 3:15. seq. porrò docet exemplis, pios statim ad Statum pervenire felicem, Luc. 16:22. 23:43. Actor. 7:59. frustràque excipitur, homines tales, qui memorentur felicitate

cœlesti

cœlesti mox post mortem potiti, purgatione opûs non habuisse : quis enim eâ magis opûs habuisset quàm latro, gravium scelerum reus? Cæterùm si vel maximè purgatio animæ post mortem admittenda esset, dolorosa, pœnalis, tamen inde minimè sequeretur, animas ex ea per intercessionem ac preces vivorum citiùs liberari : cùm post hanc vitam nullus ampliùs intercessionibus locus sit futurus.

Dogma id inde in pessimos dein abusus tractum est: dum Clerus illud convertit in medium auctoritatem, divitias &c. acquirendi, per terriculosam repræsentationem ignis illius, quem subire nec fideles, in fide ac pœnitentia vera morientes sint dispensati, quibus interim, ad citiorem ex eo liberationem, nullum aliud relictum sit medium, nisi ut viventes, præcipuè Clerus, pro iis intercedant, per Missias præsertim, in eorum gratiam celebrandas; quæ multò majorem, quàm aliâs preces, vi gaudeant Deum permovendi: quippe in oblatione ipsius Salvatoris corporis consistentes (sch. 3. §. 1279.). Enatæ sunt inde *Missa pro defunctis*, res Clero Romano omnium maximè proficua, quibus quantum accreverit, dici vix potest; unde & satis patet, quare tàm studiosè propugnent, homini justificato tamen adhùc satisfaciendum esse, tùm in hac tùm in altera vita (sch. 2. §. 1144.).

Ignem eum Papæ & Clerus confirmare annisi sunt per plurimas narrationes de apparitionibus animarum post liberationem è purgatorio; Concilium Florentinum ac Tridentinum id firmarunt &c.

Judicium aliud in fine Mundi.

1502. *Aliud* tamen aliquando *judicium cum omnibus, qui unquàm vixerunt, hominibus instituetur in fine Seculorum :* quippe non solùm Scriptura id apertè ac cum circumstantiis docet Matth. 25: 31. seq. Act. 7: 31. sed & hominis, creaturæ rationalis, ac Creatoris, Legislatoris consideratio ostendit: cùm homo suâ natura sit creatura ad rationem reddendam obstricta, ob libertatis requisita (§. 523.), subordinationem

(§. 576.),

(§. 576.), & ùt agens liberum non aliter nisi præmiis ac pœnis indictis gubernetur (§. 656.); quod uti Sapientiam Divinam involvit (§. 649. & sch. 2.), inde & vi Sapientiæ suæ Deus non potest non factorum rationes ab homine exigere, consequenter judicium finale instituere; vid. etiam ac transferatur hùc (§. 1499.).

Sch. 1. Pluribus hac de re GUIL. SHERLOCK in libro, uti notissimo, ita præstantissimo ac omnibus commendando, *du jugement dernier*, *P.* 1. ubi tractat *des preuves d'un jugement futur*, *Chap.* 1. unde, quæ §. præs., desumta; lubet quædam inde apponere, e p. 11. »ne »suis-je pas sujet au jugement de Dieu? ne suis-je »pas sa creature? & Lui n'est-il pas mon souverain »Maître? n'est il pas donc mon Juge? ainsi pourquoi »croirai-je, que mon Maître & mon Juge naturel ne »me jugera pas? les Péres & les Méres ne jugent ils »pas leurs enfans, les Maîtres leurs serviteurs, les Prin»ceps leurs sujets, tous les Supérieurs leurs inferieurs? »& puis-je penser, que Dieu, qui est le Souverain »Maître de tous, & de qui toute l'autorité des Puis»sances de la Terre est dérivée, sera le seul, qui ne »jugera pas, qui? ses propres creatures? Dieu a-t-il »donc renoncé à son autorité? ou bien l'exercice en »est-il trop penible pour lui? nous a-t-il faits des »creatures sujettes à rendre compte, mais pour ne ren»dre néanmoins aucun compte? nous a-t-il faits ses »sujets pour n'exercer aucune autorité sur nous? &c.

Cap. dein 2. ibid. differentiam essentialem inter bonum & malum (§. 68.), notionem item naturalem de Deo ponit ac exponit ùt rationem probantem judicium futurum; unde iterum quædam ejus verba apponere juvat, p. 23. »après cela pouvons»nous penser un moment, que, si Dieu gouverne le »Monde, Il ne veut pas juger le Monde? qu'Il ne »veut pas récompenser le bien & punir le mal? au»ra-t-il gravé dans les cœurs de hommes un princi»pe naturel de vengeance & de justice; leur au»ra-t-il appris à ériger des Cours publiques de justi»ce pour la punition du vice, & Il ne voudra pas

»le

»le punir Lui-même? aura-t-il donné certaines gra»ces, certaine beauté naturelle à la vertu, capable »d'exciter l'amour, de s'attirer des loüanges, l'admi»ration & les récompenses des hommes, & Il n'y au»ra Lui-même aucun égard? aura-t-il fait, que le »vice soit mepriſé & infame, & Il ne le flêtria pas; »Il ne le couvrira pas de confusion &c.

Vestigia providentiæ externa *Cap.* 3. ut argumentum pro judicio futuro adducit, scil. quia non solùm sæpè bonis in hac vita malè sit, sed & quia aliàs clarè pateat, Deum gubernare Mundum, unde præmia ac pœnæ &c. *Cap.* 4. præsagia Conscientiæ, quæ, utpote naturalia nec alii tribuenda causæ, probent judicium futurum. *Cap.* 5. argumenta, quæ Scriptura suppeditat, memorat, loca Nov. Test., quòd Christus ipse necessitatem talis judicii inculcet, Leges Ipsius, promissa & minæ tali judicio nitantur.

Interim Ratio judicium id non præcisè ut cum omnibus hominibus simul ac in fine Seculorum instituendum agnoscit, minùs adhùc ut cum hominibus resuscitatis [quo de in seq.] attamen Scripturam præeuntem tùm sequitur, ut in re, quam & ipsa, seu in se valdè probabilem, perspicit.

Sch. 2. Consequentias ac doctrinas practicas momentosissimas è doctrina de judicio hocce in fine Seculorum futuro fluere nemo non videt; quas ideò Vir laud. in libro memorato [pietatem &c. spirante] graviter ac prolixè proponit ib. *P.* 1. *Chap.* 6 -- 9. qualis est: vitam nos vivere debere, uti convenit personis, quæ judicandæ, hinc semper judicium id nobis repræsentare debere; quam in rem *Chap.* 9. res obvias & communes ut emblemata judicii futurii nobis repræsentare ac considerare debere ponit; v. gr. ubi quis rationes accepti & expensi diligenter ineat, aut alium id facere videat, cogitare debere, rationem aliquando sibi reddendam Deo, omnia libro quasi rationum suarum inscribenti; sic ubi rationes exigantur ab Oeconomo, quomodo quodlibet ipsi concreditum impendefit; si proprios Liberos ac infantes castigemus, quòd ita & aliquando reportaturi simus castigationem aut remunerationem; ubi videamus tempore messis frumentum in horreum colligi, lolium autem ac zizaniam relinqui,

relinqui, projici &c. Matth. 13: 30.40. p. 153. 154.

Sic porrò omnes difficultates relinquendas ac referendas esse ad judicium id Divinum: periculosum quippe esse rimari nimis secreta Providentiæ, irrationabile esse inquietos nos reddere ob difficultates, quas solvere nunquàm poterimus; & quod hîc noscere non possumus, in Seculo futuro cognoscendum datum & clarum factum iri in judicio; vid. ipse *Chap.* 7. 8.

1503. Vocatur judicium id in fine Seculorum inde judicium *ultimum*, item *extremum*, & quià omnes homines simùl spectabit [siquidem ita gloria Dei (§ 271.) maximè illustris redditur, ubi rationes ac modum providentiæ suæ administratæ (§. 650. seq. 671.) omnibus creaturis intelligentibus simul manifestaverit; & honor Ipsi ab impiis &c. ereptus ita optimè restituitur] *universale*; tempus ejus inde & *dies extremus* vel *novissimus*; stylò scil. Scripturæ quodvis tempus indeterminatum *dies* audit; & *dies Domini*, ubi Deus tempus id alicui operi illustri à se peragendo destinaverit: vid. ex. gr. Esaj. 2: 12. Mal. 4: 1. 5. 1. Cor. 3: 13. *Hujus nomen.*

Sch. 1. Dùm adeò tempus, quò judicium id habebitur, vocatur *dies* extremus, neutiquam id sibi vult, ac si unus nonnisi dies ei negotio impendendus esset, & omnia possent unicò peragi die &c. verùm notatur ac significatur simpliciter tempus. Id equidem omninò à Deo determinatum est, (per §. 410.), at neutiquàm revelatum, Marc. 13: 32. vid. itidem SCHERLOCK *P.* 2. *Chap.* 2. *que le jour du jugement est arreté*, ubi p. 191. quare Deus tempus id occultaverit, scil. quià tùm demum Deus judicaturus est Mundum, ubi homines fuerint impietati immersi, corrigi ac emendari nescii, nec verò, ubi adhùc spes supererit, ut homines ad meliorem redeant frugem; porrò judicium id conjunctum erit cum Mundi materialis destructione [qua de infra] tùm, si Deus indicari curasset

rasset tempus judicii hujus, homines eò tempore devotioni se dederent, tunc autem Mundus destrui non posset; præterea si Deus tempus præcisè indicasset aliquòt millibus annorum anteà, motivum illud, ob quod judicium aliàs postulatur, ita enervasset, ut Mundus multò magis aliò tempore dignus esset, qui destrueretur, quàm verò eò, quod determinatum. Quòd sic etiam in genere Fides de judicio futuro nos ad meliorem non perducit frugem, non magis convenit, ut tempus hujus judicii noscamus, quàm ut noscamus tempus mortis. Convenit quoque, ut judicium dictum maximè habeatur, ubi homines omnem ferè de eo fidem extinxerint; unde dies judicii hominibus impiè se gerentibus inexpectatò & furis ad instar superveniet, Matth. 24: 39. 48. seq. Luc. 17: 26. seq. 1. Thess. 5: 2. seq. 2. Pet. 3: 10. Ob illam destructionem, & ut Deus eam salvâ Sapientiâ suâ possit peragere, tempus judicii ultimi nondum adesse, ac Atheis & qui Religionis revelatæ dogmata subsannant, id respondendum esse monet Vir laud. p. 183. seq.

Sch. 2. Interim licèt tempus ultimi judicii hinc finis Seculorum absconditum sit, nec ab ullo mortalium possit definiri, tamen nonnullos probabilem saltem rationem inire voluisse, characteresque aliquos indicasse constat; nosci [præter alios] hæc etiam possunt ex Angli notissimi THOM. BÜRNETII *tellur. Theor. S. Lib.* 3. *Cap.* 4. [ubi V. D. de duratione hujus Mundi, adeòque & fine Seculorum, hinc tempore judicii ultimi] ibi tamen mox, quod in talibus decet p. 188. »neque hanc quæstionem aggredior eâ spe aut con»silio, ut eam dirimam aut expediam, sed potius, »quàm parùm profecerint alii, aut proficere possit »mens humana in ea dirimenda, ut adductis singu»lorum rationibus ostendam.» Futilem dein rejicit calculum astronomicum ex concursu planetarum & fixarum &c. Dein *Cap.* 5. Vir Cl. mentionem facit de *calculis propheticis* ——— *exoticis & sacris &c.* ibi pag. 193. de traditione domûs Eliæ; ubi non Thisbiten verùm Doctorem Rabbinicum intelligit 200. annis ante Christum, à quo tamen non primò prolatum, verùm per quem conser-

vatum

vatum sit vaticinium, æque ac Enochi per JUDAM; ita ut auctoritati illius nil detrahatur; antiquissimos Ecclesiæ Patres sententias de sex millenniis approbasse, in hexaëmero, in Sabbatho, eam fundatam credentes, uti eam in rem loca BARNABÆ, IRENÆI, LACTANTII, Vir eruditus adducit p. 194. Hæc hujus Viri observata etiam Cel. VITRINGA commemorat in Apoc. 20: 4. p. 844. seq. etiam de traditione illa locum ex ipsa *Gem. Sanhedr.* apponit, addens: secundum eam [traditionem] diem novissimum nec ita in longum protractum iri. Ad BURNETIUM ut redeamus, is traditionis illius vestigia deprehendisse sibi visus est in versibus ORPHEI &c. inde & CLEM. ALEXANDR. testari, diem septimum sacrum fuisse tàm Græcis quàm Judæis ob mundanam revolutionem; hùc & refert septenarium numerum ex PHILONE; haud dubiè ob mundanæ revolutionis mysterium, p. 195. Patres scil. ita rationes subduxisse, quòd Sabbathum adumbret Sabbatismum populo Dei reservatum, Hebr. 4: 9. seq. unde sequatur dies Sabbathum præcedentes [hexaëmeron] designare integrum Mundi decurrentis spatium; igitur si deprehendi possit, quantum temporis intervallum diei respondeat, indè totum tempus Mundi elici; jam illud noscì ex Psal. 90: 4. 2. Petr. 3: 8. dein ita V. D. p. 196. »fatendum est, has rationes, aptas licet & concinnas suô modô, non tamen esse irrefragabiles, sed pariter fatendum est, in Prophetiis »nondum completis rarò tales reperiri; quod Sabbathum nobis indicet Sabbatismum, ut dubitare non »possis, facit *Commentar.* PAULI *ad Hebr.* sex »dierum interpretatio minùs mihi certa videtur, eò »tamen alluisse dictos Authores S. ex amborum consensu & conspiratione in eadem diei interpretatione »facilius creditur; utcunque si porro hypothesi sumatur hic calculus sex-millennis, nihil video aut in »Natura externa, aut rebus humanis, aut denique S. »literis, quod ei opponi aut refragari possit.« Sigilla, tubas & phialas in Apocalypsi pertingere quidem ad Mundi finem, sed nullam habere adjunctam temporis mensuram; calcationem S. Civitatis Apoc. 11: 2. testes obluctantes Anti-Christo v. 3. seq., fugam mulieris in desertum 12: 6. 14. bestiæ adversùs

Sanctos bellum 13: 7. habere quidem mensuram adjunctam, verùm quià non determinetur principium, ubi inchoent, etiam nesciri finem; sic & ex prædicatione Evangelii ac Judæorum conversione nil dignosci posse, p. 197. aliud quoad periodum finis Mundi ex eodem Auctore memorandum infrà ad (§. 1529. sch. 4.); sic & refer hùc aliquid de signis adventûs Christi præcedaneis infra (sch. 2. §. 1518.).

Sch. 3. Inter ea, quæ diem extremum præcedere debeant, ponitur & à magnis Viris Theologis non paucis conversio Judæorum universalis, seu maximæ eorum partis adhùc futura; cum ea conjuncta est, vel & præcedit, restitutio Judæorum, quâ ad patrias sedes redire tandem possint; utramque non solùm sed & aggregationem illorum ad regnum Christi millenarium [quo de infra] (sch. §. 1530.) propugnare suscepit TH. BURNETIUS *append.* ad Tract. *de Stat. mort.* &c. seu P. hujus II. impugnavit autem eum nuperè ex instituto Clar. & doctiss. SCHUBERT Schriftmäßige Gedanken von der allgemeinen Juden-Bekehrung, &c. ubi §. 9. statum quæstionis ponit, nimirum: num aliquando tempus sit futurum, quò Judæi per omnes regiones dispersi iterum in terra Canaan congregabuntur, regnumque constituent &c. ac præmonet, ad hancce quæstionem si respondendum, noscere prius oportere, num Judæi delicta Majorum suorum, in quæ usque hùc consentiunt, unquàm sint agnituri, pœnitentiam ob ea testificaturi: ob delicta namque hæcce dispersionem calamitatesque iis supervenisse; præcipuè ob Christum repudiatum; ut hinc quæstio sit, num major pars Judæorum Christum ut verum sit receptura Messiam; ità §. 10. 11. sententiam autem hancce è locis Scripturæ, quæ BURNETIUS pro ea affert, probari non posse propugnat V. D. seq. non ex Esaj. 2: 4. ubi Burnet. pacem universalem promitti vult tùm, quando Judæi iterum in terra Canaan habitaturi juxta v. 3. propriè enim hunc loc. accipi non posse ob v. 2. ut nonnisi de conversione Gentilium ad Christum sit sumendus, ac id sibi velit: gentiles doctrinam Christi majoris facturos esse quam Judæos; à v. 6. scil. claram haberi prædictionem incredulitatis Judæorum tempore Christi. Ad Esaj. 4: 4. 5. ubi Cel. Anglus de

de inhabitatione Dei in Templo primo agi; quæ quia Templo secundo defuit, inde prædictionem adhuc implendam vult; reponit V. Cl. §. 16., æque id sumi posse de singulari præsentia in Templo Nov. Testam.; quam Propheta indigitaverit per aliquid Judæis notum: siquidem constet, Prophetas res N. T. locutionibus allegoricis indigitasse; ut; etsi omnes circumstantias N. T. prædixerint; tamen non solum pauciſſimis locis id propriâ ac naturali descriptione fecerint; sed & nonnisi fere tempora Christi ac Apostolorum, raro ulteriora indigitaverint; inde in plurimis interpretationem propriam esse deserendam; ubi voces juxta illam N. Test. applicari nequeant &c.

Sic ut reliqua loca ex Esaj. &c. ad quæ BURNET. provocat v. gr. è Cap. 11: item 51: &c. & ad quæ Cl. SCHUBERT respondet, prætereamus; memoramus nonnisi quoad Ez. 37: 21. seq. regerere §. 32. etsi unio Judæ ac Israëlis sub primo Messiæ adventu facta non sit; tamen non sequi, locum eum aliosque hujusmodi ad tempora ultima referri debere: cum Propheta post captivitatem Babyl. non immediatè mentionem facturus fuisset rerum 2000. demum annis post eventurarum; ut indigitatum fuerit fœdus æternum cum Juda ac Israële; uti & quoad Hos. 1: 7. 10. 11: non faciendum esse saltum à captivitate Babyl. ad ultima usque tempora, §. 35. Rationes dein generales profert V. D. §. 45. ob quas loca Prophetarum de Judæorum illa restitutione sumi nec debeant nec possint; nimirum quia tum pauciſſimæ remanerent Prophetiæ sumendæ de Opere redemptionis; initio Oeconomiæ Evangelicæ &c. quod tamen Opus restitutione Judæorum multò sit majus ac illustrius; porrò Opus id esse eventum jam insecutum; restitutionem autem eam eventum demum exspectandum; jam verò majori cum ratione Prophetiam sumi de eventu eam dein insecuto; & propinquiori; conf. supra (§. 185. & lch.). Quæ autem pro conversione Judæorum universali ex Rom. 11: Cap. afferuntur; Viro D. non videntur eam probare; conf. interim &; qui contrarium tenet JOH. ROD. FISCHERUS noster Probe von Theol. und Philol. Anmerck. ꝛc. 4tes Stück. Rationes autem & affert laud. doctiss. SCHUBERTUS §. 51. 52. quare conversio talis, et-

si omnino exoptanda, tamen sperari non possit, nimirum quià concio Evangelii ordinaria Judæos nunquàm ad conversionem sit perductura, ob eorum pertinaciam, præjudicium auctoritatis, defectum attentionis ad convictionem requisitæ; tùm quià, si vel maximè miracula fierent, tamen hæc non tollerent Judæorum pertinaciam: cùm Majores etiam aspicientes miracula Christi nihilominus eum blasphemarint, moderni verò æquè sint obdurati; positô etiam quòd miracula talem producerent effectum, dici non posse, Deum ejusmodi media impendere velle &c.

Sch. 4. Rationes, quare judicium id futurum sit universale, seu quare Deus omnes homines simùl sit judicaturus, profert SHERLOCK *P.* 2. *Cap.* 4. & quidem à parte Dei [quæ jam indicatæ] (§. præs.) p. 196 - 199. à parte hominum, ut, nullâ se personarum acceptatione judicare, ostendere possit, etiam leniùs se agere cum iis, quibus pauciora concessit gratiæ media, Luc. 12: 47. 48. p. 199. 202. 203. sic & afflictiones piis ab impiis illatas, ludibrium, contemtum, acerba, quæ illi pertulere, meliùs recompensari ac auferri, ubi publicè, coram universis fuerint à Judice laudati, ùt indigna perpessi declarati &c. p. 206. seq.

Gloriam Dei autem illustrem redditam iri per universalitatem judicii, spectaculi magnificentia fert: etenim [ut verbis Viri modò laud. utar p. 194.] » quel » suprenant spectacle de voir tous les hommes - - - » comparoître devant leur Juge, d'avoir devant les » yeux tout le genre humain, & toutes les généra- » tions depuis Adam jusqu'à la fin du Monde, une » telle assemblée n'aura jamais étée auparavant, ni ne » sera jamais plus; quand nous n'en serions que les » simples spectateurs, quelle occupation pour nos » esprits de contempler tous les hommes ensemble, » toutes les personnes illustres &c.

Mens corpore vestita ei subjicienda.

1504. *Judicium* autem id *ut instituatur in homines* [animâ & corpore unitis constantes] *convenit*: cùm enim ob rationes reddendas requiratur judicium Dei (§. 1502.), & ut lex Dei applicetur

plicetur ad hominum facta (§. 1499.), scil. quâ consequens horum, id est, vel remunerationem conferendo vel pœnam infligendo, Facta autem illa seu actiones liberæ fuerint profectæ à mente ac corpore harmonicè agentibus (*Met.* §. 527. seq. 539.), peractæ corpore ùt instrumentò, imò corpus vel sensus mentem sæpè perduxerint ad actiones perpetrandas (*Met.* §. 444. *Mor.* §. 180.), ut totus homo, seu mens in conjunctione cum corpore judicium subeat, convenit.

Conf. etiam PFLUG Tract. deinceps citandô, §. 94. Inter homines quoque insolitum non est, ut id, quod perceptionis est expers, tamen pœnæ ac iræ judicis subjiciatur, v. gr. effigies maleficorum aufugientium.

1505. Corpora ideò ad vitam revocanda, iisdemque mentibus iterùm unienda sunt, quod dicitur *resuscitatio à mortuis*, seu *resurrectio mortuorum*, Act. 24:15. 1. Cor. 15:12, 13. *Prærequirit ideò judicium futurum resurrectionem.*

Sch. 1. Inde, quod justitia Divina postulet resuscitationem corporum, liquet, vid. PFLUG in præclaro Tract. Beweiß der Möglichkeit und Gewißheit der Auferstehung der Todten, aus den Gründen der Vernunft, §. 104 - - 106. Ex eo autem hic notandum, quòd, cùm ratio separationis animæ corporisque non sit in anima, verùm in corpore [uti priùs V. D. probaverat §. 12.] inde & rationem reunionis animæ cum corpore in resuscitatione corporis oporteat esse; sic ut, ubi corpori per compositionem iterum partium ac structuram essentia reddita fuerit, proprietates item inde ac vis activa, tùm anima illi [per consensum cogitationum ac motuum restitutum] rursùs uniatur, ac unita fuerit. Ita ut hâc ratione resuscitatio corporis vel revocatio ad vitam ùt

initium seu ratio resurrectionis, unio animæ autem cum corpore ad vitam revocato ut consequens resurrectionis respici possit ac considerari debeat.

Sch. 2. Eidem menti corpus iterùm sociandum est, non ac si aliâs non eadem persona præmiò vel pœna afficeretur: quippe personalitas ac fundamentum hujus est in mente, hæc est illud *ego*, *qui quondam*; verùm ob convenientiam cum justitia: cum aut non resurgere necesse sit ac oporteat corpus, aut eidem iterùm animæ adjungi.

Qua quid sit. 1506. Resurrectio corporis adeò est restitutio Statûs corporis humani, quâ ad Motum membrorum iterùm aptum fit; resurrectio hominis autem seu à mortuis est restitutio consensûs cogitationum [repræsentationum ac appetitionum animæ] cum Statu corporis, per quem ad motum membra dispositа sunt.

Ita laud. PFLUG §. 14. 15. qui etiam §. 1. resurrectionem à mortuis definit operationem, ubi Dei potentiâ [quo de autem nos demùm in seq.] ultimi judicii die consensus operationum animarum cum statu corporum, per quem ad motum membrorum dispositа sunt, iterùm restituitur. Non opùs itaque monere [quippe quod quivis per se videt] non quæri de animæ resurrectione: cùm & hæcce ei tribui prorsùs non possit, per dicta (§. 88. §. 521. 522. sch. 1. §. 1497.).

Ejus possibilitas. 1507. *Ut corpus reviviscat, impossibile non est*: constituitur namque per partes harumque compositionem vel structuram (*Met.* §. 51. 606.), organicum per organa, & horum iterum structuram seu justam dispositionem atque coagmentationem ad Motum & Sensus (per princ. phys.); ut verò

partes

partes iterum formentur ac combinentur, impossibile non magis est, quàm in primo homine hæc ita fieri debuisse (§. 511. & sch.); nec magis omnipotentiam Divinam requirit talis corporum resuscitatio, quàm continua novorum individuorum per generationem productio (§. 297. 577. 578. & sch.); porrò cùm actu contigerit corpus reviviscere in resurrectione Christi (§. 903. seq.), inde possibile esse per se clarum est (*Met.* §. 15.).

Sch. 1. Corpus Christi equidem non ita in partes fuit dissolutum putredine, totali partium dissolutione &c. interim sufficit hîc, quòd vi activâ, qualis organisato convenit, prorsus destitutum, vulneribus enecatum, circulatione sanguinis omni planè cessante &c. tamen revixerit. Fuit Christus ἀπαρχὴ resurgentium, qui priùs obdormiverant, 1. Cor. 15: 20. nimirum etsi ante eum quidam mortui resurrexerint, tamen non revixerunt, ut nunquàm rursùs morerentur, uti è contrà Christus, prout & monet SCHÖTGENIUS in ill. loc. De talium, qui præter Christum resurrexerunt, exemplis certos nos reddit itidem S. Cod. auctoritas: talis erat filius viduæ Zarpathensis, 1. Reg. 17: 22. 23. filius Sunamitidis, 2. Reg. 4: 34. seq. Vir, qui in Elisæ sepulchro positus, 2. Reg. 13: 21. filius viduæ Nainitiditis, Luc. 7: 15. Lazarus, Joh. 11: 44. Sancti Christô resurgente, Matth. 27: 52. 53. Tabitha Joppensis à Petro suscitata, Act. 9: 40. Eutychus à Paulo, 20: 10. De horum hominum corporibus idem, quod de Christi illo tenendum ac valet. Monere hùc pertinet, quæ *Hist. Symb. Apost. cum observat. &c. Cap.* 7. seu ultimô, ubi §. 28. Auctor eruditus, quòd, quæ de resurrectione nostra dicuntur, maximam partem ad Salvatoris resurrectionem quoque possint referri, quæ nostrius causa ac exemplum; §. 29. quòd ab ipsis Religionis Christianæ originibus articulus de resurrectione Symboli pars fuerit: ùt inspectio antiquissimorum probet, & momentum doctrinæ id & ostendat; §. 34 — 37. causam, ob quam primitus Symbolo insertus, fuisse

tùm Philosophorum negàtionem, gentilibus scil. resurrectionem ridentibus, tùm & aliorum erronum 2. Tim. 2: 18. unde PAULUS Ecclesias ipsas à se plantatas [Thessal. & Corinth.] præmunire necesse habuerit; hinc articulum illum in baptismo recitandum voluerint Symboli Auctores.

Hic loci, ubi occasio se offert, convenit breviter saltem tangere, quinam dogma de resurrectione non admiserint; commemorat eos PFLUG in *præfat.* ad Tract. jam laud. fuerunt scil. inter ipsos Judæos Sadducæi; cùm enim animæ immortalitatem negaverint (sch. 2. §. 1497.), magis adhùc resurrectionem corporis negare debuerunt, vid. Marc. 12: 18. 26. gentiles in genere ridebant doctrinam hancce: Act. 17: 18. 32. conf. & eruditiss. in ecclesiasticis KORTHOLTI *Pagan. Obtrect. Lib.* 1. *Cap.* 10. §. 8. in ipsa Ecclesia Christiana, vel Ecclesiis ab Apostolis plantatis, dogma id à quibusdam negabatur aut pervertebatur: vid. 1. Cor. 15: 12. 26. seq. 2. Tim. 2: 17. 18. quinam è Veteribus Ecclesiæ Doctoribus, recentioribus item, doctrinam eam defenderint, PFLUG l. cit.

Addere lubèt quoad 2. Tim. 2: 18. quod SCHOETGENIUS notat: nimirùm, propterea quosdam tenuisse, resurrectionem a mortuis jam esse factam, quoniam Judæi eam sæpissimè cum adventu Messiæ conjungant, hinc eos, qui Jesum pro vero habuerunt Messiæ, existimasse, resurrectionem jam evenisse; item quòd legerint vel audiverint, ad mortem Christi quosdam resurrexisse, Matth. 27: 52. Quoad autem doctrinam illam negatam potest dici, si interim quis firmiter teneat animæ immortalitatem, judicium Divinum post hanc vitam &c. tùm fundamenta Religionis tollere dici non posse: quum motivis ad virtutem sectandam, vitium è contrà fugiendum locus ita relinquatur, etsi corpus vel maximè non reviviscere deberet; animâ siquidem per se & semper interea præmii pœnæque capaci (§. 88.); etiam Religio naturalis seu Ratio sola dogma id ignorat, & ubi aliquid de eo profert, divinationis locò habendum, quo de mox; firmiùs interea semper remunerationis pœnævæ post hanc vitam expectatio stat, si & corpus ad ductum Scripturæ S. ei subjiciendum, hinc resuscitandum teneatur.

Sch. 2.

Sch. 2. Possibilitatem internam, quod clare patet, habet articulus de resurrectione: dum planè nil contradictorium involvit, siquidem nil affirmatur de eodem & negatur, vid. laud. PFLUG §. 35-37.

Etiam V. D. §. 53. p. 107. possibilitatem illam in eo perspicit, quòd, cum corpora humana in subtilissimas solvantur particulas, & ex his alia corpora per materiæ mutationem oriantur, inde omnino æque hæcce corpora in particulas soluta iterum ex hisce particulis componi possint. Emblemata vel imagines resurrectionis in Natura occurrunt & hûc referuntur v. gr. semina in terram projecta, plantas progerminantia, 1. Cor. 15: 36-38, sic bombyces, pòstquàm emortui, reviviscunt, transformantur, & papiliones evolantes fiunt; plantæ in pulverem vel cinerem conversæ iterùm possunt in priori sua Forma repræsentari, pulvere vel cinere in Vasis vitreis hermeticè occlusis servatô, & his dein calori admotis; item aliis adhùc modis, seu ut alia cum plantis & quoad has facienda præscribantur, cujusmodi indicat, quibus talis plantarum palingenesia probetur [lectu digna & jucunda omnino] VALLEMONTIUS *Curiositez de la Nature & de l'Art, &c. Tom.* 1. *Chap.* 10. ubi Facta complura & experimenta Physicorum curiosè profert.

Ex hisce & aliis principiis cognitis forsan fluxerunt, quæ gentiles quoad resuscitationem è morte, hinc inde magis vel minùs obscurè, protulêre; pertinet hùc ZOBELII *exercit. academ. de mortuorum resurrectione à paganis adumbrata*, Altorfi 1734. ubi [ut præter. eamus ea, quæ §. 3. è Philosophia Barbarica de Persis, homines immortales futuros tenentibus, Indis, Ægyptiorum μετεμψυχώσει] §. 4. è græcanica plura affert: de Platone [Socratem introducente] Stoicis; Theopompo è Peripateticorum schola; §. 5. ex Mythologia hôc advocat *Elysium* seu *campos Elysios* & *Tartarum*; quum non solùm animam sed & corpus spectare rectè teneatur. §. 6. Illam per Deucalionem ac Pyrrham post diluvium generis humani factam restaurationem, ubi Deucalionis ossa in Mares, Pyrrhæ verò in fœminas conversa, conf. Ezech. 37: §. 7. quæ de ave phœnice narrantur, qualis totô Orbe unica post longissimam ætatem ex mortuis redeat in vitam, post eadem expleta spatia perpetuis circulis simili exitu re-

novanda; de qua, quomodocunque perire dicatur, sive vivicomburiô sive alias, omnes tamen consentiant, eam resuscitari ad vitam; ac Vet. Ecclesiæ Doctores ad mortuorum resurrectionem id retulisse. Avem hancce, seu opinionem de ejus reviviscentia, imitatô, exemplô propriô, Proteô illô seu Peregrinô seipsum comburente &c. §. 19. exempla etiam à Scriptoribus gentilibus commemorata eorum, qui à mortuis iterùm revixerint; è quibus, etsi vel maximè ficta sint, tamen id pateat, quòd gentiles resurrectionem possibilem crediderint &c. quod idem & quoad avem Phœnicem tenendum, quam BOCHARTUS *Hieroz. P. II. Lib. 6. Cap. 5.* fabulosam esse vult ac ostendit; interim itaque non refert.

Idem numerò corpus quid sibi velit.

1508. *Idem numerô* post resurrectionem dicitur corpus humanum, non quidem, cui omnes, quæ unquàm aut aliquando semel in hac vita illud constituebant, particulæ iterùm aggregentur, verùm aut cui nonisi primitivæ, quæ *stemma originale* aut *stamina originalia* dicuntur, remaneant, aut magis, quod iterùm habeat easdem particulas materiæ cohærentis constantis; maximè, si ex iis eôdem modô componatur, ac membra ût antea.

Sch. 1. Vid. Doctiss. PFLUG in laudatissimo Tract. cit. §. 46. lubet verò, quæ hinc inde suppeditat, mutuò desumere ac adducere; §. 61. tenet ac probat, materiam cohærentem constantem cujuslibet corporis humani jam cum initio Mundi adfuisse, variè dispersam ac aggregatam, plantis, animalibus, in aëre, aqua natantem. §. 62. omnes talis materiæ particulas cuilibet corpori jam ab initio Mundi destinatas fuisse, per Intellectum Divinum (§. 244.), qui rationem habuerit oporteat, cur huic corpori hæ nec verò aliæ aggregentur particulæ &c. alias perfectè similes aggregari non posse: cùm ejusmodi similia non dentur, §. 63. —— 69. conf. (*Met.* §. 586. seq.); corpus cujuslibet

juslibet hominis primò esse in semine, admodum subtile, subtilissimum hocce corpusculum paulatim dein augeri additione materiæ vel partium ad materiam constantem cujuslibet membri nec alius destinatarum; atque ita dum ab initio nonnisi primi Ductus ac lineamenta adsint [paulatim dein evolvenda ac extendenda] hæc tenuia filamenta magis magisque superinduci, supervestiri & corroborari, §. 73. 75. Hæc mox sequentibus intelligendis ac stabiliendis inservient.

Monendum adhùc, quòd etiam *idem* dicatur homo in senectute, qui fuit in juventute, etsi, ut existimatur, nullam amplius habeat corpori inhærentem materiæ particulam, quam habuit in juventute, [ob continuum particularum, aliarum effluvium, aliarum verò aggregationem] interim personalitatis conscientiâ remanente, ob eandem mentem; licèt, qui hominem eundem agnoscunt, hæc vel nesciant, vel non attendant.

Sch. 2. Hypothesin de stemmate originali Judæos non ignorasse, verùm reipsâ, licèt alia sub voce, ac parùm philosophicè loquentes agnovisse doctè ac ingeniosè conjicit CLARK *de la verité de la Rel. Chret.* &c. *Chap.* 17. p. 346. [qui aliàs ib. p. 344. 345. conf. de stamminibus illis] nempe dum tenent ac loquuntur de ossiculo quodam (לוז) [quod & תרווד vocare indicat locus è *Sohar*, quem SCHOETGENIUS ad 1. Cor. 15: 42. producit, vid. ad utramque vocem BUXTORFIUS *Lex. Talm.*] quod non putrescat, hypothesi illi, licèt sine distincta cognitione, se favere ostendunt; saltem id illorum effatum non eôdem cum reliquis locô, nec pro fabella judaica habendum est.

Aliquantum hùc accedens teneri, hinc occasione staminum illorum hîc memorari ac poni potest, Veterùm Philosophorum opinio, quòd anima post mortem corporis semper subtili quôdam corpusculô maneat vestita; Philosophi Platonici id tenebant, nimirùm etsi crassum corpus anima in morte deponat, attamen subtile quoddam retinere sibi constanter unitum, ex 4. elementis conflatum, tamen omnium maximè de aëre participans, hinc aëreum, animæ ὄχημα; eruditè hac de re CUDWORTHUS *Syst. intell. Cap.* 5. *Sect.* 3. §. 16. ubi præcipuè è PHILOPONO, ope talis

lis corpusculi adjuncti puniri posse hominem, explicari posse spectra &c. Cudworthi illi digressioni amplissimam ac judiciosissimam *de corporibus animorum juxta Veteres Philosophos Observationem* adjecit Vir Celeberr. & in talibus versatissimus, Rev. Abas MOSHEMIUS; ubi ante omnia (§. 1.) monet, dogma id noscere magni esse momenti ad intelligendos Veteres Philosophos primosque Christianorum Doctores; videre id natum è vulgaribus opinionibus, quæ, diu ante juniores Platonicos, inter gentes græcas ac Orientales viguerint; juniores scil. hosce Platonicos amasse Veterum Philosophorum scita retinere, Poëtarum ac populi opiniones iis accommodare.

Ideò portò monet (§. 2.), indagandum esse, quænam de hisce viguerint jam ante Platonem opiniones; vetustissimos Philosophos [ùt videatur] tenuisse, binas esse in homine animas, alteram vitæ animalis domicilium, seu sensuum ac cupiditatis, alteram Rationis & intelligentiæ: apud HOMERUM ejus haud obscura inveniri indicia *Iliad* A. v. 192. 193. ubi distinguat θυμὸν [qui esset anima sentiens] & φρένα [animam rationalem] νῶν etiam appellatam; sic & alibi. Animum Ratione præditum [ùt notat idem V. D. §. 3.] à Deo venire ipsis videbatur, esse cœlestis originis, ab æthere avulsum, immortalem tamen [sive indestructibilem tantùm intellexerint nec ne] quippe Antiqui non omnem materiam dissolutioni obnoxiam statuebant; porrò tenebant iidem, animam sentientem sanguine in corpore pasci.

Animus Ratione valens, seu mens Virorum fortium ac pro Patria pugnantium, juxta Poëtas [notante Virô laud. ib. §. 5.] statim post mortem corporis ad Deos avolabat; Philosophi dein prærogativam hancce non solùm Viris fortibus, verùm & piè ac juxta Philosophiam vitam instituentibus vindicarunt; quod dogma posteà ad ipsos transiit Christianos, qui verò in locum Virorum fortium ac philosophicè viventium Martyres, Confessores substituebant. Plato tenebat, solorum Philosophorum animas tùm, ubi ad Deum redeunt, vihiculô suô eximi; vehiculum nempe id non est nisi anima sentiens, εἴδωλον, *simulachrum*, *umbra* [ùt memoratum] (sch. 2. §. 818.) *imago*, *Manes*; inde Vir Cel. illustrari doctè tenet (§. 6.), quod Commentatoribus

mentatoribus non obſervatum, OVIDII locum *Faſt.* 3. v. 699. ſeq. ubi Veſta ſimulacra Cæſaris nuda ſe reliquiſſe dicit. Ex hac Veterum de duplici in homine anima [rationali nempe & ſentiente] combinari poſſe doctè perſpicit idem Vir Cel. §. 7. duas opiniones, quæ aliâs ſibi contrariæ videntur: ſcil. ubi tenebant, animam ſtatim poſt exceſſum è corpore cruciatibus ſubjici aut voluptati, alii è contra dicebant, aliud illam ingredi corpus, quod erat μετεμψύχωσις; nimirum conciliari ita & ſolidè: quòd anima rationalis alia ingrediatur corpora, ſentiens autem cruciatibus aut voluptati ſubjiciatur. Notamus adhùc, quòd de anima umbra corporis, in quo poſt mortem vitiorum maculæ compareant, è Platone EUSEBIUS *præp. Evang. Lib.* 12. *Cap.* 6. p. 578.

1509. *Idem numerò corpus reſurgere poteſt ac debet*, Job. 19: 26. 27. 1. Cor. 15: 53. 54. non ſolum enim ſtamina originalia manent, nec alii corpori uniri poſſunt; ſed & cujusvis corporis humani materia cohærens conſtans ad idem corpus, quod in hac vita conſtituebat, iterum perduci poteſt, inde & eôdem modò componi: quippe materia cohærens conſtans cujusvis corporis, quascunque aliâs ſubeat mutationes, ſemper actu permanet in terra, vim ſuam retinet, cuilibet corpori humano propria conſtanter manet, etiam in morte cum aliorum corporum materia conſtanti permutari nequit; hinc ſuo cuilibet corpori iterum adunari poteſt, inde eôdem modò componi ùt anteà in hac vita, unde idem exurgit corpus &c. quòd verò & NB. debeat idem numerò corpus reſurgere, jam intelligitur è dictis (§. 1504. 1505. & ſch. 2). *Ejus reſurrectio eſt poſſibilis ac requiritur.*

Sch. 1.

Sch. 1. Suppeditat hæcce sæpiùs jam laud. PFLUG §. 57. No. 6. ac & ea in anteced. probat, vid. propterea ipse ib., ac etiam §. 70. 80. E principiis positis Vir D. respondet ad objectiones, quæ contrà possibilitatem resurrectionis ejusdem corporis moveri solent, quas ut difficultates proponit §. 41. seq. ib. & (§. 41.) verbis Athenagoræ difficultatem proponit desumtam inde, quòd v. gr. hominum corpora devorentur à bestiis, ab hominibus, in aliorum adeò corporum carnem ac sanguinem convertantur; [scil. quod notat §. 47.] difficultatum harum fons est transmutatio materiæ, è qua corpus humanum componitur, dùm v. gr. in materiam vermium convertitur, vermes hi in materiam avium, aves in nutrimentum hominum &c. inde cùm & materia talis ac eadem diversorum hominum corporibus fuerit [successivè] juncta, seu partes aliorum ac aliorum corporum humanorum constituerit, cujusnam igitur erit in resurrectione? si inter omnes dividetur, omnia corpora comparebunt cum pauciori materia, quàm habere debent; si uni tantùm tribuetur, tum reliquis adimetur, quod in hac vita habuerunt &c. Difficultates augeri, quò magis partes dispergantur, aut plures subeant ac pertranseant mutationes, ubi partes materiæ junguntur corporibus hominum in regionibus dissitis viventium &c. §. 43. parem nasci difficultatem è transpiratione, §. 45. quippe è corporibus humanis continuò particulas per transpirationem avolare, misceri ac aggregari aliis corporibus, plantis quoque &c. quæ iterùm [ut modò dictum] aliorum hominum fiant nutrimentum, ut si particulæ inde ortæ aggregentur corporibus, ubi primò erant, prægrandia inde proditura, uti è contrà alia materiâ caritura. Interim ad hancce transpirationem reponit Vir D., eam non tangere materiam cohærentem constantem, seu hanc transpiratione non abire vel mutari, §. 57. item materiam variabilem corporis, quæ posteà per transpirationem ab eo sejungitur, in aliis corporibus tàm constantem quàm variabilem posse fieri, uti è contrà materiam constantem equidem variabilem alii cuidam corpori, nunquam autem constantem, fieri posse; unde corpori eidem semper maneat propria, quantumcunque etiam separetur, aliis corporibus uniatur, ut nec in morte commutetur

mutetur ita, ut aliis corporibus constans fiat; vid. quoque §. 70. ubi iterùm ponit ac probat, particulas materiæ constantis, etsi tòt aliis corporibus ab initio Mundi successivè unitas tamen nonnisi ei corpori posse constantes fieri, cui ùt tales destinatæ: cùm ad alia corpora relationem requisitam non habeant [ubi prius §. 69. probaverat, partes materiæ constantis corporum humanorum è sua determinata connexione non posse transponi] ut inde non solùm liqueat, resurrectionem habere possibilitatem naturalem, sed & modus possibilitatis pateat; Athenagoræ egregia verba prolixè apponit §. 58. Ad dubia inde ab aliis speciosè ac ingeniosè proposita & mota respondet V. D., CONNORI §. 60. BURNETII [qui ob difficultates memoratas spirituale debere esse corpus post resurrectionem voluit; vid. infra] (sch. 3. §. 1515.) §. 71. BERNOULLII [qui objectiones suas majori cum acumine & magis distinctè quàm cæteri, proposuerit] §. 79. Circa hujus objectamenta petita à continuo particularum corporis effluvio per transpirationem & additione novatum per nutritionem notat Vir laud. §. 78. ea non probare impossibilitatem resurrectionis ejusdem corporis: eò quòd semper falsò supponat, etiam materiæ constantis partes ita continuæ obnoxias esse mutationi; jam verò in anteced. §. 76. 77. ostenderat, quòd, ùti certus nonnisi numerus partium ad materiam constantem corporis humani sit destinatus, ita, ubi corpore magnitudinem suam adeptò, partes hæ ad corpus aliquod collectæ ac ordine suò positæ, cum aliis connexæ fuerint, nec pauciores evadant posteà unquàm per transpirationem, nec augeantur per chylum; etiam monet, Virum hunc D., contra quem disputat, supponere omnes partes corporis similis partibus materiæ, qualis aqua cum vino commixta [uti exemplum hoc attulit, & inde objectionem formavit] ubi sine discrimine novæ partes infundi possunt [aliis per vapores abeuntibus] prioribus similes; at malè: nec enim partes materiæ constantis ita abire posse & alias accedere &c. In genere ib. notat V. D., omnes difficultates quoad possibilitatem resurrectionis ejusdem corporis à transpiratione aut nutritione orientes ac motas procedere aut è confusa vel prorsus obscura notione de discrimine

materiæ

materiæ propriæ constantis & variabilis, aut & è malè intellectis locutionibus quibusdam, quibus Theologi usi in hacce materia: dicendo, idem numerô corpus resurrecturum: cùm voluerint nonnisi quoad substantiam idem [ùt alii locuti] vel partes substantiæ humanæ constantes, neutiquàm autem quoad omnes partes vagas &c.

Sch. 2. Ita ergô possibilitate resurrectionis ostensâ, ac quid sibi velit idem corpus, itidem memorandum est, quòd per cætera Dei attributa possibilis sit. seu hæc eam admittant, quin requirant; Sapientia Divina sanè illam admittit non solùm, verùm & postulat adhùc: cùm hæc intendat glorificationem Dei (§. 271.) [seu ut attributa Ipsius illustrentur] (§. 270.) ac & felicitatem hominis, per (§. 58. 76. 307.); jam an non summopere Sapientia Dei illustratur, ubi è cineribus ac partibus corporis humani dispersis, toties immutatis, iterùm machinam ùt anteà fistit? certè id dici non posset, ubi in putredine illas relinqueret; & an non felicitatem tribuit hominibus etiam quoad corpus? vid. modò cit. PFLUG §. 87. Potentiæ Dei non est indecora, non magis ac ubi è cinere vel materia cœnosa pulcherrimos quis produceret flores: nemo quippe artem ita exercere dedecorum dixerit, §. 88. amori ac bonitati Dei convenit corpus resuscitare: quum enim hæ Eum permoverint corpus primò formare, etiam permovere debent denuò formare vel egregiè reformare: nam quoniam tòt corpora vel brevem vel miseram vixerunt vitam, ut mediante resuscitatione Dei bonitate frui possit, conveniens est: eadem siquidem est ratio ac ea, quæ in anteced. (§. 1504. & sch. 1. 2. §. 1505.) à justitia Dei desumta, ib. §. 89. Athenagoræ dein verba iterum §. 90. apponit; inter alia quoque perspicaciter monentis, quòd homines nec verò bruta resuscitarentur, his injuriam fieri tamen nullam: quià in hac vita usibus humanis destinata, in Statu illo, ubi usibus hisce inservire ampliùs non poterunt, si non reviviscant, eô ipsô injuriam non pati dicendum sit &c.

Sch. 3. Notamus adhuc occasione resuscitationis ejusdem numerô corporis, in Symbolo Apostolico [quod monet

monet ac tenet eruditus Auctor *Hist. Symb. Apost. &c. cum observat. &c. Cap. 7. §. 38. 39.*] *carnis* non autem *corporis* vocem apponi, ut non solùm alicujus saltem corporis; sed hujus ipsius seu ejusdem innuatur; fuisse scil., qui corpus Divinâ omnipotentiâ formandum voluerint, tenue, subtile, aëreum, quod animæ sit induendum locô crassioris illius; ut his obviam irent Doctores orthodoxi, terminum *carnis* ùt magis idoneum adhibendum credidisse. Magnô ingeniô ac successu sententiam illam defendisse Bardesanæ ac Origenis discipulos, ex 1. Cor. 15: 38. 50. argumentantes &c. contrarios verò illi ùt heterodoxæ se ostendisse: Ruffinum, Gennadum Massil. & Epiphanium, hæc V. D. §. 40--42.

Operatio talis quam maximè est miraculosa.

1510. Perspicitur autem ex antea dictis, *resurrectionem magnum esse miraculum*: namque ut côrpus per mortem dissolutum iterùm reviviscat, ut particulæ tàm variè per putrefactionem, aggregationem ad corpora alius speciei immutatæ, longè latèque dispersæ iterum coëant eô situ ac dispositione, qualis ad Motum omnium membrorum non impeditum requiritur, ut artificiosa iterum exurgat machina, eadem quæ priùs, neutiquàm vel in essentia naturaque corporis & particularum illarum nec etiam in aliarum rerum externarum vi rationem suam habet; talis autem effectus est miraculum (*Met.* §. 632. 633.); minùs in rerum externarum ac corporis vi situm est, ut harmonia inter corpus id ac mentem pristinam iterùm restituatur: quum nec in animæ vi ac potestate situm sit corpori cuidam pro lubitu se unire, sed à solo Deo immediatè uniri debeat ac uniantur (*Met.* §. 768.); ut resurrectio duplex involvat miraculum, consequenter magnum sit.

Nempe etsi vel maximè quis corpusculum subtile, animæ post mortem [seu depositionem corporis crassi] semper unitum statueret (sch. 1. §. 1497.), [quod verò suô locô relinquimus, tamen ùt è plurimis terræ particulis, seu aliam quamcunque naturam, formam &c. induentibus, plures vicissitudines subeuntibus per multifariam aggregationem ad corpora alius naturæ, vermium, avium, plantarum &c. longè latèque dissitarum, iterùm prodeant & coëant ejusdem corporis, quod priùs fuit, partes variæ; ut è particulis pulvereis coagmentetur organum, aliis iterum minoribus organis, iisque subtilissimis, instructum, ut sensationes iterum locum habeant, omnia hinc repræsentationibus ac volitionibus animæ respondeant, & hæ vicissim mutationibus in organis sensoriis harmonicæ sint, sanè hæc omnia ita miraculosa sunt, ut inde resurrectionem ejusdem corporis quidam negaverint, vid. etiam PFLUG §. 40.

Etsi quoque & in naturalibus, physicis, diversa corporum dispositio, natura ac essentia nonnisi è diversa particularum subtilissimarum figura, situ &c. veniat, vid. *Phys. Tom.* 1. §. 24. tamen ut inde iterùm prodeat corpus organis sensuum præditum, vi sese movendi gaudens, fieri nequit: quippe & sponte nata seu generationes spontaneæ non dantur; ut si quod corpus organisatum seu animalculum prodeat, id fiat è semine, adeòque corpusculo jam præformato (ib. §. 439. 444.), Conf. DERHAM *Theol. Phys. Lib.* 4. *Cap.* 15. p. m. 348 -- 350.

Nonnisi à Deo ideò efficienda.

1511. Resuscitatio mortuorum itaque est Opus Dei immediatum, Sapientiæ ac potentiæ summæ, ùt à solo Deo Christoque effici possit.

Sch. 1. Intellectus Dei omnino par est resuscitandis iisdem corporibus, & mentibus pristinis uniendis, vid. hac de re egregia apud laud. sæpiùs PFLUG §. 82. unde & 83. deducit, eos, qui resuscitationem non posse effici existimant, angustas nimis de perfectionibus entis supremi habere notiones.

Sapientia Dei quod itidem par sit, idem V. D. egregie

giè §. 84. quippe omnes mutationes, quas particulæ quævis materiæ subeunt, item relationes ab Intellectu Ipsius repræsentantur, & sunt media ad fines electa &c. de potentia Dei quòd sufficiens sit: cùm omnia è nihilo produxerit, V. D. §. 85. Quæ omnia & deduci possent è suprà dictis Loc. III. item iis, quæ (*Met. Cap.* 6.) hinc inde.

Sch. 2. Operatio vel & medium, per quod Filius Dei Opus id miraculosum efficiet, vocatur *vox* Ipsius Joh. 5: 28. ac potiùs est nonnisi signum efficacissimæ Ipsius Voluntatis; describitur & nominibus declaratur à PAULO 1. Thess. 4: 16. quæ V. D. non eòdem modò capiunt; commodè autem cum EWALDO Vorbotten der Ewigkeit, p. 20. seq. ita sumi possunt, ut celeusma (das Feldgeschrey) indicet aëris commotionem, quæ aures eorum, qui tùm vivent, ita distinctè ferire debeat, ut excitentur ac commonefiant, Judicem Mundi totius (§. 1503. & sch. 4.) appropinquare; celeusmate hôcce probabiliter excitandô per satellites [de quibus pòst] angelos; desumtô autem terminô seu à militibus in prælio ad fortitudinem se animantibus, seu nautis, vel militibus navalibus, expergefacientibus invicem in procellis ad labores ac vigilantiam. Vox Archangeli innuat potentem Christi jussionem, quâ mortuos è sepulchris exire jubebit; tuba Dei mandatum, quô vivos ac mortuos coram tribunali suo apparere faciet; locutione desumtâ à consuetudine in Vet. Testam. populum per tubæ sonitum convocandi Num. 10: 2. seq. Ut locutiones hæ ita distinctæ fiant: dum prima sumatur, ut respiciat ac versetur circa vivos, secunda circa mortuos, tertia circa utrosque; ac prima etiam præcedat tempore, quam vox Archangeli sequatur &c.

Sch. 3. Tempus seu temporis spatium, intra quod Opus id peragetur, adeòque quantum temporis spatium requiratur & impendendum sit omnibus resuscitandis, num & mortui in tota terra simùl resuscitandi sint, an verò successivè, nunc in hacce regione, nunc in alia, item num quodlibet individuum in instanti ita ad statum eum reducendum sit, an verò successivè, temerarium esset, Scripturâ tacente, definire; nec etiam, ut sciatur, aliquô modô necesse, sufficit rem ipsam nosse.

Universalitas resurrectionis.

1512. *Resurgent* autem *omnes planè homines, tàm impii quàm pii*, Joh. 5:29. Act. 24:15. cùm enim resuscitatio corporis requiratur, quoniam justum est, ut corpus in conjunctione cum mente pristina inflictionem mali ferat, aut collationem boni accipiat (§. 1504.), nulla esset ratio, cur, si quidam resurgere debent, non & alii debeant, eædem pro universis sunt rationes.

Sch. 1. Universalitatem resurrectionis negant Judæi & Socin., de illis vid. præter HOORNBEKIUM *Lib.* 8. *Cap.* 4. in compendio SPANHEMIUS *elench. contr. cum Jud. controv.* 39. hùc facit, quod Clar. SCHOETGENIUS *hor.* ad Joh. 6:39. ubi ita » tenendum hoc est, quotiescunque apud Judæos antiquiores de *resurrectione mortuorum* sermo est, quam »illi תחיית המתים vocant, id semper de resurrectione beatorum ad vitam æternam intelligendum »esse, & hoc ipsum h. l. Christus vult » loca dein producit V. D.

De Socin. idem SPANHEMIUS *controv. cum Socin.* 70. scil. quidam nonnisi ita sentire dicuntur, unde Eques Polonus *Opp.* Cocceji *Tom.* 7. p. m. 170. »nos »verò cum Apostolo *spem habemus in Deo, resurrectionem fore mortuorum, justorum & injustorum;* justorum ad vitæ æternæ gaudia, injustorum ad ignis »æterni supplicia » ignis hic æternus scil. juxta Socin. non est nisi perennis animæ corporisque destructio, *mors æterna* ipsis etiam dicta (sch. 1. §. 837.).

Sch. 2. Neutiquàm autem admittenda est resurrectio piorum separatim ab ea impiorum: quippe utraque ut simùl futura conjungitur Joh. 5:28. 29. & complura loca, quæ de resurrectione mortuorum agunt, eam nonnisi diei novissimo alligant: vid. Joh. 11:24. 1. Cor. 15:51. 52. Sunt nimirùm, qui duplicem ex Apoc. 20:5. 6. 12. 13. resurrectionem statuunt, ut primò fideles [idque ante judicium universale]

sale] suscitentur, mille annos cum Christo regnaturi in terris [quo de infra] & pòst demùm resuscitandi sint impii. Ita sentiebant Patrum complures » & quidem vetustissimi [sunt verba DALLÆI *de pœnis* &c. *Lib.* 5. *Cap.* 7.] »Christum in terras iterùm ante judi»cium descensurum - - - fideles & quorum accurata »pietas fuit, è mortuis suscitaturum, ac unà cum iis »mille annos ante supremam Mundi diem Hierosoly»mis, in omni rerum copia, maximo cum splendore »regnaturum; eamque *primam resurrectionem* vocant, »alteram *universalem*, pòstquàm id temporis in terris »actum fuerit, tùm demùm consecuturam. Pa»piam Hierapolitanum. Virum Apostolicis tempori»bus proximum [quem IRENÆUS Johannis audito»rem, POLYCARPUS sodalem vocat] hujus opinio»nis auctorem fuisse EUSEBIUS prodidit &c. »

V. D. dein ibid. affert loca Justini Martyr., Irenæi, Tertulliani, Ambrosii, Lactantii, qui omnes eandem foverint sententiam; Tertullianô præcipuè exertè indicante, in prima illa resurrectione sanctos non simùl & semel universos resurrecturos, sed alios maturiùs, alios seriùs, pro meritorum ratione; ut qui sanctissimè vixerint, statim initiô millenarii resurrecturi sint, quorum sanctitas fuerit imperfectior, seriùs, tertiô vel quartô ejus Seculô, & sic porrò; ac per resurrectionis hancce moram quisque luiturus sit suam in sanctitate segnitiem. Notat quoque Vir eruditiss., opinionem eam fuisse unam è causis [tres scil. fuêre, ùt in seq. monet] cur in Vet. Ecclesia preces & oblationes pro mortuis introducerentur, quô nimirùm inde in fide mortui juvarentur, & piorum resurrectio ad delicias regni millenarii acceleraretur, vid. Vir Cel. *Cap.* 9.

De hisce, seu millennio illo, & locis, unde probare volunt hypotheseos Patroni, infra plura; hic quoad illam resurrectionem primam vel duplicem notasse sufficiat, tùm quòd BURNETIUS, qui præter alios complures ei favet, velit, quòd, uti Judæi ignoraverint duplicem Messiæ adventum, hinc multos eventus miscuerint, attribuendo diebus Messiæ eventus, qui secundo ejus adventui reservandi, v. g. resurrectionem à mortuis, novum cœlum &c. ita &

Christianos, ignorantes vel non attendentes duplicem resurrectionem, in diversa à se invicem abiisse ac in devia esse prolapsos, *de Stat. mort. & resurg. Cap.* 10. p. m. 195. idem etiam resurrectionem illam primam clare indigitari vult per eam Luc. 14: 14. memoratam justorum resurrectionem: quippe non dici omnium aut ultimam. Verùm uti id infirmum, etiam ob loquendi modum Judæorum (sch. 1.) memoratum, ita magis speciosè provocant ad Apoc. loc. modò cit. at JOHANNEM propriè intelligi non posse respondent Nostrates, ita Celeb. VITRINGA ἀναλε. *Apoc.* ad Cap. 20: 4. p. m. 861. 862. ubi ponit, sumendum illum esse [secundùm stylum Propheticum] de resurrectione Martyrum figurata & symbolica, quam resurrectioni propriè tali, de qua in fine Cap., contradistinguat &c. Advocemus autem & hùc, quæ Cl. SCHUBERT Schrifftmäß. Gedancken ꝛc. §. 61-63. nimirum, quoniam ea, quæ JOHANN. l. cit. de Regno illo, propriè sumi nequeunt, ideò nec resurrectionem propriè talem seu corporis indigitari; jam prius illud [seu quòd non innuatur regnum propriè tale] probari, quia id sit proprium styli Prophetarum, res futuras per emblemata ac allegorias proponere, conf. (sch. §. 186.), uti & JOHANNES in Apocalypsi Prophetam agat, ac hæc scateat imaginibus & locutionibus allegoricis, priora ac posteriora ita sumenda sint, inde ratio peculiaris alleganda esset, si non & hæc ita sumerentur; aliàs quoque Scriptura juxta proprium arbitrium explicaretur: quippe in eadem pericopa quædam [uti adoratio bestiæ, character ejus in fronte, ligatio Satanæ] impropriè semper sumuntur, unde non licèt regnum ibi propriè sumere; de hoc autem plura infrà, ad (sch. §. 1530.).

Jam ergò & resurrectionem impropriè talem [spiritualem; uti & alibi v. g. Eph. 5: 14.] intelligi debere: præsertim quum ij, qui participes primæ resurrectionis, vim mortis secundæ, id est, damnationis æternæ effugere dicantur v. 6. jam autem effugitur mediante vitâ spirituali &c. ut resuscitatio ad talem vitam indicetur, tantò magis, quòd si primogeniti fidelium resuscitandi sint ante reliquos, seu resurrectionem universalem, ut felicitatem anticipent ac gradum ejus majorem consequantur, inde & primogeniti impiorum ante

resuscitandi

resuscitandi essent [uti quoque è fautoribus hypotheseos illius assumunt] ut pœnam anticipent, ac pro demerito majori etiam magis evadant infelices; jam verò talis resurrectio prima quoad impios admitti nequit: eò quòd beati prædicentur, qui ejus participes l. cit.

Etiam quæ v. 4. quod revixerint ac regnarint, non sumenda esse de animabus ob testimonium de Jesu trucidatis, verùm de iis, qui eôdem v. memorentur thronis insedisse, & quibus judicium datum dicatur; ut non stringat, ubi objicitur, Martyribus non posse tribui resurrectionem spiritualem, eò quòd jam dudum in fide mortui &c.

Hùc & facit, quod Vir laud. bene notat §. 69. ex 1. Cor. 15: 51. seq. patere, die ultimô fore nonnisi homines aut mortuos aut vivos, non autem jam priùs resuscitatos; nec nisi ad ultimæ tubæ sonitum resurrecturos, conf. 1. Thess. 4: 16. 17. etiam tum demum ac incorruptibilitatem evehendos, uti è contra hypothesis millennii fert, homines jam ante diem extremum eam consecuturos fore: siquidem per totum millennium & pòst vivere vult.

Sch. 3. Locus specialis ac proprius, unde & in quo quilibet resuscitandus, erit proprium cujusque sepulchrum, ùt & satis indicatur Joh. 5: 28. 29. nisi nempe corporis partes inde ablatæ fuerint, aut [prout cum pleraque hominum parte contigerit] putrefactæ in materiam terrestrem, hinc nutrimentum plantarum, iterum inde in alimentùm animalium, hominum, conversæ, ac undecunque rursus colligendæ &c.

Judæorum autem commentitia ac ridicula est opinio, corpora Israëlitarum, extra terram Canaan demortuorum ac sepultorum, per devolutionem subterraneam, dictam הגלגול המתים, dolorosam, eôdem redire debere: quum nonnisi in ea regione resurrectionem quoad Israëlitas fore teneant &c.

1513. *Reviviscent* autem *pii ob meritum ac resurrectionem Christi, non autem impii:* quum enim corpora

Causa meritoria resurrectionis piorum.

piorum reviviscere debeant, ut mentibus unitate felicitate fruantur (§. 1504.), felicitas verò hæcce ipsis parta sit à Christo, obedientiâ pro iis præstita (§. 954. 955. 1144.), quâ omnia, quæ egit vel subiit, pro illis vel in illorum bonum egit ac subiit, & inde meritum comparavit (§. 958.); oportet etiam medium ad hancce felicitatem quoad corpus, seu hujus resuscitatio Christi obedientiæ ac merito debeatur; & cùm meritum ac redemtio Ipsius omninò perfecta sit (§. 951. 959.), ut inde corpora quoque redemerit 1. Cor. 6: 19. 20. hæc ideò vi meriti Christi vivificari debent; unde Hujus propria vivificatio & hâc ratione fidelibus in bonum cedet Eph. 2: 5. 6. impiis verò cum Christus planè nil sit meritus (§. 960.), & ipsorum resurrectio non habeat rationem boni: per (§. 1504.), non potest virtute meriti Christi illis obtingere: quum ex hoc nonnisi bona proveniant.

Etsi itaque locus Eph. 2: 5. 6. ut & parallelus Col. 3: 1. spiritualem resuscitationem [seu è morte spirituali] (§. 780.) innuant, tamen simul stare potest resurrectionis Christi in fideles redundantia ob rationes memoratas, quod & aliquatenus innuitur, dum Christus primitiæ dicitur 1. Cor. 15: 20. Quoad ordines verò resurgentium, de quibus PAULUS ibid. v. 23. hic memorare juvat, quod SCHOETGENIUS ad eum locum, scil. Apostolum tres facere resurgentium ordines, 1. ἀπαρχὴν Christum; 2. illos, qui ad Eum pertinent, & qui ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ, seu quum Christus in carne manifestaretur, resurrexêre [quippe, cùm τέλος post παρουσίαν ponatur ac ab hac distinguatur, aliter sumi non posse] scil. Sancti illi, qui Christô de cruce pendente è sepulchris exière; & quos plerique Patres cum Christo cœlum ingressos nec verò amplius mortuos fuisse voluerint; 3. τὸ τέλος, totum agmen:

agmen: siquidem τέλος inter alia quandoque etiam notet speciem tagmatis seu exercitûs militaris; licèt & benè admitti possit significatio vulgaris, ut τέλος notaret finem hujus Universi, seu Oeconomiæ regni gratiæ.

1514. *Resuscitabuntur* etiam *corpora ita, ut destructioni corruptionive non ampliùs futura sint obnoxia*, 1. Cor. 15: 42. 44. 50. 54. cùm enim justitia Divina requirat resuscitationem corporis, per dicta (§. 1504.), oportet, si se ostendere velit per irrogationem præmii pœnæque seu immissionem in Statum aut felicem aut infelicem, corpus perduret semper: siquidem & utrumque statum Deus perennem promisit comminatusque est (§. 728. 729.); quoad fideles etiam quià imputatio peccati omnis erit ablata (§. 1144.), propterà & consequens seu pœna adeòque dissolutio corporis post resurrectionem denuò superventura locum non habebit. *Mutatio corporum per resurrectionem.*

Quoad impios scil. autem etsi peccati imputatio neutiquàm sit ablata, tamen corpus destructionem aut dissolutionem ampliùs subire vel ob id ipsum non debebit, ut imputatio actualis locum habere ac perdurare possit; licèt enim præservatio à dissolutione in se diceret perfectionem, tamen quia nonnisi eum in finem locum habere debet, ut major imperfectio, perennis corporis κακεξία incumbat, quæ pejor dissolutione, hæc neutiquàm ullam involvit perfectionem; vid. exemplum in divite epulone Luc. 16: 23. seq.

De locutione σὰρξ καὶ αἷμα 1. Cor. 15: 50. jam dictum supra (sch. §. 1387.), quod hùc ut generale itidem quadrat; notat autem ad h. l. ibid. laud. eruditiss. SCHÖTGENIUS, quòd indigitet Naturam hominis corruptam, & locutio בשר ודם apud Judæorum Scriptores singulis fere paginis occurrat.

Idem Vir Cel. & ostendit ad 1. Cor. 15: 42. 44. Veteres Rabbinos eôdem ferè modô uti PAULUM de glorificatione futura corporis post resurrectionem loqui.

Addimus adhuc, quod Auctor *Histor. Symb. Apost.* &c. monet ac notat *Cap.* 7. §. 48. nimirum, licèt idem corpus resurrectionem voluerint Orthodoxi ac alii, qui Symbolo verba inseri voluêre [quo de] (sch. 3. §. 1509.) tamen alios omninò corporis resuscitandi modos & qualitates fore statuisse, corpus quasi spirituale, cibô potuque non indigens.

Quoad pios. 1515. *Corpora piorum*, ideò, *ubi resuscitabuntur*, *morbis*, *infirmitatibus &c. non ampliùs erunt obnoxia*, Phil. 3: 21. quippe aliàs perfectio, felicitas, præmium, locum non satis haberent, nec omnis peccati imputatio abesset; tùnc etiam non ampliùs talia mala ùt medicina peccati ac præservatio à majori malo requirentur: quum peccatum omne abolendum sit ac abolitum fuerit corpore peccati destructô, vid. (§. 1498.).

Sch. 1. De peccati omnis tùne absentia in seq. Defectus hinc corporis labesque, uti cæcitas, surditas &c. aberunt omninò pòst resurrectionem, seu corpora piorum resuscitabuntur omnis labis expertia, Monstra integritati restituentur. De impiorum autem corporibus, quæ labe ac defectibus in hac vita laborarunt, num resuscitatione ab iis liberanda sint, Scripturâ tacente, pro certo sine temeritate nec affirmari nec negari potest aut debet, curiosa magis quàm utilis aut necessaria esset hæcce quæstio; saltem defectibus si adhuc laboratura sint, non tamen id maximam infelicitatis partem constituet, verùm pœna &c.

Sch. 2. Quærunt interim & quoad statueram ac ætatem resurgentium, ubi lubet commemorare, quæ ea de re OPITIUS *Disp. Theol. de Statura & ætat. resurg.* Kiloni 1731. ib. §. 1. monet quintuplicem ea de quæstione esse sententiam, quosdam tenere, eà Staturâ resurrecturos homines, in qua Protoplasti creati; alios, quòd

quòd omnes ex æquo sint resurrecturi Staturâ, ad quam Natura ἐν ἀκμῇ corpora soleat perducere: alios (§. 2.) unumquemque resurrecturum Formâ, quam habiturus fuisset in ætate juvenili, ita Augustinum & ante ipsum Hieronymum; nonnullos statuisse (§. 3.), omnes fideles resuscitandos fore Staturâ corporis Christi, adducentes loca: Rom. 8: 29. Eph. 4: 13. Phil. 3: 21. tandem & (§. 4.) aliquos resurgentibus assignare Staturam, quam habuerint, ubi demortui, exceptis tamen omnibus deformitatibus ac imperfectionibus; §. 6 -- 9. ostendit V. D. locum Eph. 4: 13. hùc planè non pertinere: cùm non tàm de perfectione quantitatis, Staturæ scil., quàm qualitatis, agnitione mysteriorum, loquatur: §. 10. ostendit, Rom. 8: 29. innui non συμμορφίαν juxta quantitatem corporis vel Staturam, sed societatem afflictionum ac participationis gloriæ; uti & Phil. 3: 21. dicatur, quod Christus συμμορφίαν corpori nostro inducturus sit ratione qualitatis, ut expers fiat infirmitatum &c. Hancce dein §. 12. Auctor stabilit sententiam: quemque eâ Staturâ ac ætate resurrecturum, in qua decessit, demtis imperfectionibus ac infirmitatibus, si non in omnibus, qui resurgent, saltem in piis; probat id ex Ap. 20: 12. huncce enim locum agere de resurrectione à mortuis, item per μεγάλους καὶ μικρούς indigitari magnos & parvos physicè non autem moraliter tales; ita §. 13 -- 16. gigantes quoque haud dubiè eâdem Staturâ suâ resurrecturos (§. 18.): cùm monstris accensendi non sint; sic & (§. 19.) nanos ac pumiliones: cùm ob parvitatem tamen non sint Monstra; infantes etiam ac pueros (§. 21.) eâdem Staturâ [vi Dicti Ap. 20: 12.] cùm perfectioni ipsorum nil propterea sit defuturum, & varietas corporum glorificatorum eò majorem coetui beatorum allatura sit venustatem.

Embryones ac abortivos fœtus, ubi animati fuerint, etiam ut tales resurrecturos, §. 22. senes itidem quâ Senes & in senio resuscitatos iri; quùm senectus in se non sit imperfectio, §. 23. Quoad Monstra distinguendum esse inter ea, quæ speciem non servant humanam semi-animalia, membris brutorum deformata &c. talia resurrectura non esse, ea verò, quæ speciem humanam servant, si fuerint homines pii, absque defectu suscitanda fore, §. 24 -- 26. de impiis

judicium

judicium suspendit Vir laud. §. 30. Ad discrimen Sexûs quod attinet, omninò id adhùc tùnc locum habiturum, seu quemlibet hominem juxta eum sexum & in illo, in quo priùs fuit in hac vita, resurrecturum esse: siquidem sexus sequior neutiquàm ad imperfectionem pertineat, & CHRISTUS Matth. 22: 30. dicens: vitæ futuræ socios non ducturos in matrimonium, præsupposuisse ita sexûs discrimen; interim discrimen id neutiquàm eam ob rationem, ob quam in hac vita, perduraturum, §. 31 -- 33.

Sch. 3. E priùs dictis dijudicari etiam aliquâtenus possunt, quæ TH. BÜRNETIUS de corporibus resurgentium statuit *P.* 1. *Cap.* 8. *de Statu mort. & resurg.* & quæ Viris D. se non probant; hìc saltem ad sententiam ejus noscendam memorabimus: esse autem inquit quæstionem vel de materia vel de forma corporum resurgentium; quoad hanc: corpora non ampliùs opùs habitura eibô, cùm venter non ampliùs sit futurus, 1. Cor. 6: 13. etiam 1. Cor. 15: 50. indicari, carnem ac sanguinem non ampliùs futurum; quod non sumendum sensu improprio ac morali; cœlestia nostra corpora ideò nec carnem nec sanguinem nec aliquid ex his formatum habitura: quum 2. Cor. 5: 1. per ἀχειροποίητον indigitetur, quod non terrestre; & Luc. 20: 36. clarè indigitetur indestructibilitas corporum ac natura angelica; angelis scil. non posse non corpora tribui &c. Quoad formam jam corporum cœlitum ex 1. Cor. 15: 43. fore corpus cœleste, id est, materiæ puræ, aëreæ, materiæ cœlorum simile, spirituale, notans, quod modò dictum; vim etiam corpori resuscitando tribui l. cit., id est agilitatem ad Motum; dici corpora glorioſa, ut & aliis locis, ita ut splendida, radiantia sint futura, corpori Christi conformia &c.

Quoad eos, qui vivi erunt superstites.

1516. Cùm verò tùm, ubi Christus ad judicium advenerit mortuos resuscitaturus, plurimi adhùc in vivis futuri sint, nunquàm in mortis potestatem redacti, *hi tùm viventes virtute Christi*

Christi efficaci eandem in corporibus suis recipient mutationem, quam resuscitati (§. 1514. 1515.), quæ corporum in melius mutatio, seu ubi ad perfectionem eam perducuntur, audit *transmutatio*, 1. Cor. 15: 51. 52.

Transmutatio hæcce scil. dicit novarum adeò qualitatum [de quibus] (§. 1514. 1515.) inductionem; agit de illa etiam EWALD Vorbotten der Ewigkeit, 4te Betrach. ubi vid. p. 191. seq. Rapientur superstites in terra cum demortuis in Domino in occursum Christo in nubibus 1. Thess. 4: 17. ad impios autem quod spectat, pertinent ad eos, quæ habentur (sch. §. 1514. sch. 1. §. 1515.).

1517. Mortuorum à Christo resuscitatorum (§. 1511.) *Ipse Hic in judicio illo universali* (§. 1503.) *erit Judex* Actor. 17: 31. 2. Tim. 4: 1. oportet enim aut Legislator ipse, aut is, cui ipse potestatem confert, sit judex; jam verò Filius Dei est ipse Legislator quâ Naturam Divinam (§. 76. 349. 1383.), & qua humanam constitutus est judex, seu potestatem hancce à Patre accepit, Joh. 5: 22. 27. *Christus erit Judex.*

Qui ergò in judicio particulari fuit intercessor quorundam (§. 1501.), in hocce judicio universorum erit dein judex. Omnibus autem eum boni consummatique judicis requisitis gaudere, & quidem summo gradu, mox & per se patet: cognitione causæ ob omniscientiam (§. 342.); justitiâ (346.), unde à prosopolepsia omni procùl remotus, uti & ob independentiam (§. 340.), ut conniventiæ ulli locus non relinquatur; potentiâ (§. 345.), hinc viribus plusquàm pollens ad judicatos mox subigendos &c. Lubet, quæ hùc inserviunt, commemorare è SHERLOCKIO *du jugem dernier*, P. 3. ubi de J. Christo judice; notat ibi Vir præstantiss., ut Jesus Salvator sit simùl judex, quàm maximè esse conveniens, eò quòd

quòd judicium etiam pertineat ad salvationem, seu salutis applicationem, & judicium id auctoritatem conciliet legibus ejus, promissis ac minis; honorem hunc Ipsi etiam deberi ob passiones Ejus, & ut ità crucis humilitas ac ignominia auferatur. Porro judicem visibilem requiri ob convenientiam, quià pompa judicii visibilis debeat esse; observationes & cogitata exclamatoria practicà egregia dein subjungit V. D. p. 247 -- 249. Hujus rei Deum testimonium dedisse per resuscitationem Christi [Judicis] à mortuis Actor. 17: 31. per hancce resurrectionem scil. probatam fuisse veritatem doctrinæ à Christo annunciatæ, hinc & judicii futuri; item introductum fuisse in regnum suum [sessione ad dextram Dei] (sch. 1. §. 908.), quacum judicium ultimum sit connexum, vid. V. D. p. 250. seq.

Modus adventus ejus. 1518. Quià autem judex Christus dignitate ac authoritate omnes longè præcedit homines, per (§. 348. seq.), ac ideò convenit, ut cum certis Insignibus dignitatem Majestatemque Ipsius indicantibus compareat, propterea *Filius Dei ad judicium ultimum adveniens comparebit Insignibus Majestatis Ipsius judicialis magnificentissimè resplendescens*: adventabit enim nubibus insidens ac iis ùt curru magnificò vectus, stipatus comitatu angelorum innumerorum ùt satellitum, omnibus videndus, Matth. 25: 31. Apoc. 1: 7.

Sch. 1. Hùc faciunt, quæ SHERLOCK in libro pietatem ac doctrinam spirante, jam sæpiùs laud. P. IV. ubi de modo ac circumstantiis apparitionis Christi & terribili judicii solennitate; cum gloria sua compariturum Christum, id est, cum gloria Dei incarnati, corpore glorificato, cum gloria Patris, id ist, judicis universalis &c. vid. V. D. ib. p. 255. seq.

Posset hìc commemorari, num de hocce Christi adventu agat Matth. Cap. 24: sunt nimirùm, qui nonnisi de Hierosolymorum vastatione agi volunt, contra

hosce

hoſce TH. BÜRNETIUS *de Stat. mort. & reſurg. Cap. 6.* eò quòd in vaſtatione illa locum non inveniant angeli, alia etiam non contigerint, quæ memorantur, uti v. 14. 29. porrò Luc. 21: 25. 26. per totam terram male intelligatur regio nonniſi Judæorum, v. inſuper 24. Hieroſolymorum everſionem non admittat: cùm, quæ hôc v. memorantur, everſionem eam demùm ſecuta ſint, malè tandem confugiatur ad modum loquendi Propheticum, figuratum: ſiquidem hic in N. Teſt. non adeò ſit ſolennis &c. quum verò vaſtatio dicta typus fuerit ultimorum, non eſſe mirum, rem utramque conjungi; etſi & dies ille, quem nemo hominum norit Matth. 24: 36. multò longiùs abſit quàm vaſtatio urbis.

Quòd ſi & loca ejus Cap. comparentur cum aliis Scripturæ dictis, inveniri, de ultimis agi: ſiquidem ubique Chriſtus annuncietur ac præfiguretur ut veniens in nubibus, angelis comitatus, ad tubæ ſonitum; textus 2. Theſſ. 1: 7. 8. & præcipuè 2. Petr. 3: 4. 10. Jud. v. 14. 15, apertiſſima eſſe de ultimo Chriſti adventu teſtimonia &c. Interpretes verò, qui impropriè talia ſumunt, ac ita à litera Scripturæ recedunt, peſſimè conſulere Religioni.

Seh. 2. Dicamus hîc de ſignis adventûs Chriſti, tùm præcedaneis, tùm ſimùltaneis; de prioribus varii & variè: quum conjecturæ ſint, & loca Scripturæ variè ſumantur; de iis præter alios BUDDEUS *Theol. dogm.* p. 671. ſeq. EWALDUS **Vorboten der Ewigkeit, 6te Betrachtung** p. 320. ſeq. ponit 1. caſum Antichriſti; 2. converſionem Judæorum; 3. converſionem gentilium; 4. pacem profundam ac magnam Eccleſiæ felicitatem; 5. inſequentem magnam ſecuritatem; 6. prælium cum Gogo & Magogo, id eſt, cum populis Oriental., Scythis &c. quæ cum gentilibus nondum converſæ, & poſt deſtructum Antichriſtianiſmum adhùc Eccleſiæ adverſarii erunt maximè formidabiles, uti & Cel. VITRINGA in Apoc. 20: 8.

De ſignis ſimultaneis Matth. 24: 29. 30. Luc. 21: 25. 26. lubet autem adſcribere quædam BÜRNETII verba è *Lib. 3. Theor. &c. Cap.* 12. ubi adventûs Chriſti &c. magnifica deſcriptio; ſic autem p. m. 235. 236. »Chriſtus ipſe fore ſignificavit ſui adventûs ——— »fatidica præludia ——— ſingulas regiones Univerſi

»atque

» atque maxima corpora Mundi aſpectabilis pati debe-
» re mutationem aliquam ante illum diem —— fre-
» miturum magnum Mare ; terra tremet , & trajicien-
» tur hùc illùc multa fulgura in caliginoſo aëre ——
» ſi te medium ſiſtas in hac ſcena tragica , & cir-
» cumſpicias undique , quàm lugubria , quàm funeſta
» ſunt omnia ! præterquàm quòd langueant Mundi
» luminaria , veluti moribunda ; vides in cœlo va-
» gari peregrinas ſtellas , *crinitas* aut *caudatas* , malè
» conſcias futuræ cladis & quaſi tædas ferentes in
» Mundi funere ; dein in infimo aëre mille Formas
» igneas , & quandoque totum ætheris expanſum in-
» ſtar cœli empyrei inflammatum. In terra
» ſqualent omnia ſiccitate & calore , areſcunt fluvii ,
» fumant montium vertices , dehiſcit Solum , atque
» omnis regio olet ſulphur & ignem ; & quoad Ma-
» re , hoc dudum deſeruerunt naturæ , ſtagnum pu-
» tidum , ſine motu , multis etiam in locis flammi-
» vomum , ut à quo maximè cohiberi potuiſſe incen-
» dium ſperaſſes , id ei opem laturum eſſe ſentias.

» Denique quid agit populus inter hæc portenta ?
» reſpondet Propheta Luc. 21: 26. *in diebus illis exa-*
» *nimabuntur homines* ——— vagantur hùc illùc ,
» umbrarum inſtar , pallidi , triſtes , anxii.

» Qualis glorioſus ille adventus Domini ! appro-
» perat , inſtar , appropinquat terris Chriſtus cum cœ-
» leſti exercitu , & jam diſſipatis fulgore tantò tene-
» bris & caligine inferioris aëris , in aperto & proxi-
» mo caſtra ponunt ; ad aſpectum Dei contremiſcit
» tellus , dilabuntur montes , turbatur Oceanus , &
» tota Natura ſublunaris ſuæ vanitatis & corruptionis
» conſcia , ſibi malè metuit , fugitque ab appropin-
» quante Numine ; quid mihi tecum Domine , quem
» vix *capiunt omnes cœli* , quid Tu deſcendis ad *ſca-*
» *bellum pedum tuorum ?* ——— Fac jam adſtare in
» propatulo & in vicina telluris angelorum myriades
» myriadum , & diſpoſitos cœlitum Ordines per to-
» tum æthera , Chriſtumque inter omnes eminere , ut
» Solem inter ſidera , quicquam putas mortale immo-
» tum ferre poſſe tantam gloriam ? &c.

1519. Perspicitur inde satis, *quòd rectè & cur adventus hicce Filii Dei constituatur pro gradu Statûs exaltationis Ipsius summo* (§. 909.) : ad Statum huncce namque pertinent omnia, per quæ Naturæ Ipsius humanæ splendor conciliatur, nec non, per quæ Divinitatis Ipsius radii emicant, jam verò utrumque id quàm maximè fit per judicium hocce universale. *Qui Statûs Ipsius exaltationis consummatio.*

Sch. 1. Splendor ac Majestas hujus actus judicandi tantus est, ut ejus magnitudo attentè considerantem percellat : quid enim ! judicare omnes omninò homines, qui unquàm vixerunt, potentissimos Reges, Monarchas, imperculsos, invictos Heroës &c. judicare eos ùt ipse Legislator, nec potestate solùm delegatâ, judicare ipsos, sententiam pronunciando, quâ absolutè [sine provocatione ad aliud tribunal] vel standum vel cadendum, quæ decidat de felici aut infelici statu pro semper, ad quam adeò ùt & ad judicem pronunciantem contremiscant &c. an non hoc maximum, augustissimum est ? & si quibus aliis adhùc terminis exprimi posset ! ut nil dicatur de signis illis comitantibus, percellentibus &c. (sch. 2. §. 1518.).

Sch. 2. Monere hìc occasio fert, quæ quoad adventum huncce Filii Dei cum angelorum myriadibus JUDAS Epist. v. 14. 15. seu quòd & quomodo Enochus jam eum prædicasse dicatur ; in q. l. conferre ac adducere non pigebit SURENHUSIUM : is in fine libri sui (βιβλ. καταλλ.) p. 709--712; ante omnia notat, Enochum vocari septimum ἀπὸ Ἀδὰμ, quod idem sit, ac si dixisset : ἐξ ἀδὰμ, Hebræos enim Doctores solitos fuisse, eum, qui Pater & Caput generationis est, includere sub numero deficiente [ùt ostenderat Vir eruditiss. *Lib.* 4. seu *de modis explicandi genealog.* &c. *Thes.* 32.] idque JUDAM majoris efficaciæ causâ memorasse, ut procaces Judæi [immixti iis, ad quos scripserat] audirent septimum jam ab Adamo ante-diluvianos ob eadem increpasse vitia ; etenim veteres Hebræorum Theologos Enochum vocare septimum ab

Adamo, numerare quoque illum [Enochum] inter Prophetas, qui viderit per Spirit. S. (רוח הקדש) & Prophetiam suam communicarit cum Methuſalemo, hic cum Lamecho &c. licèt non fuerit Propheta per שליחות *missionem* [seu missus à Deo] sed per שכינה Divinam præsentiam; quæ ipsi parvam inspiraverit quandam Prophetiam; *Jalkut* RUBENI ex *Galè Razaiah.* Jam licèt Prophetia Enochi nulla extet apud MOSEN; tamen per traditionem ipsi attribui à veteribus Hebræorum Doctoribus; quam in rem Vir Cel. adducit MENACHEMUM ex antiquo libro mystico de Enocho tradentem, quòd Deus S. B. abstulerit eum à generatione perversa, ut testaretur contra eam in cœlo &c. simùl ibi commemoratur sententia Sapientum, quòd Deus in Mundo futuro justis facturus sit alas, id est, quòd animæ accepturæ sint indumentum angelicum cum figura corporea, atque ita corpora justorum nunquàm interitura, postquàm corporea principia interierint, conf. 1. Cor. 15: 44. Etiam, inquit Vir laud., in memorato *Jalkut* RUBENI haberi, quòd Enochus antediluvianos monuerit, ut à peccato desisterent, Adami lapsum restituerent, atque literas, quæ ex Sanctissimo nomine *Jehovah* propter peccatum veluti exciderant, vitæ sanctimoniâ iterùm restituerent &c. argumentum Prophetiæ Enochi à JUDA expressum verbis: ἰδοὺ ἦλθε κύριος ἐν μυριάσιν ἁγίαις αὐτοῦ: eòdem ferè modò exprimi à Doctore MENACHEMO ex *Midrasch Ruth* in Gen. 5: 24: item occurrere hancce phrasin apud MOSEN Deut. 33: 2. ubi RASCHI notet, per simplicem vocem קדש intelligendos esse angelos S.; etiam phrasin eam imitari PAULUM 1. Thess. 3: 13.

MENACHEMUM de eventu lapidis, quem ædificatores reprobaverint, ubi nomen יהוה inscriptum, eòdem ferè modò ac sensu loqui, quòd scil. à Deo S. B. constitutus sit ad portam palatii exteriùs, ut judicium ferat contra unamquamque familiam, superiorem [angelos, qui non perstiterunt] & inferiorem [genus humanum]. E quibus ita ad finem libri V. D. » & sic abunde constat, non solùm ex » JUDA, verùm etiam ex priscis Hebræorum Doctoribus,

» ribus, quòd Enoch hominibus antediluvianis prædixe-
» rit, fore, ut Dominus veniat cum myriadibus ange-
» lorum, ut judicium ferat adversùs impios; & illum
» Dominum esse lapidem istum angularem.

1520. Cùm omnes, qui vixerunt, fuerint vel fideles, pii, secundùm voluntatem Dei ac Christi, quâtenus cognoverunt, vitam instituentes, vel infideles, impii, & hinc diversâ tractari debeant ratione, *oportet* quoque *signô quôdam manifestetur, pios impiosque diversimodè tractandos esse, nec ad eandem pertinere Classem*; signum externum id tùm manifestum faciens appellatur *separatio hædorum ab ovibus*, Matth. 25: 32. 33. *Pii ab impiis quomodo separandi.*

Sch. 1. Locutione desumtâ à Pastoribus, qui è gregè animalia quædam separant, quæ aut non eò pertinent, aut alias ob rationes nolunt unâ esse; vid. aliàs locutiones de ovibus, quæ hùc referri possunt ac adducuntur, Lev. 27: 32. Ezech. 34: 17. hædi sunt symbolum hominum malignorum, oves è contrà bonorum, ob mansuetudinem, patientiam &c. uti de hac ovium virtute BOCHARTUS *Hieroz. P. I. L. 2. C. 46.* p. m. 520. 521. & de hircis, symbolo dæmonum apud antiquos [unde in hebr. idem nomen] item Satyrorum, id. V. Cel. *Cap.* 52. p. 641 -- 644.
Ad dextram statuendæ dicuntur oves, ad sinistram verò hirci, Matth. 25: 33. per dextram nimirùm Hebræi solent indigitare bona ac felicia, per sinistram verò mala ac infausta, ùt notat SCHOETGENIUS in loc. citat.

Sch. 2. Etiam jam hæcce separatio erit actus omninò magnificus, solennis augustusque: siquidem qui in hac vita primas tenuerunt, omnes sibi obsequentes habuerunt, jam retrocedere cogentur; & qui cum aliis noluerunt rem habere, ob contemtum erga eos &c. aut quia hi noluerunt exemplum eorum sequi, jam etiam magno sibi terrori ac luctui ab iis se separari

videbunt, cum quibus nunc tantopere optarent unà esse. Separatio hæc videtur instituenda per angelos satellites; vid. autem de ea EWALD **Vorbotten der Ewigkeit, 7de Betracht.**

Num verò omnes, qui in terris vixerunt, homines simùl ita à se invicem separandi sint, an verò unius nonnisi loci regionisve homines ibidem suscitati, Scriptura non declarat; dependeret hujus quæstionis elucidatio ab ea, num eôdem ac unicô die omnes homines in terra sint judicandi, & omnes congregandi.

Supervacaneum interim est, ejusmodi quærere: quum res nihilominus ipsa in se maneat.

Manifestatio actionum in judicio universali.

1521. Quià autem, ubi judicium instituitur, ut vel de pœna irroganda vel præmio conferendo dispiciatur, actiones seu facta & non-facta, propter quæ alterutrum illud demùm jure fieri potest, priùs manifestari debent; ob Judicis omniscientiam autem (§. 342.) tali manifestatione opûs non est, prætereà & jam in judicio particulari causa cujusque discussa ac sententia super eo pronunciata erit (§. 1499. & sch. 2. ib.), *in judicio ultimo actiones manifestabuntur nonnisi respectu aliorum*, Matth. 25: 35. seq. ac *judicium universale erit declaratio coram omnibus & confirmatio judicii particularis.*

Sch. 1. Etiam quodammodo respectu judicandi ipsius confirmatio ea locum habebit: dum repetetur confirmabiturque sententia judicii particularis, in plerosque diu anteà lata. E dictis etiam perspicitur, quomodo intelligendum sit, ubi Deus dicitur in apricum producturus secreta cordium, 1. Cor. 4: 5.

Notandum adhùc, quòd, uti in humanis malefacta in apricum producta scripto consignantur, seu à judice seu ab alio, etiam ubi sententia de pœna capitali nondum fertur; unde post casu emergente testimonium petitur; ita & in Scriptura mentio fiat de libris, qui aperti,

aperti, Dan. 7: 10. Apoc. 20: 12. seu omniscientiæ Divinæ, seu causæ in judicio particulari discussæ, analogicè, uti & multis aliis, ad judicium humanum; & quæ spectant *Processum judicii.*

Sch. 2. Atque ex hisce sat liquet contra eos, qui judicium particulare non satis admittunt (sch. 1. §. 1500.), utrumque judicium simùl stare posse ac debere, habere utrumque suas rationes, ut neutrum superfluum sit.

Quod autem porro objicitur [uti à SHERLOCKIO *du jugem. dern. P.* 2. p. 167. quosdam adhùc ultimô judiciô sibi blandituros de gratia apud Judicem impetranda, Matth. 7: 22. 23. 25: 44. quod fieri non posset, si jam sententia irrevocabilis in eos esset lata, id nondum infirmat manifestationem illam coram omnibus ac declarationem in judicio ultimo: cùm pudore suffusi omnino coram aliis negare soleant, quæ facêre mala, [quod propriè locis illis, præsertim posteriori continetur] præterea ij, qui supplicio tradendi sunt, omninò ament, si fieri possit, gratiam implorare, præsertim ubi sententiæ executio per longum tempus fuerit dilata &c.

Regula, juxta quam homines judicabuntur.

1522. Quoniam fundamentum seu norma omnis judicii est lex sive regula, cui actiones liberæ conformandæ fuêre, lex autem non obligat, nisi promulgata fuerit, & jam lex homini duplex est præscripta: naturalis, omnibus promulgata, quià cordi inscripta, Rom. 2: 15. ac revelata, eadem ferè cum priori præscribens, interim non omnibus promulgata, *oportet omnes homines judicentur vel juxta legem nonnisi naturalem, quibus hæc tantùm nota fuit, vel & alii juxta legem revelatam.*

Sch. 1. Hùc pertinet Rom. 2: 12. juxta legem scil. judicari quoad Judæos notat etiam ob transgressiones ceremon. ac forensis. Lex ea revelata [moralis] nimirum etsi eadem præscribat officia cum naturali (§.

1383.), tamen alia certa præscribit è motivo beneficiorum spiritualium & Christianismi resultantia, ùt intelligitur è (§. 1161. & sch. ac seq. §. 1173. & sch. 1.); unde & potest dici, Deum juxta Evangelium judicaturum ib. v. 16. atque tùnc eòdem redit, ubi dicitur, Deum secundùm Opera quemque judicaturum vel ei redditurum esse, v. 6. Quomodo interim non obstante judicio secundùm Opera vel legem tamen Deus simùl secundùm gratiam ac fidem judicet, infra manifestum fiet. De regula aliâs, juxta quam homines judicabuntur, SHERLOCK P. 7.

Sch. 2. Qui legem revelatam in Mundo esse vel & veram revelatam doctrinam in genere sciverunt, & tamen eam noscere, inquirere, explorare neglexerunt, aut ubi eam cognitam habuerint, oblivioni dein tradiderunt, ij nihilominùs juxta legem revelatam judicandi erunt: ignorantia enim orta ex negligentia in Lege inquirenda neminem reddit excusatum; redeunt hæc ad ignorantiam vincibilem & invincibilem in moralibus (*Mor.* §. 265.). Aliter autem de iis & quoad eos pronunciandum, qui nunquàm inaudiverunt esse legem aliquam revelatam, eamque cognoscendi occasionem non habuêre; saltem Deum uti cum unoquoque, ita & cum gentilibus ac iis, qui auxiliò notitiæ voluntatis Ipsius doctrinæque, mediis quoque talia noscendi destituti, ita acturum, ut æquitatem, justitiam cum misericordia conjunctam desiderari non sit passurus, rectè tenetur, ac & monet SHERLOCK p. 360. seq.

Sch. 3. Ex regula seu norma, juxta quam Deus judicabit, patet etiam confirmaturque, judicium id circa universos homines versaturum esse: quippe regula est obligationis universalis, vid. (§. 75. 78. Vid. autem de iis, quos Deus judicaturus, seu omnibus hominibus SHERLOCK P. 5. p. 272 - - 304. ubi merentur omnino legi ac menti profundè imprimi observationes practicæ egregiæ, quas V. D. ac pius ibi exhortationibus gravissimis firmat; cujusmodi suppeditat v. gr. respectu diversorum hominis in his terris statuum; eorum, qui in dignitate constituti, qui splendore bonorum fortunæ antecellunt, ac reliquorum in

se

se convertunt oculos; respectu divitum prolixè, pauperum etiam, præprimis & respectu hominum ætatis juvenilis, in adolescentia &c.

1523. Sequitur inde, quò quis plura cognita habuerit de Lege Dei ac voluntate Numinis, item quò certiùs, eò severius cum ipso judicium institutum iri. *Gradus severitatis in judicio.*

Sch. 1. Id est, quod CHRISTUS docet; servum, qui voluntatem Heri cognitam habuerit, nec tamen fecerit, duplices laturum plagas, Luc. 12: 47. 48. item in parabola de servis, quibus Dominus talenta concrediderit, Matth. 25: 14. seq. Sic ubi quis certiùs, distinctius alterò cognoverit Dei voluntatem, vel & meliores habuerit ei se confirmandi occasiones, aut non talia, ùt alter, obstacula, nec tamen fecerit, quod facilè potuisset, talem severiùs judicatum iri quis dubitet: cùm culpa in tali major, fundamentum imputationis firmiùs &c.? quod adhùc magis de eo valet, qui non solùm omiserit præscriptum facere, verùm insuper contrarium fecerit deliberatò, adeòque dolum commiserit compositum (sch. 1: §. 832.).

Contrarium autem dicendum de iis, qui dubitant, num id vel illud sit voluntas Legislatoris, & quomodo verba, quibus expressa, sint intelligenda [si nempe dubitatio ex persuasione, nec verò ex affectu oriatur] esset enim error Intellectûs, qui imputari ac puniri nequit, si non ex negligentia veniat; conscientia erronea scil. hominem pœnæ reum non facit &c.

Sch. 2. Habent ideò, qui cognitioni operam dant, ac eâ aliis antecellere student, cur ad se attendant, cognitionem non in materiam ostentationis aut quæstûs convertant, de praxi non cogitando; alios equidem docendo [munere ad id obstricti] seipsos autem non.

Tales sunè quin omnium severissimè Judex respexerit, res ipsa dubitare non sinit: γνῶσις sine amore parùm proficit, 1. Cor. 13: 2.

Operationes animæ quænam judicio subsint, quænam non.

1524. Cùm actiones hominis vel internæ sint seu mentis, vel externæ membris corporis perpetratæ, & illæ internæ sint vel Intellectûs vel Voluntatis, *actiones Voluntatis*, quæ sunt appetitiones aversationes, *à Deo judicabuntur*, *non autem operationes Intellectûs*: quippe omne judicium præsupponit imputabilitatem seu justum imputandi fundamentum ac rationem, at hæc requirit Intellectum Voluntatemque simùl, non autem istum solùm (per princ. mor.).

Sch. 1. Nec perceptio simplex, nec judicium nec ratiocinium, [quæ sunt tres illæ mentis operationes (*Log. Cap.* 1. §. 2. *Cap.* 3. §. 2., *Cap.* 4. §. 1. seq.] judicari possunt ab ullo judice; si nempe quoad duas posteriores nulla concurrat in homine voluntatis malitia, quæ ita judicare ac ratiocinari faciat; quia nempe Intellectus in se in repræsentationibus suis non pro lubitu agere potest, ùt per se patet, unde & Voluntatis Usus ad imputationem requiritur, CARPOVIUS *de imput.* §. 84. Minus perceptio simplex, quæ sine affirmatione aut negatione, inde imputationi subest; non loquimur scil. de illis repræsentationibus, quæ peccaminosæ rei malæ revocationes in mentem.

Sch. 2. Quòd si ergo quæratur, num cogitationes malæ judicandæ sint à Deo, prius determinandum est, quid per eas intelligatur, si Intellectûs nonnisi operationes, tùm, uti dictum, judicio non subsunt; at omninò, si denotent Voluntatis actus appetendi aversandique: quum voluntarium ac spontaneum subsit imputationi [quod adeò cum cognitione cunjunctum] (*Met.* §. 496. 518.); tantò magis ideò affectus judicabuntur à Deo: quia sunt gradus notabiles appetitionum &c. (*Met.* §. 439.); affectus itaque, qui v. gr. cum amore in proximum pugnant &c. Hùc trahi posset, quod PAULUS Heb. 4: 12. de Verbo Dei judice etiam ἐνθυμήσεων καὶ ἐννοιῶν καρδίας.

1525.

1525. Actiones externæ, seu corporis & mentis harmonicæ spectant vel Deum, vel nos ipsos, vel & alios, & vel violant id, quod Deus vitari voluit, vel omittunt, quod fieri voluit, *tales* adeò *cùm à mente* [hunc Voluntate & Intellectu simul] *proficiscantur, à Deo judice judicari possunt ac debent.* *Actiones morales externæ judicio subsunt.*

Sch. 1. Non frustrâ dicimus, eas actiones externas à Deo judicandas esse, quæ NB. à corpore ac mente harmonicè agentibus proficiscuntur: dantur quippe actiones externæ, in quibus mens suum non contribuit, dum vel destinatio deest, v. gr. si quis nil tale cogitans lapidem projiciendo alterum inopiniatò prætercurrentum trucidet; aut si Rationis Usu [sive semper, sive pro tempore] careat, sine culpa sua scil., actio tunc commissa itidem imputari nequit; at omninò, ubi propriâ culpâ talem Rationis expertem statum sibi accersiverit, v. gr. ebrietate &c. conf. CARPOVIUS *de imputat.* §. 85. seq.

Sch. 2. Actiones hæ exrernæ sunt vel sermones ore prolati vel Opera alia manibus patrata &c. verba sermonesque à Deo judicabuntur Matth. 12. 42. de aliis actionibus externis in judicio ultimo judicandis CHRISTUS ipse prolixè 25: 35. seq. ubi præcipuè de operibus charitatis omissis & compensatione nonnisi ferè talium operum [de quorum in vita futura remuneratione etiam Judæi egregiè loquuntur, loca eorum producente SCHOETGENIO in Matth. 25: 35. 36.] scil. ut doceat non solùm esse illam virtutem Summam ac nervum reliquarum virtutum officiorumque, sed & eam hinc efficacissimè commendet; præterea, compensationem unicè adscribendam esse gratiæ; cùm non sit proportio inter ea, quæ pii erga Christi membra præstiterunt, & inter præmium, consequenter & compensare se bonam voluntatem non autem Opus &c. ita SCHERLOCK *P.* 7. p. 365 —— 375.
Actiones externæ malæ itaque quotuplices sunt, tòt judicabuntur, repetenda propterea, quæ supra (sch. 1.

§. 818. sch. 1. §. 832. & sch. 2. §. 833.) de generibus peccatorum dicta; unde simùl intelligitur, quænam severiùs à judice judicanda sint imputatione & irrogatione pœnæ. Meretur autem quoad res, ob quas judicandi sumus, attentè legi SHERLOCK libr. sæpiùs laud. *P.* 6. p. 305 —— 333. ubi 1. ponit ob ignorantiam, p. 306 -- 309. 2. ob incredulitatem, qualis hodiedum Atheorum & p. 310 —— 314. 3. si talenta nostra non in usus convertimus, Matth. 25: 27. seq. qualia sint: potentia, seu vires in moralibus, divitiæ, scientia, p. 314 —— 318. 4. ob peccata etiam aliorum, si ea nostra fecerimus; 5. ob peccata occulta omnia, ubi varia affert practica Vir pius p. 319 -- 327. 6. ob cogitata p. 327 -- 329. 7. ob dicta Matth. 12: 36. 37. p. 330 -- 333. ubi de sermonibus atheisticis, profanis, immodestis, impudicis, scurrilibus, quando in Circulis ad risum excitandum, ingenii vim ostendendam &c. fiunt.

Quomodo fideles sint judicandi.

1526. *Fideles, regenerati, justificati, sanctificati ita judicabuntur in judicio ultimo, ut iis in se quidem spectatis pœna de jure irrogari posset, interim ob meritum Christi Judicis vivâ apprehensum fide conferatur præmium, jus vitæ* &c. Deus namque per veracitatem suam summam ac justitiam (§. 48. 240. 245.) non aliter eos considerare potest, ac in se sunt: quum rerum omnes affectiones perspiciat (ib.); jam autem fideles in se [ob peccata sua] sunt mortis rei (§. 837.); & cùm in justificatione eos ita consideret (§. 1132.), in qua de absolutione condemnationeve agitur (§. 1142. 1143. seq.), etiam in judicio ultimo similiter considerabit: quod quippe non potest non se referre ad justificationem, ac hacce niti. Prætereà nec in judicio particulari aliter stant fideles (§. 1501.), consequenter nec in universali: quum id sit manifestatio illius (§. 1521.);

Sch. 1.

Sch. 1. Etiam hûc facere possunt, quæ de mercede vitæ cœlestis (sch. 4. §. 1186.) Juxta dicta autem facilè conciliari possunt secundùm Opera judicari Apoc. 20: 12. 22: 12. & nihilominùs secundùm gratiam respici: modicâ nonnisi attentione opùs est, ut res considerentur vel in se vel junctim cum alio. Sine necessitate propterea quidam tricas faciunt, ubi tamen nullæ sunt difficultates: vel solum negotium justificationis [quâ judicium extremum innititur semper] (sch. 1. §. 1501.) hæc satis elucidat, vid. ideò supra (§. 1137. 1140. seq.). Prolixus autem hâc de re, quomodo utraque doctrina cum altera concilianda sit, scil. judicari secundùm Opera & salvari per gratiam, SHERLOCK P. 7. p. 357. seq. nimirum conciliari mediante pœnitentiâ à judice acceptatâ &c. etiam, quæ jam priùs V. D. p. 339 -- 347. hùc pertinent. Cum respiscentia quoque si conjunctæ fuerint gentilium actiones, Judicem eas misericorditer respecturum esse vult Vir laud. p. 360. seq.

Sch. 2. Num autem judex delicta fidelium, justificatorum, tunc propalam declaraturus ac indicaturus sit, nec ne, quæritur etiam inter Theologos; infitiantibus id, inter alios, GÜRTLERÔ *instit. Theol. Cap.* ultimô, §. 67. SHERLOCKIÔ *P.* 4. p. 267.

An non autem id argumentum suppeditat pro judicio particulari, contra eos, qui non prorsus id admittunt? cùm non conveniret sine omni exprobratione peccata remittere, præmiumque ex gratia adjudicare.

Exprobratio autem hæc in ultimo judicio etiam parùm convenire videtur cum reconciliatione fidelibus comparata (§. 957.), ac applicata (§. 1138.): cujus quippe vi in justificatione ab omni peccati culpa immunes facti (§. 1144.), ut ampliùs & coram omnibus exprobrari posse ac debere vix conveniens esset.

Interim tamen potest objici, non planè videri delicta justificatorum tacenda à Deo judice in judicio universali: quum & aliquando gravium quin enormium reos se fecerint, graviorum quin & subinde, quàm quidam ex iis, qui non justificantur, ut exemplum latronis conversi ostendit; jam verò tacere talia & aliâs reliqua omnia illorum delicta, nimiam forsan Summi ac justissimi Judicis lenitatem nec sat seriam ἀπροσωπολημψίας testificare

testificationem proderet; uti ex adverso delicta commissa paululum cum exprobatione indicando declararet magnitudinem misericordiæ in Servatore, stultitiam hinc & reliquorum, qui eam per seriam pœnitentiam ac fidem in Usum suum convertere neglexerunt.

Hisce consideratis ergò, si conjecturis piis paulùm indulgere licet, distingui forsan potest inter peccata justificatorum, nec absolutè pronuntiare licèt, eorum peccata in judicio universali propalam facta iri, nec etiam, judicem omnia planè siccò præteriturum esse pede; verùm Sapientiæ Judicis hæc relinqui, ita ut non videatur ei inconveniens esse, quædam illorum delicta declarare, addita simul pœnitentiæ &c. eorundem, hinc remissionis peccatorum declaratione.

Sententia Judicis in impœnitentes.

1527. *In impios* igitur è contrà, *impœnitentes, fidei veræ expertes, incredulos judex in judicio ultimo sententiam pronunciaturus est condemnatoriam:* quippe nonnisi per Christum obtingit liberatio (§. 876.), & omnes, qui Eum vivâ fide non receperunt, & in impœnitentia perseverarunt, in judicio Dei stare planè non possunt (§. 1131. 1144.); sub condemnatione ideò manent ob conditiones fœderis gratiæ non acceptatas vel præstitas (1005. & sch. 1.); rationi reddendæ (§. 1500.) prorsus impares: quippe quoad quod nonnisi per justitiam Sponsoris mediante fide applicatam tutus præstari quis potest, vid. (§. 1129. 1138. 1143.).

Sch. 1. Pronunciatum autem iri sententiam condemnatoriam in impios, postquàm judex priùs pios tanquàm horum Salvator judicaverit, ut condemnatos felicitatem piis adjudicatam intuentes tantò magis id malè habeat, tenent Viri D.; fideles dein cum Christo simùl throno insessuros [qui probabiliter nubes lucida, ad throni formam in aëre suspensa ac locata] ac impios ab iis judicandos esse 1. Cor. 6: 2. 3. ita SHERLOCK p. 263. 264. 269. 270. Quæ cogitata uti

uti digna sunt scopô ac circumstantiis judicii hujus, ac facilè admittuntur, ita num posterius rectè ex loc. cit. probetur, disquirere nunc nolumus &c.

Sch. 2. Horum delicta & crimina quin itaque judex - propalam facturus ac ipsis delinquentibus exprobraturus sit, nullum est dubium: Scripturâ edocente, Matth. 25:42. seq. Ex ipsa autem hacce delictorum exprobratione conjuncta cum sapientiæ justitiæque Judicis summæ consideratione perspicitur, non in omnes impios judicem æque gravem ac duram pronunciaturum esse sententiam: cùm enim quidam aliis magis culpabiles fuerint, ob majora item plura delicta, eaque magis petulanter patrata, quæ & aliquando per Muneris rationem, vi cujus adhùc aliis in bono prælucere obstricti fortiùs fuissent, aggravantur, item per plura gratiæ externæ media, quæ aut propterve rejecerunt, aut ea in sannos ac ludibrium converterunt &c. cùm inquàm culpæ gradibus valdè differant, ideò & sententia damnationis pronunciata gradu duritatis ac execrationis non poterit non differre; uti & judex in humanis certa delicta ac certarum personarum, majori cum affectu, verbis indignioribus reprehendit, damnat &c.

1528. *Judicabuntur* autem *& angeli*: quippe cùm creaturæ sint præmii pœnaquæ capaces (§. 548.), ac pensum præscriptum habeant obedientiæ erga Deum (§. 536. 553. 554.), non possunt non ideò ad rationem reddendam vocari uti homines (§. 1500.), vel spiritus defunctorum, hinc vel præmiô ob obedientiam fidam vel pœnâ ob inobedientiam ac remitentiam Dei jussibus Regnoque digni judicari à justitia suprema (§. 314. seq.) [unde pœna malis angelis infligenda] (564.); negotium verò, ubi ejusmodi dispicitur ac peragitur, seu regula ac lex ad Facta applicatur, constituit judicium (§. 1499.), igitur

Judicium angelis subeundum.

igitur & in angelos à judice supremo instituetur.

Sch. 1. Ita nimirùm honor Judicis Christi adhùc magis illustris reddetur, Joh. 5: 22. 23. ubi & angeli Ipsius judicio subjicientur; prout etiam ut Dominus angelorum bonorum haud obscurè indigitatur 2. Thess. 1: 7. quemadmodum pœna angelis malis in judicio ultimo definita ac pòst infligenda Matth. 25: 41. conf. & Apoc. 20: 10. qui inalas suas machinationes (sch. 1. 2. §. 564.) eòsque sunt exercituri conf. ib. Apoc. 20: 8. coll. 10. quum ulteriùs in terris non possint ob finem rerum &c. quo de mox. Quoad angelos bonos, erunt ij quidem in judicio hocce Judicis administri, satellites, eum comitantes ad judicium Matth. 25: 31. sententiæ item pronunciatæ executores, 13: 41. 24: 31. uti & aliàs antea semper jussorum Divinorum (§. 554.); ac si Filio Dei in terris versato ministrarunt (sch. 1. ib.); quantò magis in statu glorioso summo splendore fastigioque (§. 1519.) constituto? interim id non impedit, quòminùs & ipsi à Judice judicandi sint ac judicari possint &c.

Judicii extremi consequens.

1529. *Judicium id ultimum excipiet finis rerum Seculi hujus:* tunc enim terra, habitaculùm eorum, quibus revelatio Divina concessa, ignem experietur feralem, exustionem sustinebit 2. Pet. 3: 7. 10. regnum in his terris cessabit. 1. Cor. 15: 24. 25. tempus pœnitentiæ agendæ erit finitum, hinc terminus peremtorius omnium viventium aderit; incipiet ideò regnum gloriæ respectu quorundam per collationem præmii, uti respectu aliorum testificatio iræ per condemnationem.

Sch. 1. Vid. SHERLOCK *P.* 2. *Cap.* 4. ubi, quòd judicium universale id habendum sit, quando terra destruetur, ob peccatorum mensuram completam, homines corrigi planè nescios &c. unde & severitatem judicii

judicii deducit: quum conjunctum fuerit cum totius terræ interitu; nec non quod judicium id futurum sit finale ac decisivum p. 220. quia in fine Mundi: quandoquidem, ubi omnia desinent, nil de novo instituti poterit. Lectu dignissima sunt, quæ V. D. in libro hocce ad pietatis praxin composito *Cap.* cit. præsertim percellentia sunt, quæ p. 217 —— 119. Is & in anteced. p. 183. seq. monuerat, quòd nonnisi inde, quià hominum malitia incorrigibilis fuerit [ita ut nulla gratiæ media effectum sint productura] per Sapientiam ac bonitatem Dei stare ac juxta eas defendi possit Orbis interitus; ac indidem ratio arcessi debeat, quare Mundus in diluvio non prorsus perierit.

Sch. 2. Receptam valde antiquis fuisse traditionem de excidio Mundi per ignem nemo nescit, Stoicis præcipuè: vid. EUSEBIUS *præp. Evang. Lib. XV. Cap.* 18. quo de eorum placito ex instituto Germanus quondam eruditiss. JAC. THOMASIUS; antiquissimam eam tenuit JOSEPHUS, Adamo jam tribuens, qui præ; dixerit ἀφανισμὸν — τῶν ὅλων ἔσεσθαι τὸν μὲν κατ' ἰχὺν πυρὸς, κ. τ λ. alterum interitum adeò per ignem, alterum per aquam, unde posteri columnas illas statuerint, *Antiq. I. Cap.* 2. §. 3. p. 11. edit. Haverc. in quorum nunc credibilitatem non inquirimus. Cum diluvio adeò componitur excidium per ignem ut baptismus terræ per aquam cum baptismo per ignem; licèt hic posterior ut multò magis destruens tenendus. Lubet autem ob materiæ gravitatem adducere quoad huncce Orbis per ignem interitum hypotheses bigæ Anglorum, quorum & eæ circa diluvium celebrantur: BURNETII puta & WHISTONI; & prior quidem causas conflagrationis ac materiam ponit 1. montes ignivomos, lacus sulphureos ac bituminosos [uti juxta Strabonem Sirbonides in Palæstina &c.] 2. ignes & focos, qui acceduntur ob hominibus; intra terram mineralia ignifera &c. 3. quæ in aëre formantur, mereora ignita; ita V. D. *tell. theor. S. L.* 3. *C.* 7. dein *C.* 8. explicat, quomodo ignis accendi possit: mediante nimirum v. gr. magnâ siccitate &c. exhalationum copiâ &c. nam tùm »tellus hodie [ita ipse loquitur ibid. p. 211.] »constructa aut cœcervata sit instar ruinæ ——

»malè

»malè commissis partibus, interjectis cavernis ——
»rimis, quibus fit quasi perflabilis & permeabilis ven-
»tis & halitibus, horum vi & impetu per omnes vias
»subterraneas feretur flamma,» &c. & p. 212.
»nihil mihi deesse videtur, nisi ut ignis cadat de cœ-
»lo tanquàm scintilla in suppositum formitem &c. ——
»Qui —— utrique diluvio, aquæ & ignis, præsides
»Dominus, dic, ut pereat infelix terra! quæ Fi-
»lium Dei vidit crucifixum ——— nefandum sce-
»lus! nonnisi hôc igni universali atque omnium ma-
»ximô holocaustô purgandum aut expiandum.»

Observat dein PETRUM Apostolum non removere causas naturales quoad futuram conflagrationem, sed adhùc supponere *repositos ignis thesauros in diem illum*, idque ex hodierna constitutione; porrò quantô magis tribui potentiæ Divinæ, tantô minus relinqui sapientiæ; ac vitandas hìc esse duas opiniones extremas, tùm quæ immediatè ad omnipotentiam Dei omnia refert, sine causarum naturalium auxilio, tùm quæ nonnisi ad has, sine ope quacunque Divina aut angelica confugit. Alia complura Vir eruditiss. de hacce materia *Cap.* 9 - 11. ubi *Cap.* 10. de principio, progressu & consummatione incendii, conversô mari in lacum sulphuris & salis, totôque globô materiâ ardenti coopertô; refert hùc loca v. gr. Psal. 50: 4. 97: 3, 5. Esaj. 34: 8 - 10. Mal. 4: 1. & alia, eaque cum locis N. Test. [ubi de adventu Christi ultimo] conferri vult.

WHISTONUS verò, cujus hypothesin quoad causam naturalem, mediatam vel proximam diluvii memoravimus supra (sch. 3. §. 1377.), & quam statuit cometam, ita pariter conflagrationem terræ à cometa deducit *nov. tell. theor. Lib.* 3. *Cap.* 5. & *Lib.* 4. *Cap.* 5. ubi ante omnia locô priori p. m. 354. explicationem suam nonnisi ùt conjecturam proponit; refert eò loca: Matth. 24: 26. Luc. 21: 25. 26. ac præcipuè 2. Petr. 3: 10. sic autem se habet explicatio ea: quòd scil. cometa Orbitam suam decurrens ac terræ occurrens [aut saltem nimis appropinquans] motum hujus annuum adeò sit impediturus ac in ellipsin circumrotaturus, ut in perihelio Soli ita appropinquans, circumrotatione diurnâ tota fiat exustum chaos; interim & per causas naturales minùs pestilentes exu-

stionem

stionem posse procedere, ignem nimirùm centralem, cujus effectus vehementissimi in terræ motibus, montibus ignivomis; utramque etiam causam posse concurrere, scil. ut atmosphæra cometæ aërem ardentem reddat, ardore hôc dein penetrante in terræ scissuras, ac se cum igne centrali uniente; ita p. m. 519. seq.

Quòd si verò cometa directè terram pulsaret, tum planè exustam ac in cometam pro semper conversam fore, p. 530. Easdem causas, quæ terram ignitam reddituræ, etiam terribiles in Oceano fluxus effecturas monet V. D. atmosphæram terræ tùnc quoquè repletam futuram evaporationibus crassissimis; per quas Sol ac Luna figurâ terribili comparituræ, de cœlo quasi cadentes; ut phœnomena terriculosissima omnia simùl se sint exhibitura, p. 524.

Sch. 3. Scenam itaque tunc [ad Christi judicis adventum] fore terrore cum magnificentia junctam ita, ut nulla unquam talis fuerit, & splendidissima ne umbra quidem dici possit, facilè patet; exprimamus autem eam magnificis ac percellentibus BURNETII verbis è *tellur. theor. &c. Lib. 3. Cap.* 12. ubi ita »si qua »unquàm fuerint in hac rerum Natura, in hoc Orbe »nostro, magna & miranda spectacula, ea jam ante »oculos habere mihi videor, dum te Christe Deùs in »nubibus venientem aspicio cum augusto cœlitum »comitatu; & ex altera parte flagrantem terram in»tueor, rerumque omnium humanarum stragem & »excidium. Hinc lux & splendor & cœlestis ap»paratûs gloria perstringunt oculos, dum cœlum ver»sùs specto, sed nulla tristior esse potest rerum Fa»cies illâ, quæ in terris cernitur, ubi sævis ignibus »solvitur Natura, atque unicâ clade tota gens huma»na extinguitur.» Et ib. p. 238. - - - - »Christus - - - - iratus intuens hunc globum elatâ »voce pronuntiat: pereat infelix terra - - - - re»sonuit æther iterùm iterùmque: pereat, pereat; »& statim Christus emissum ex ore suo radium, in»star fulminis ardentem, vibravit in sedem Anti»Christi; - - - - Natura excitatur, omnes ignis »thesauros, superos, medios, inferos effundit &c. p. 239. » quantuli sumus & res nostræ! unicô ictu »aut spiritu oris Dei perit tota gens humana, perit

»omnis naturæ pulchritudo, omnisque humanæ artis »labor & per multos annos accurata opera; agro»rum Cultus, hortorum deliciæ, sylvarum decor, »fontium & rivorum amœnitas, ædium, templorum, »urbium magnificentia &c. - - - - -intùs, forâs, »in plateis, in campis ubique cadavera, aut igni »percussa, aut ruinis obruta, aut sulphureis halitibus »suffocata, neque id minùs in aulis Principum, quàm »in pauperum tabernis» &c. p. 240. »Cùm verò »uterque ignis - - - - - superficiarius & subterraneus »- - - - - consumtis corporibus intermediis coëant »- - - - - ut subsidat & dilabatur pluribus in locis, »exesis radicibus, exterior terræ regio, omnia natare »incipient in liquido igne, & magna pars - - - - »terræ firmæ in lacus sulphureos convertetur, ma»re autem sive residuum maris in medio alveo, dùm »hôc modô liquantur montes & altiores terræ, »magnâ copiâ materiæ fusæ eò confluente, fiet in»gens receptaculum liquidi ignis &c. At si »quis æthere suspensus in hunc globum despiceret, »mediis ignibus volutantem ipsum inferni aut tartari »Vultum ante oculos habere videretur: nigros fu»mos rutilantibus flammis intermistos, lacus sulphu»reos, flumina ignita, æstuantes crateres & flamma»rum vomitiones, aliaque spectacula planè tartarea; »hujusmodi *Tophet* descripserunt Prophetæ (Esaj. »30:33. Joël. 1:19. 20.) in die Domini. Tor»rentes sulphuris vides in terra, & in aëre tortiles »fumorum columnas, hisque flammas, velùt igneos »angues, sinuosô volumine implexas; denique la»tos & profundos hiatus, qui prunas, carbones, & »omne genus ardentes glebas egerunt, fulmineô im»petu.

Sch. 4. Ad tempus hujus fatalis eventûs quod attinet, seu sitne magis vel minùs propinquus, jam de hoc dictum (sch. 2. §. 1503.): quippe tempus adventûs Christi ad judicium & finis Mundi idem dicunt; memorare hîc solùm juvat, ætatem durationis Mundi seu periodum Antiquis nominatam fuisse *annum magnum*, quem quidam 10000.; alii 100000. annorum intervallô determinarunt; uti notat BURNETIUS *tell. theor. &c. Lib. 3. Cap. 4.* ipse verò ita illum evolvit,

vit, quòd sit ἀποκατάστασις motuum cœlestium seu fixatum & errantium ad eandem positionem, quam ab initio Mundi habuerint, super unum & eundem polum, ecliptícæ nempè, quod pendeat à situ telluris recto vel obliquo &c. quo de aliquid (sch. 3. §. 1377.); catastrophas Mundi sublunaris esse cataclysmum & conflagrationem, intervallum horum metiri debere annum magnum. Hocce intervallum WHISTONUS *Lib.* 4. *Cap.* 5. p. 525. 526. benè quadrare in decursum cometæ ponit: quippe qui inde à diluvio nondum orbitam suam absolverit. Ad BURNETIUM ut redeamus, is *Lib.* cit. *Cap.* 2. observat ac notat, apud Græcos placitum de rerum periodis & ἀνακυκλώσεσιν suppositisse id de Mundi interitu; de magnis hisce Naturæ periodis multam fieri apud Veteres mentionem, ORIGENEM (*contr. Celsi.*) sententiam hancce tribuere non solùm Stoicis, sed & Platonicis ac Pythagoræis, quin & Ægyptiis [conf. V. D. *Lib.* 4. *theor. Cap.* 5.]; S. literas etiam ipsas suffragari, Psal. 102: 27. 28. Esaj. 51: 6. 1. Cor. 7: 31. immò ipsos illos Philosophos, qui Mundum durationè sempiternum dixerint, id intellexisse de successione per vicissitudines & renovationes, ita è STOBÆO. Notat porrò idem Vir Cel. *Cap.* 3., placitum illud hâcce infectum fuisse labe, quòd tenuerint [Veteres] indefinitam & nunquàm desituram incendiorum ac diluviorum seriem; porrò quòd & eandem eventuum seriem tunc denuò prodituram statuerint [ita ut iidem homines, eòdem locò, eòdem tempore, unà futuri, eadem acturi essent &c.] *annum Platonicum* nominantes: à quibusdam Stoicis tributum, vid. autem de iis NUMENIUS apud EUSEB. *præp. Evang. Lib.* 15. *Cap.* 19.

Sch. 5. Quæritur autem porrò, utrùm per ignem hunce devorantem terra planè sit destruenda, sine ulla restitutionis spe, an verò mutanda, restauranda ad pristinum statum, qualis fuisset, ubi peccatum eam non infecisset &c. posterius id magis ferè placet Philosophis ac Theologis, quibus videtur Deum magis decere Opera sua semel creata perfectiora reddere quàm verò destruere; suffragante & Scriptura: siquidem, ubi clarè de illa cœli terræque in fine seculorum dissolutione loquitur 2. Petr. 3: 10 --- 12. simul dein loqui-

tur de cœlo novo ac terra nova v. 13. ut ita hæc terræ exustio futura sit ejus plenaria παλιγγενεσία, è cinere terræ exustæ ita proditurâ novâ terrâ, à sceleribus, malo, purgatâ; ita & Clar. HULDRICUS auserles. Predigt p. 644. 667. ubi von der Welt Untergang ꝛc. in 2. Petr. 3: 10.-15. addens loca Esaj. 65: 17. 18. 66: 22. equidem jam impleri cœpisse per Oeconomiæ novæ introductionem (§. 1426. & sch. 1.), vel maximè verò per physicam Mundi renovationem porrò implenda esse: tùm enim implementum habiturum illud Apoc. 21: 1-5. Sic & [ut de BÜRNETIO hîc nil dicamus, qui de his *Lib.* 4.] WHISTONUS *Lib.* 4. *Cap.* 5. tenens, abyssum terræ, quoniam consistat in materia crassâ ac fluida, ideò per ardorem ignis illius resolvi mollemque reddi non posse, exustione illâ superficiem nonnisi terræ mutatam iri; p. m. 526. 527. tacemus reliqua hypotheseos, quæ minùs se probant, v. gr. perpetuum tùm fore diem, non opùs fore [juxta Apoc. 21: 23.] Sole ac lunâ, Motum terræ diurnum etiam per attactum cometæ posse sisti, ut nonnisi annuô sit gavisura, beatum millennium incepturum, ad finem millennii terram locum inter planetas deserturam, p. 527. 528. 530. refert autem ad hancce terræ renovationem loca varia, ex. gr. Psal. 102. 27. Esaj. 65: 17. Matth. 19: 28. Apoc. 20: 11.

Sch. 6. Hâc Naturæ periodô, seu in fine Mundi [revelatione tùm non ampliùs hominibus concedendâ] vaticinia erunt impleta, revolutiones Ecclesiæ finitæ, hostes ipsius planè subacti, scandala sublata, Deus omnia in omnibus, 1. Cor. 15: 28. Christus tradet regnum Patri, v. 24. ubi SCHOETGENIUS regnum gratiæ intelligendum notat, quod Christus qua θεανθρώπω sibi concreditum Patri iterum sit traditurus, simùl rationem quasi redditurus, quomodo administraverit, & quosnam perceperit fructus; uti & Judæi teneant, Deum post Messiam ultimum mansurum esse Regem.

Judicii ultimi scopus.

1530. *Judicium ultimum, ac finem rerum hujus Seculi sequetur distributio præmii pœnæque:* judicium namque omne instituitur,

instituitur, ut ratio factorum juxta legem exigatur, quælibet etiam lex vel ad obedientiam vel ad pœnam obligat (per princ. mor.), & lex Divina ac fœdus gratiæ vel præmium promittunt, vel pœnam comminantur (§. 83. 728. 729. 1005. 1385.), ac nisi vel illud conferretur, vel hæc infligeretur, oporteret, stante animæ immortalitate (§. 88.), aut Sapientiam, vel justitiam, aut potentiam aut denique omniscientiam Dei sublatas esse; conf. & (§. 1499.).

Quæsitum autem fuit ac multis disputatum, num distributio collatioque præmii facienda & futura sit in terra illa renovata (sch. 5. §. 1529.); ita ut nonnisi pii resuscitandi sint à Christo adveniente (§. 1511. 1518.), qui dein cum ipso ùt Rege in illa à sceleribus purgata terra [quippe nondum resuscitatis impiis] (sch. 2. §. 1512.) regnaturi sint per 1000. annos, & num hoc probari possit ex Apoc. 20: 2. seq. Appellantur autem hujus sententiæ fautores ob hypothesin de mille annis *Chiliastæ*, ac hypothesis ipsa *Chiliasmus*, qui, prouti illi in regno eo felicitatem tuentur vel terrenam ac voluptates corporis vel spirituales, inde vel *crassus* vel *subtilior* audit. Circa cujus hypotheseos originem & propagationem priùs notare quid juvat; videtur scil. V. D. ea ex Judaismo arcessenda: Judæis quippe Messiæ, filio Davidis, glorioso regnum [quod inter ספירות ultimum tenet locum] tribuentibus, & quidem propriè tale, de hisce quædam BUDDEUS *Philos. Ebr.* p. 336. 363. seq. 367. seq. & *Theol. dogm.* p. 530. in Ecclesia Christiana Papiam pro primo, qui sententiæ illi addictus fuerit, haberi notum est, compluribus dein Christianorum eâ se probante, licèt carnale omne ab hoc Regno removerint, BUDD. l. cit. (*Theol. dogm.*); qui & ib. p. 531. monet, pertinere hùc, qui *Seculum* aliquod *Spir. S.* sta. tuerunt, quorum primus JOACHIMUS Abbas, circa finem Seculi duodecimi, paulò pòst AMALARICUS, iterùm non longè pòst JOH. DE PARMA,

Auctor libri, cujus inscriptio: *æternum Evangelium*, ejusque discipulus, HUBERTINUS de CASSALIS. Etiam quoad historiam ac discussionem hujus dogmatis inservit HARTSCHMIDII *Disp. Theol. de Seculo aureo*, recusa 1711. ubi *Cap.* 1. rationem appellationis arcessit ex OVIDII descriptione Seculi ejus, quod gentilibus *aureum* dictum, quo de supra (sch. 4. §. 1377.); *Cap.* 2. exponit Judæorum ac Cerinthi de hocce Seculo sententiam, regnum Messiæ mundanum statuentium, in quo ineffabili lætitiâ ac bonorum terrestrium abundantiâ cives ejus mactandi sint, vel ad 1000. annos, vel diutiùs adhùc, taurô ingenti Behemoth ac Leviathane convivio inferendô, Messiâ uxorem ducturô, successores relicturô, sub quibus felicitas per gradus adhùc crescere debeat &c.

Cap. 3. de Christianis, fautoribus Chiliasmi, tenentibus, quòd Christus ante judicium extremum iterùm in terram sit descensurus, fideles è morte suscitaturus, unà cum iis omni bonorum, spiritualium & corporalium affluentia splendidè regnaturus; ita de Papia, JUST. MART., TERTULL., NEPOTE Episcopo Ægyptio, præcipuè LACTANTIO [Poëtarum de Seculo aureo & Sybillarum μύθους hùc inflectente] de Auctore libri *Onus Ecclesiæ* inscripti, cujus Auctor feratur UBERTINUS Episcopus Chemensis, primum Christi adventum ponens, ubi in carne apparuit, secundum, ubi adventurus sit ad Anti-Christum destruendum, ac Ecclesiam reformandam, tertium, ubi compariturus in septimo millenario; cum hoc faciente JOACHIMÔ Abbate [Calabria oriundô] Cœnobii Florensis, Annô 1200.

E Reformatis dein memorat, licèt non pari ratione hùc referendos: ALSTEDIUM, PISCATOREM &c. de CURCELLÆO, Anabaptistis, SCHWENCKFELDIO, WEIGELIO, ac aliis Recentioribus dein & &c. E reliquis Protestantibus [qui Fanaticismo non favebant, apud quos scil. Placitum de Regno millenario maximè præsidium invenit] vel præcipuè hùc referendus TH. BÜRNETIUS, qui sententiam de beato millennio in his terris post conflagrationem multis exornavit, & varia eam in rem eruditè attulit *tell. theor. S. Lib.* 4. *Cap.* 4 - - 9. [ubi & *Cap.* 5. auream iterùm in millennio eo rerum faciem proditurum

dituram ponit] vid. quoque ejusdem Tract. *de stat. mort. & resurg. Cap.* 10. & in addendis seu appendice; disputat contra eum ex instituto Clar. & doctiss. SCHUBERT in den Schriftmäß. Gedanken von der allgemeinen Juden-Bekehrung und dem tausendjährigen Reich, Jen. 1742. §. 56. seq. ubi §. 61. notat, quòd ad regnum millenarium stabiliendum ponantur ac fingantur pro lubitu circumstantiæ, sine quibus aliâs contradictoria essent admittenda: nimirùm cùm inveniri nequeat, undenam consummatô millenniô tanta impiorum ac hostium Ecclesiæ multitudo venire posset [sub nomine Gogi & Magogi indigitata] cum arena ob numerum comparanda: siquidem ponatur, gentes ad initium millennii convertendas fore ad Christum, & Satanam durante totô millenniô ligatum; ut, inquam, ἀσύρατα hæcce leventur, assumi vel fingi varias circumstantias casusque, ut ostendatur, undenam hostes regni Christi venire possint &c. id verò esse, Scripturam juxta proprium explicare arbitrium, ac etsi aliâs circumstantiæ assumi possint, ut contradictio evitetur, tamen id non posse fieri, ubi insistitur, propriè verba esse sumenda.

Porrò §. 62., quòd si resurrectio illa v. 5. 6. memorata, & universalem, de qua v. 12., præcedens, propriè intelligenda esset, regnum millenarium inde non parùm stabilitum iri; at verò propriè intelligi non posse; vid. (sch. 2. §. 1512.). Regnum id non consistere v. gr. cum Matth. 20: 21. seq. memorat V. D. §. 67. siquidem CHRISTUS obviam ire volens præjudicio Judæorum regnum suum conjunctum esse dicat cum passionibus, nec aliud ejus in his terris expectandum regnum nisi gratiæ, neutiquàm autem talem felicitatem; si & contradicere Matth. 13: 24. seq. siquidem hîc clarè, quòd semper, ad finem usque Mundi, impii piis futuri sint intermixti, adeòque usque eò nec Satanas ligatus; separationem item piorum ab impiis die ultimô demùm faciendam, & pios in Patris Regno falsuros, ubi impii detrudentur in Gehennam; quibus verò Regnum millenarium contraria doceat &c. §. 68. PETRUM quoque 2. Ep. 3: 10. seq. loqui de adventu Christi, quocum interitus Mundi conjunctus, & demum pòst de cœlo novo ac terra nova creandis &c. conf. etiam, quæ contra hypothesin

de regno isto laud. modò HARTSCHMID *Cap.* 4. qui & dein *Cap.* 5. ad objectiones pro Regno à fautoribus afferri solitas respondet. PAPIÆ auctoritatem tandem, qui doctrinam eam uti & alia à Johanne Apost. & Apostolorum familiaribus acceperit, V. D. non ita magni faciunt: eò quòd Scriptoribus antiquis credulus ac superstitiosus audiat &c. etsi aliâs traditioni ac explicationi traditionali non parùm deferendum sit (§. 185. & sch. 2. §. 209.). Expositionem ac sensum Cap. 20: Apoc. exhibet breviter Cl. SCHUBERT §. 64. Adscribamus autem quædam Cel. VITRINGÆ ex ejus *ἀνακρ.* Apoc. in 20: 4. p. 849. ubi ita »de cætero sufficit, »tàm ad hujus quàm aliarum Prophetiarum interpre»tationem ita sentire & statuere: post destructa im»peria magna Regno Christi adversaria tranquilla fore »& pacata longi intervalli tempora, quibus Ecclesia ---- »secundum ritum doctrinæ & disciplinæ Apostolicæ »composita & recta, luce scientiæ & sanctimoniæ collu»strata, & magnâ abundans gratiæ Christi & dono»rum Spirit. S. copiâ, prosperè sub piorum Magistra»tuum & prudentium Pastorum cura in his terris aget, »alas suas quaquavorsum expandet lucemque gloriæ »suæ latè sparget; hæc spes nostra est, hæc Vota San»ctorum.» Gemina hisce Vir Cel. habet p. 863. ubi & zelum gentium accensum iri dicit, fore tunc, ut mysteria & quæ nunc latent, pateant, lucem & gloriam fore in Ecclesia, populos ad eam confluxuros; id esse illud Christi Sanctorum & Martyrum regnum, non minùs quam 1000. annos duraturum; imbecillitates interim humanas & clandestina hostium extra Ecclesiam odia non prorsus abfutura. De hisce verò singulis & in typo novæ Hierosolymæ ad Apoc. 21: & 22: 1-7. eruditiss. Interpres p. 884-906.

Præmii pœnaque denominationes.

1531. Præmium, quod post judicium ultimum conferendum, est ac vocatur *beatitudo* vel *felicitas æterna*, item *vita æterna*, Joh. 3: 16. 36. Rom. 6: 23. etiam *vita* aut *felicitas futura*, *cœlestis*;

pœna

pœna autem inferenda, *infelicitas æterna*, *exitium æternum*, *damnatio* item ac *mors æterna*, Joh. 8:51.

De nominibus vitæ æternæ lubet hîc in subsidium advocare EWALDUM Himmel und Hölle, zweyte Betracht. p. 60. seq. ibi, quod ante omnia nominetur *vita* simpliciter Ezech. 16:16. Matth. 7:14. Joh. 3:36. & alibi; ob activitatem scil. ac operationes continuas, quo de in seq. vitâ quippe activitatem dicente (§. 281.); *salus* (ישועה, σωτηρία) Prov. 3:18. Matth. 1:21. Rom. 1:16. Heb. 2:3. & alibi, ob liberationem scil. à malo; δόξα, Herrlichkeit, Rom. 5:2. 2. Cor. 4:17. Heb. 2:10. & alibi; *regnum Patris*, Matth. 13:43. *regnum Dei*, 1. Cor. 6:10. *Christi*, 2. Pet. 1:11. *cœlorum*, 2. Tim. 4:18. *corona vitæ*, Jac. 1:12. Apoc. 2:10. *gloria*, 1. Pet. 5:4. *justitia*, 2. Tim. 4:8. allusione ad athletica veterum ib. 2:5. quo de vid. LYDIUS *Agonist. S. Cap.* 1. 2. 45. & qui Observationes Theolog. præstantissimas ac & philologicas [ling. belgicâ] adjecit, doctiss. VAN HALEN. *merces*, Matth. 5:12. Heb. 10:35. 11:26. *retributio*, Matth. 6:4. Col. 3:24. ob labores præcedentes; ac ob eandem rationem *requies*, 2. Thess. 1:7. Apoc. 14:13. in q. l. eruditiss. EWALDUS *Emblem. S. To*, 1. *Lib.* 2. *Exercit.* 7. ubi §. 1. notat statum beatorum in Sacris sæpè per symbolum quietis proponi, citat Esaj. 57:1. Job. 3:12. Dan. 12:13. & alia loca; ex Nov. Test. Act. 2:26. Apoc. 6:9. eandem etiam phrasin Judæis, Græcis ac Latinis solemnem esse, §. 2. 3. vocem κόπος [quæ respondeat hebr. יגיע יאון [עמל, notare peccata, causam omnis laboris ærumnosi hujus vitæ, Psal. 55:11. 22. 90:10. etiam pœnas peccatorum Gen. 5:25. &c. defatigationem virium per luctam Col. 1:29. Apoc. 2:3. §. 4. inde à quibusnam laboribus beati sint quieturi, patet, quo de in seq. notat autem & V. D. Veteres sepulchra ideò *quietoria* nominasse &c. Revertimur ad denominationes vitæ æternæ: qualis porrò *hæreditas*, Eph. 1:18. 1. Petr. 1:4. *donum* χάρισμα Rom. 6:23. 2. Cor. 9:15. *depositum* παραθήκη, 2. Tim. 1:12. ubi Vir modò laud. *Emblem. S. Tom.* 2. p. 580. alludi vult ad mo-

rem, quò solebant in Templum Dianæ res quasdam pretiosa deponere ac ibi reservare, ita ut nemini eas tractare vel eas inde desumere liceret.

Talis denominatio etiam *convivium* Esaj. 65: 13. 14. Matth. 8: 11. ob bonorum affluentiam scil. ac gaudium, quo de infrà; eò inde itidem pertinet illud *edendum dare de ligno vitæ*, Apoc: 2: 7. ad cujus loci illustrationem Cl. ELSNERUS notat, militibus, qui strenuè rem gesserant, cœnam post victoriam parare Romanis in more fuisse; victores item in ludis olympicis splendidò convivio ab Athlothetis fuisse exceptos, quin per totum vitæ tempus fructus è victoria percepisse uberrimos ac publicè nutritos fuisse; etiam Cabbalistas tenuisse, Messiam de fructibus arboris vitæ mortalibus daturum. Ob idem gaudium fert nomen *nuptiarum*, Matth. 25: 10. Apoc. 19: 7. item *messis*, Gal. 6: 8.

Mortis æternæ [quod nomen jam memoratum] (sch. 2. §. 427. & §. 837.) appellationes sunt v. g. *mors secunda*, Apoc. 2: 11. 21: 8. *perditio*, 1. Thess. 5: 3. 2. Thess. 1: 9. περισσότερον κρίμα, Marc. 12: 40. Luc. 20: 47. *ira Dei*, Joh. 3: 36. Rom. 2: 4. quò eòdem & pertinet ἡ μελλέσῃ ὀργή, Matth. 3: 7. quippe per quam Judæos infernum intellexisse notat SCHOETGENius in eum locum. *pudor æternus*, Dan. 12: 2. κόλασις αἰώνιος, Matth. 25: 46. ὀδύναι, Luc. 16: 24. &c denominatio *tenebrarum exteriorum*, Matth. 22: 13 25: 30. *ululatûs & stridoris dentium*, ibid. de quibus duabus denominationibus infrà; *flammæ*, Luc. 16: 24. *ignis æterni*, Matth. 25: 41. quarum omnium appellationum ratio tùm per se patet, tùm ex infrà dicendis amplius patebit.

Mutatio in statu hominis per præmium.

1532. *Vita æternæ perficiet statum hominis*: præmium namque omne, quià est bonum quidpiam (*Mor.* §. 36.), ideò statum hominis quoque perficit (*Met.* §. 422.).

Propterea dicitur, quòd perfectiò reservetur futuræ vitæ, & quòd hic nonnisi ἐκ μέρους &c. 1. Cor. 13: 9.

1533.

1533. *Perficietur* autem *ante omnia Intellectus cognitionis de Deo ac rebus Divinis, operibus Ipsius officiisque erga Eum claritate & extensione:* quum enim summus Dei finis sit gloria Ipsius (§. 271.), hæc autem à creaturis intelligentibus promoveatur, ubi è motivo perfectionum Divinarum cognitarum agunt (§. 673.), ideò & Deus translatione hominis in statum alium per mortem ac reunione dein mentis cum corpore non potest non velle efficere, ut homo magis ad Eum glorificandum aptus reddatur mediante cognitione de Se [Deo] perfectiore; porrò quùm vita æterna conferatur ùt præmium (§. 1531.), adeòque ùt aliquid hominem ad perfectionem evehens, inde primam in mente facultatem ad eam evehi oportere sequitur; bonitate Dei etiam per magnas revolutiones intendente, ut creaturæ perficiantur. Gloria Dei tandem quoque quia per Opera Ipsius illustratur (§. 528. 671.), ideo mens ad cognitionem eorum intensivè ac extensivè perfectiorem perducenda est; vid. 1. Cor. 13: 1. 1. Joh. 3: 2. *Mutatio Intellectûs in melius.*

Sch. 1. Non igitur existimandum est, Intellectum perficiendum esse cognitione, quali in hac vita eruditionis circulus absolvitur, vel aliàs ad scientias humanas, cognitionem item in vita hominum communi pertinet &c. cognitio quippe in statu futuro debet perficere eam, quæ nunc in statu gratiæ quâ tali obtinet, qui reformationem ad imaginem Dei, statum primigenium fert (§. 1222.), ut interim Opera Dei, etiam naturæ, melius noscantur, quantùm admiratio τῆς πολυποικίλου σοφίας τοῦ θεοῦ requirit, Eph. 3: 10. unde & Cl. EWALDUS Himmel und Hölle, dritte Betracht, p. 150. seq. ponit, quòd beati cognituri sint v. gr. angelos, eorum œconomiam; quoad seipsos, hominem,

hominem, quomodo v. gr. fiant sensationes; quoad Opera Dei cœlestia, corpora illa Mundi, astra, cœlum tertium &c. E veritatibus autem revelatis eas, quæ mysteria strictè talia sunt (§. 117.), cognituros esse dici nequit; naturâ rei id non aliter admittente. Ob cognitionis perfectionem vita futura *lux* potest dici, uti in veterum Hebræorum libris eam haud infrequenter nomine illô insigniri monet Cl. SCHOETGENIUS ad Joh. 8: 12.

Sch. 2. Ad 1. Cor. 13: 12. idem Vir eruditiss. notat, locutionem hancce semper adhiberi de revelatione Dei vel clara vel obscura; loca veterum Hebræorum complura adducit; porrò Judæos differentiam constituere inter specular lucidum & non lucidum, id est revelationem claram & non satis claram; priorem Mosi tribuere: locum prolixum è *Sohar* apponit V. D. & alia &c. Etiam notat, respici ad Num. 12: 6. 8. ἐν αἰνίγματι esse בחידת, πρόσωπον πρὸς πρόσωπον פה אל פה; in futura vita justos omnia per specular lucidum visuros esse Judæos tenere locis adductis probat Vir laud. Non multùm abludentia annotat ad dictum locum Rev. & eruditiss. ELSNERUS, sensum loci autem sic exprimit: »in hac vita obscu»riorem duntaxat in Verbo fidei exhiberi Dei tan»quàm in speculo imaginem, mysteriorumque exi»guam cognitionem, cujus luculentior & perfecta »cognitio reservata esset futuræ vitæ felicitati» loca hanc in rem egregia producit è Platone, Max. Tyrio, item & Plutarcho, *Isid. & Osir.*

Ad 1. Joh. 3: 2. idem Vir Cel. monet, profanos Scriptores inde suam accepisse videri ἀποθέωσιν, de qua & ὁμοιώσει illa cum Deo loca Scriptorum indicat.

Sch. 3. Duplex autem hîc movetur quæstio: nimirum 1. num cognitio unius major futura sit cognitione alterius, hinc num gradus in cognitione diversi locum habituri sint in diversis subjectis; 2. num cognitio unius ejusdemque subjecti major fieri seu augeri ac crescere debeat. Quod ad prius nil vetat statuere, fore gradus cognitionis diversos in diversis subjectis: quod inde potest deduci, quià status animæ post

post hanc vitam procedit ex eo hujus vitæ (*Met.* §. 925.); in hac vita jam gradus cognitionis, etiam apud eos, qui in statu gratiæ sunt, obtinent diversi; Scriptura quoque videtur suffragari: dum PAULUS diversos gloriæ gradus ponit 1. Cor. 15:41. quod utique & cognitionem respicit.

Ad alterum quod attinet, num cognitione crescere debeant, id itidem admitti potest ac debet: siquidem mentis finitæ natura ita fert ac postulat, cùm in ea involvatur, ut unum post alterum acquiratur: per (*Met.* §. 109. 783); & non possit non semper nova supeditari cognitionis materia, è consideratione operum Dei tàm magnorum ac multorum, finium item, quos Deus intendit, mediorumque, per quæ eos connexuit &c. Nec tamen inde concludendum, plenam non haberi beatitudinem: siquidem ad hanc omnino sufficiet cognitio, quam statim habebunt in statum felicitatis translati. Quod verò PAULUS dicit 1. Cor. 13: 8. γνῶσιν cessaturam, indicat cognitionem talem, qualis in hac vita, studiô & labore acquisitam, uti quoque sumit GÜRTLERUS *institut. theol. Cap.* ultimô §. 109.

Sch. 4. Lubet autem ad præsentis materiæ ulteriorem illustrationem advocare cogitata Auctoris Angli Tractatûs, qui in idioma vernaculum conversus sub rubrica: **Der glückselige Zustand der Auserwehlten in dem ewigen Leben, oder ---- wie die Seligen ---- in ihrem Wissen und Erkennen in Ewigkeit werden wachsen**; licèt non omnia Auctoris hujus, aliâs præstantissimi, nostra faciamus; uti & ipse *Cap.* 1. §. 4. 5. præmonet, de re se locuturum, quam pro certa venditare non possit, ideò modestè proponat; ibi §. 25. quòd res in cœlo præcellentes [ut præcellentia domûs Dei] omninò inservituræ sint ac spectent ad repræsentandas nobis perfectiones Dei; sic & res à Deo conditas, etsi virtute suâ inserviant conservationi nostræ, tamen & cognitioni ulteriori inservituras, §. 25. quod creaturæ facient ad electorum felicitatem, in eo constiturum, ut nobis præcellantiam Dei, divitias amoris ipsius, gratiæ &c. objicere debeant, §. 27. Scholasticos equidem immediatam Dei cognitionem statuisse, interim non omnes cum iis sensisse, §. 28.

Jam

Jam quæ *Cap.* 2. disserit Auctor, hûc redeunt, uti perfectiones Dei sint infinitæ, hinc exhauriri cognitione nequeant, item & Opera Ejus, animæ porro insita sit cupiditas insatiabilis semper nova noscendi, & tanquàm ens actuosum pertæsum fieret sui ipsius, nisi haberet, in quo semper de novo se exerceret, inde omnino semper ad aliam pervehendam esse cognitionem. Amplitudinem incredibilem operum Dei tàm quoad tempus quàm spatium, quæ omnem cognoscendi vim finitam superet, ad glorificationem Dei, tanquam supremum Ipsius finem, noscendorum, & è quibus ab uno ad aliud pii se transferre, ac ea percurrere possint, *Cap.* 3. edisserit; *Cap.* 4. agit de cognitione oculorum ope acquirenda, tantò majori ea, quòd beati corporibus glorificatis majori gaudeant celeritate & præsentiæ extensione; omnium locorum maximè in aula cœlesti objecta miranda percepturos, cognitu dignissimum interim fore Christum.

Cap. 5. de cognitione per revelationes Dei augenda, ubi de iis, quæ in hac vita incognita, prædictionibus rerum futurarum, ratione legum Divinarum &c. & beati, Deò revelante, noscere poterunt. *Cap.* 6. quòd & ex aliorum instructione beati cognitionem haustûri sint: quum non dubitandum, quin beati ac angeli cognitiones suas sibi invicem communicare possint, etsi modus nesciatur, interim rem factam esse in angelorum apparitionibus, §. 1 -- 5. quantam non rerum varietatem beati edocere possint [perpendi vult Auctor laud.] earum in Mundo, in Ecclesia gestarum: cùm in una periodo, v. gr. à creatione ad diluvium, in una regione, quæ gesta omnia, inexhaustam factorum segetem suppeditent, unde Sapientia Dei elucescat, benefacta in Ecclesiam, pietas, devotio in Deum accendatur &c. sic & ipsum tenebrarum regnum multa consideranda objicere.

Præter hæc & per ratiocinia seu discursivè cognitionem ulteriorem acquisituros ponit Auctor laud. *Cap.* 7. naturâ mentis ferente, ut è principiis consectaria deducere possit; beatos adhæc ardore plura noscendi menti insitô ideò etiam ferente ad incognita è cognitis deducenda, quum & Ratio ut domum à Deo concessum adhibendum esse ipsa sciat, ut ulteriùs progrediatur; beatos ideò hâc viâ spirituum naturam scrutaturos

&

& perfecturos, creaturarum corporearum seu operum Dei, res Divinas profundiùs rimaturos; de mysteriis plura quàm nos esse cognituros, eorum effigies ac repræsentationes in objectis compluribus aspecturos; creationis modum rationemque sic & resuscitationis à mortuis non ampliùs fore absconditam; neminem determinare posse, quòd myriades exemplorum, quibus cognitio augeri queat, vita futura suppeditare possit. *Cap.* 8. ad objectiones respondet Auctor: v. gr. quum cœlites sint perfecti, cognitionem ipsorum non posse perfici; aliquid nimirum posse esse perfectum vel simpliciter vel secundùm quid regerit; quietem beatorum non pugnare cum incremento cognitionis; nec felicitatem ipsorum minui per desiderium, conatum plura cognoscendi [uti & in seq. *Cap.* 10. p. 219. dicit, neutiquàm felicitatem cœlitum poni in creaturarum cognitione, verùm in cognitione Dei, amore Ejus, & quòd iterùm ab ipso amentur] nec repugnare 1. Cor. 13: 10 -- 13. quum nulla sit necessitas h. l. sumendi de initio felicitatis, præterquàm quòd duplex detur perfectio.

1534. Ex Intellectûs luce non potest non sequi rectitudo seu sanctitas Voluntatis, ubi nempe nullum obest impedimentum, *fideles* igitur *in vita futura erunt sancti*, & quidem *perfectè*, Apoc. 7: 14. siquidem nullum ampliùs erit obstaculum: dum corpus peccati erit depositum, vid. (§. 1498.); affectus inde & consuetudo, item illecebræ non ampliùs erunt, & cùm Deus felicitatem cœlestem conferat, ut glorificetur, per (§. 271.) conf. & dicta (§. 1533.), cœlites omninò perfectè id facient, ac apti reddentur. *Mutatio voluntatis.*

Sch. 1. Scil. tùm ob corpus depositum, tum ob aliud assumtum (§. 1515.), ac harmoniam mentis cum hoc (1506.), cogitationes erunt celeriores, vis cogitandi acuetur, & inde voluntatis Nisus; jam ante resuscitationem

tationem quià fons imbecillitatum per corporis depositionem obstructus est, & quod boni desiderii inest, inflammatur, non potest relinqui quicquam labis.

Etiam »quæ menti in hac vita imperavit voluntas, »eam illa secum in alteram vitam aufert; animæ si »voluntas Deo consecrata præfuit, talis permanebit; »---- sed cùm omnis finiti spiritûs voluntas post mor»tem repentè vehementissima evadat, in suo statu »talis evadat necesse est; piam quidem voluntatem »vehementissimè in Deum ferri eò magis oportet, »quòd, quæ ejus nisui in hac vita debilitando inser»viebant, corporis irritamenta, in sepulchro putre»fient» ita CANZIUS *Jurispr. Civ. Dei* §. 1130. 1133. qui & inde objectioni pro necessitate purgationis animæ post hanc vitam occurri posse monet, quâ objicitur, fieri non posse, ut anima ad sanctitatis Propositum leviter priùs composita statim ad felicitatem cœlestem & arctam cum Deo communionem admittatur: cùm sine perfecta sanctitate nemo Deum sit visurus, Heb. 12:4. nimirum qui ita ratiocinantur, non »intelligunt, omnem deliberatum animæ amorem, »eundemque paulò radicatum ac constantem, subito »post mortem sic accendi, ut nihil ardentius esse »possit; vicissim omnes propensiones, quæ invitas »animas occupant, quià oriuntur à corpore, cum »corpore in sepulchro deponi» ita id §. 1134. vid. & ib. seq.

Sch. 2. Sanctitas tùnc consummabitur tùm quoad perfectionem partium, tùm eam graduum, omnia tùm pii agent è solo motivo Deum per Christum glorificandi; quò ideò & pertinent hymni ab ipsis cantandi in laudem agni pro se mactati Apoc. 5:9. perfecta tùm erit libertas è cognitione Intellectus oriens: quippe effectu cognitionis distinctæ per nullum obstaculum impediendo: per (sch. 1.), amor Dei erit inde perfectus, amabunt Eum beati totô corde, totâ animâ &c. Matth. 22:37. ut & alios beatos tanquàm proximum, licèt amorem erga hunc non talibus actionibus, qualibus in hac vita ostensuri ob Statûs diversitatem.

Sanctitas talis constans continuò erit à Spir. S. inflammanda ac à Deo conservanda [licèt sine tendentia Naturæ præstitutæ vel elapsæ ad malum] corroborabitur

bitur per continuum exercitium, unde habitus firmissimus emersus; de sanctitate hac in vita futura etiam EWALD Himmel und Höll, 4te Betracht. p. 174 -- 197.

1535. *Conscientia hinc tùm prorsùs erit ac semper tranquilla:* namque dùm erit sanata à morsibus è peccatis in vita terrestri ante acta commissis orientibus (§. 1149.), & posteà non solùm nulla ampliùs erunt peccata sed adhuc perfecta Dei glorificatio (§. 1534.), Conscientia tranquillitate plenâ, suavissimâ constantique fruetur. *Status Conscientiæ.*

Ea tametsi in statu gratiæ obtineat (§. 1149.), tamen tenuis manet: dum respiscentiæ quotidianæ necessitas (§. 1184.) non admittit Conscientiam prorsùs tranquillam. Quantæ igitur tùm non orientur deliciæ è Conscientiæ tali statu exoptato! ubi Cœlitès in omni emphasi dicendi erunt ἐῤῥαντισμένοι ---- ἀπὸ συνειδήσεως πονηρᾶς, Heb. 10:22. item tales, quos cor ipsorum non damnet, 1. Joh. 3:21. 22.

1536. *In vita futura non ampliùs erit mors, non erunt morbi aut alia afflictio:* hæc enim omnia sunt mala è peccato & dispositione corporis peccaminosi, mortalis, orientia (§. 834. 835.), jam verò quia peccaminositas tùm prorsùs cassabit (§. 1534.), & peccata hujus vitæ per justificationem erunt abolita (§. 1144.), etiam mala omnia è peccato quomodocunque orientia prorsus cessabunt: quum & dispositio corporis, quali cœlites per justitiam Divinam gaudebunt, ita sit futura, ut malorum aliàs orientium fons præcludatur (§. 1514. 1515.). *Absentia morborum aliorumque malorum.*

Scil. absentiam morborum à corpore resuscitato (§. §. 1514. 1515.) è præmio conferendo deduximus, hic autem illam ut præmium, nec verò ex iis §. §., sed è positionibus (§. 1534.) deducimus, ubi peccati absentiam probare anteà posita tulerunt; ut adeò circulus non sit commissus. Corpus cum anima sua insolubiliter tunc erit unitum, eritque Status moralitatis expers, causis dissolutionem aliquam determinantibus prorsus abfuturis: internis, corporis dispositione: externis: quum nil futurum sit, quod corpus affligere aut violentiam inferre posset.

Hinc perfectio corporis. 1537. Perfectio hæcce corporum beatorum in vita futura locum habitura seu perductio ad perfectionem appellatur *glorificatio corporis*; itaque & *corpus quàm maximè tunc glorificabitur*, seu *corporibus glorificabuntur beati.*

Vid., quod hûc itidem pertinet, (§. 1514. 1515.); hûc & pertinet, quòd splendor promittatur piis in regno Dei, Matth. 13: 43. gradus autem in hacce corporum glorificatione futuros dubitare non sinit PAULUS 1. Cor. 15: 39--41. agit de corporis in vita futura glorificatione EWALD Himmel und Höll, 6te Tractat. p. 273-290. Hic non incongruè annotari possunt, quæ CUDWORTHUS *Syst. intellect. Cap. 5. Sect. 3. §. 18.* nimirùm veteres Philosophos præcipuè Platonicos, animis seu animabus corpore solutis, quæ ab omni se purgassent libidine corporea, tertium corporis genus, utrôque [scil. crassô & aëreô] (sch. 2. §. 1508.) excellentius assignasse, *luciforme, cœleste* ac *æthereum* [nec solùm aëreum, ut illud prius] id esse ὄχημα animæ αὐγοειδὲν *luciforme*; Hieroclem id appellare ὄχημα πνευματικὸν, sensu eô, quo PAULUS 1. Cor. 15: 44. 46. [siquidem cum Christianis frequentiùs, quùm reliqui juniores Platonici, versatus fuerit, unde & aliô sensu quàm Philopono prius illud aëreum πνευματικὸν sit appellatum] uti corpus hocce præsens crassum ψυχικὸν ex 1. Cor. 15: 44. 46.

Nempe juxta Sapientes hosce animas jam extitisse, antequàm terrenis jungerentur corporibus, nunquàm etiàm

etiam sine omni corpore fuisse; ideò æthereum ipsis tribuisse, post quod anima assumserit aëreum, & tandem delabi in terrenum; illud [primum] Sapientes tenebant destructioni non esse obnoxium, hinc post mortem retineri; interim corpus id animamque purgari debere, unde καθαρμοὶ, mors philosophica, adjuvanda per telesticam seu mysticam disciplinam; mors hæc philosophica in eo consistebat, ut allaboraretur, animum fortissimis continuisque contemplationibus [seu Sapientiæ studiô] à corporis contagione ac consuetudine abstrahere; idem Vir Celeb. loc. cit. §. 19. & ibid. MOSHEMIUS. Adhùc quoad corpus illud πνευματικὸν memoratum addimus, quòd & veteres Hebræorum Magistri juxta traditionem antiquam narrent [in *Jalkut* RUBENI] fore tùm, die extremô, creaturam novam רוחניות *spiritualem*, SCHOETGENIUS *hor.* ad 1. Cor. 15:44.

1538. Homo itaque tùnc non solum ab omni malo prorsùs erit immunis, [ad quod & hostes omninò pertinent, hinc liberatio ab iis] verùm adhuc omni bonô, cujus Natura humana capax, cumulabitur. *Coroll.*

Atque id est, quod dicitur, beatitudinem futuræ vitæ consistere debere tùm in liberatione ab omni malo, tùm in possessione omnis boni, quod optari possit: bonitate Dei tùnc homini tantum boni tribuente, quantum hujus dispositio & capacitas admiserit; de liberatione ab omni malo EWALD Himmel und Hölle, 7de Betracht. p. 325 -- 365. Huc pertinet & Apoc. 7:16. ubi juxta eundem V. D. p. 332. 333. 335. 336. æstus ille loc. cit. memoratus desumtus à vento fervente, venenato, urente, cujusmodi in Oriente frequens, iter facientibus ac gregibus funestus; infernalis quasi, ubi turbinis instar spiret; cujus interim vis urens linteô madidô extingui possit. Ad hosce ventos alludi Esaj. 4:5. allusione ad eos iram Dei repræsentari Job. 4:9. 15:30. Esaj. 30:33. Satanam in talibus apparuisse, Job. 1:12. 19. innui per lucem meridianam Ps. 91:6. locum autem Apocalypticum desumtum

sumtum esse ex Esaj. 49: 10. conf. etiam Vir laud. *Emblem. S. Tom.* 2. *Lib.* 3. *Exerc.* 8. §. 12. & vid. quos ibi citat. Ad eandem ab omni malo liberationem pertinet quoque illud de lacrymis abstergendis ab oculis electorum Apoc. 7: 17. 21: 4. quo de *Exerc.* peculiari Vir Clar. modò laud. *Tom.* 1. *Lib.* 2. 4tâ, ac notat (§. 1.) esse desumtum ex Esaj. 25: 8. alludi autem ad moribundos ac mortuos, qui apud Veteres non solùm abluebantur, sed & quorum oculi ab amicis, familiaribus & cognatis absterſi claudebantur (§. 2.). Esse lacrymas in Sacris & profanis emblema luctûs ac tristitiæ, notare & animi sollicitudinem, porrò vitæ hujus miserias, infirmitates, Ps. 42: 4. 80: 6. 102: 10. commiserationis & affectûs tenerrimi erga miseros indicium esse, vid. 2. Sam. 19: 1. seq. Luc. 19: 41. seq. animi quoque pœnitentis, unde resipiscentiæ symbolum, vid. Vir eruditiss. §. 3-7.

Ad statum Ecclesiæ post hanc vitam ita tandem applicat loca illa §. 12. p. 187. »in emphasi autem »omnes lacrymas absterget Pater clementissimus post »hanc vitam in paradiso cœlestis gloriæ; tùnc dolor »ac luctus in gaudium æternum, curæ ac anxietates »in pacem animæ, quæ omnem Rationem transcendit; miseriæ calamitatesque hujus vitæ in delicias & »recreationem, immò abundantiam bonorum cœlesti»um, persecutiones gravissimæ in tranquillam animi »& corporis quietem; suspiria gemitus ac desideria & »resipiscentiæ dolores in æternam animæ in gremio »Dei largis solatiis accumulatæ felicitatem ac exulta»tionem permutabuntur. »

Voluptas perennis, gaudiumque summum.

1539. *Voluptate* ideò *non solùm durabili fruentur electi, sed & gaudiò perfundentur maximò:* ubi enim quis perfectionis suæ sibi conscius est, seu bono se frui sentit, tunc voluptate afficitur (*Met.* §. 404.); & ubi perfectio è boni fruitione resultans fuerit magna, nec amittenda, inde major voluptatis gradus, seu gaudium, hinc & pro ratione boni tantò majus, non potest non oriri.

Sch. 1.

Sch. 1. Vita futura ideò & vocatur χαρὰ *gaudium* Matth. 25:21. quæ vox & convivium notat: cum convivia sint ac semper fuerint materia locusque gaudii; sicuti & sub emblemate convivii vita cœlestis proponitur Esaj. 65:13. unde quoque in antiquis Hebræorum libris *convivium* vocatur, notante SCHOETGENIO ad Matth. 8:11. Ad gaudium electorum indicandum cantica ipsis etiam adscribuntur: vid. ex. g. Apocal. 14:3. quæ gaudii indicia semper habebantur, vid. v. g. Ps. 13:6. 21:14. 33:3. uti & post reportatam liberationem ab hostibus ac victorias cantica canere moris erat, Exod. 15:1. seq. Jud. 5:1. seq. cùm jam electi liberationem consecuti sint ab hostibus, ac super eos [peccatum, impios &c.] victoriam reportaverint, etiam canticum propterea triumphale iis convenit ac tribuendum. De vitæ futuræ gaudio aliàs EWALD Himmel und Hölle, fünfte Betracht. p. 220 -- 242.

Sch. 2. Perspicitur autem è dictis in anteced. & usque hùc, Statum hominis internum perficiendum fore in vita futura: externus enim nonnisi vitæ hujus necessitates involvit ac requirit; internus verò status per mentis facultatumque ejus & corporis dispositionem constituitur.

1540. Possessio ea boni omnis possibilis, Intellectûs Voluntatisque perfectio seu in Deo cognoscendo amandoque defixum studium, Conscientiæ tranquillitas constituunt, quod dicitur *communio cum Deo;* & quidem in hoc Statu, *immediata:* namque cum Deo, quià est Spiritus (§. 318.), homo non aliò modò nisi spirituali communionem habere potest, consequenter cognitione ac amore, nec non sentiendo effectus, seu perfectionem, quam Deus confert; uti *unio cum Deo* dicitur status ille, quò quis gratiosis Dei operationibus fruitur, hinc & *Arcta cum Deo communio.*

communio idem dicenda; ac *immediate* est appellanda, ubi sine intermediis aliis, v. g. operibus, uti in hac vita, & adminiculis, seu non mediantibus demùm talibus id producitur ac sentitur.

Sch. 1. Hæcce cum Deo communio exprimitur & per *aspicere faciem Dei*, Ps. 17: 15. vid. & Matth. 5: 8. 18: 10. Heb. 12: 14. 1. Joh. 3: 2. contradistinguitur visio hæc visioni per fidem [uti fides aliquando per *aspicere* exprimitur; vid. Psal. 34: 6. 2. Cor. 4: 18.] item visioni Dei in apparitionibus sub V. Test., vid. ex. gr. Gen. 32: 30. & quoque visioni Dei in operibus Ipsius tanquàm speculo perfectionum Divinarum, Rom. 1: 19. 20. uti hæc EWALD Himmelsl. p. 392.

Qui in seq. p. 394 -- 397. & notat, quòd aspicere in Scriptura designet α. cognoscere, 1. Cor. 13: 12. β. id amare, Ps. 101: 6. Jer. 5: 3. γ. aliquid sentire, percipere, cognitione cordis, Ps. 34: 9. delectari re aliquâ, voluptatem inde percipere Ps. 128: 5. Cant. 6: 10.

porrò p. 398. quòd locutio aspicere faciem Domini, præcipuè in V. Test., desumta sit tum è Cultu publico in tabernaculo ac Templo: ibi enim, qui Deum colere ac adorare volebant, coram Ipso apparentes, Eum quasi aspicere putabantur ac dicebantur, vid. Ex. 23: 15. 34: 23. Es. 1: 12. ac eò alluditur Psal. 42: 3. Apoc. 7: 15. tùm & desumta sit exinde, quòd is, qui alterum aspicere potest, eò ipsò intelligatur non procùl ab eo remotus; ut locutione illâ indigitetur propinquitas ad Deum, modò nempe naturæ Ipsius spirituali ac omnipræsentiæ convenienti, per gratiosas item Ejus operationes immediatas. Locutione illa quoque Deum considerari ut magnum aliquem ac potentem Regem: quippe »*videre faciem Dei* [sunt ipsa Viri eruditiss. verba *Emblem. S. Tom.* 1. *Exerc.* 11. quæ expressè *de visione faciei Dei* Apoc. 22: 4. §. 1.] »est metaphora à more Regum Orientalium desumta, »ubi Reges auro gemisque radiantes excelsis thronis »insidebant, & Majestatem suam servis manifestabant, »qui circa thronum & coram eo constituebantur, ve»luti servi coram throno Salomonis stantes, 1. Reg. »10: 8. &c. & §. 6. ut inquiramus, quid integra

»phrasis

»phrasis *videre faciem Dei*, quæ hìc de servis coram »throno Dei & agni constitutis adhibetur, indicet; »in genere hanc metaphoram desumtam conjicimus »à more Regum Orientalium --- in specie ad thro»num Jehovæ alludi sub V. T., in Templo per »שכינה erectum, quæ *Facies Dei* vocatur &c.

Jam uti magnam sibi gloriam ducunt subditi, ubi Regem suum videre ac aspicere ipsis contingit, ita beati summâ fruentur gloriâ, ac quòd illustriori frui possibile non sit, sentient, ubi magnum suum & æternum cheu! Regem gloriæ [cujus gloria immensa, ac omne, quod glorioſum, infinities superat, omnemque Captûs vim transcendit vid. ex. gr.] (§. 299. 335. *Met.* §. 932. 958. 1025. 1088.) aspicere semper poterunt; ineffabilem honorem!

Quæsitum autem etiam fuit de modo, quô beati Faciem Dei visuri sint, utrùm de oculis corporis an verô mentis intelligi debeat: posteriori verò modô intelligendum esse suadet 1. quià de visione mentis non possunt non intelligi verba Matth. 5: 8. siquidem & mundities illa, de qua CHRISTUS, est mentis; 2. quià visionem Dei per oculos corporeos Natura Ipsius spiritualis ac Infinitas (§. 318. 319. 322.) non admittit; nec Joh. 19: 25. de visione Naturæ Dei spiritualis verùm θεανθρώπε sermo est; etiam, quòd oculi corporei ad talem perfectionis gradum evehendi sint, ut Deus quâ essentiam videri possit, ejusmodi est, ut pro intelligibili haberi nequeat; uti & ubi Mysticus quis dixerit, se Deum intuitivè aliquando in hac vita cognovisse: interim visio Dei in futura vita omnino eam hujus vitæ superabit [uti & adhùc eam, quæ Viris θεοπνεύστοις contingit] quod phrasis *de facie ad faciem* 1. Cor. 13: 12. innuit; licèt nihilominùs gradus in illa futuri admittendi sint. Juvat autem hìc advocare, quæ Cl. HEUMANNUS *Meditat. de modo, quô visuri sumus Deum in vita æterna*, quæ Xma est in *Syllog. Diss. Tom.* 1. 1743. p. 224--241. ubi, postquàm præmonuisset, duplicem esse cognitionem substantiarum, *intuitivam & abstractivam*, hanc, ubi ex effectibus ratiocinando substantiæ alicujus existentia noscatur ac natura, qualis cognitio de Deo, anima; illam, ubi substantia quædam noscatur im-

mediatè, ac in individuo percipiatur &c. §. 1. 2. ad *visionem spiritualem* pergit §. 3. quæ sit, quòd spiritus immediatè cognoscant ac suô modô videant substantias spirituales & corporeas; quô modô & Deus cognoscat omnes res à Se creatas, Psal. 94: 9. neminem nostrûm equidem intelligere, quæ sit hujus visionis vel perceptionis ratio, quoniam mens nostra in hac vita nullam immediatè cognoscat substantiam nisi corpoream, unde spiritualis visionis nullam habeat ideam, non magis ac cœcus colorum; interim malè concludi, nullam dari, uti & cœcus malè judicaret quoad colores &c. probari visionem illam, tùm quòd Deus omnes cognoscat substantias, sine oculis &c. tùm quòd angeli se invicem cognoscere debeant, ac immediatè videre, quæ nos oculorum adminiculô.

Jam §. 4. ponit ac deducit Vir Cel., quòd mens aliquando propriis usura sit oculis ad videndum Deum, ùt spiritus visura Deum, facta ἰσαγγελίᾳ, ut spirituali visione Deum sit cognitura; intuitivam hancce de Deo cognitionem vel ejus visionem, quâ mens tandem gavisura, vocari à CHRISTO ὄπτεσθαι τὸν θεὸν Matth. 5: 8. βλέπειν τὸ πρόσωπον τοῦ πατρὸς, 18: 10. ὁρᾶν τὸ εἶδος αὐτοῦ, Joh. 5: 37. citat & 1. Joh. 3: 2. Apoc. 22: 4. quod huic vitæ denegetur Joh. 6: 46. 1. Tim. 6: 16. 1. Joh. 4: 12. ut inde loca priora de cognitione abstractiva capi non possint, hinc cognitionem intuitivam Dei à sola anima more angelorum faciendam innuant; quemadmodum & S. literæ distinguere doceant inter γινώσκειν τὸν θεὸν, quod in hac vita concessum, Joh. 17: 3. & inter βλέπειν, ὁρᾶν, ὄπτεσθαι τὸν θεὸν; illam Dei visionem intellexisse ac petiisse Mosen Exod. 33: 18. Producit dein §. 5. Vir eruditiss. veteres ac recentiores Ecclesiæ Doctores adstipulantes, ac doctrinam eam plenam consolationis pronunciat §. 6. non memoramus brevitatis causâ cætera, quæ ibi V. D. Facerent hûc & ea, quæ BUDDEUS *Theol. dogm. Lib. 2. Cap. 3.* ad §. 4. seu p. 475. 476. ubi hactenus dictis adstipulatur, licèt non ob ἰσαγγελίαν, ex hac sola rem solidè probari non posse tenens; lubet nonnisi quædam ad finem ib. ex eo apponere, ubi ita »ista autem, de qua loquimur, cognitio cùm naturæ, quantumvis perfectæ »& in pristinam integritatem restitutæ vires superet, recte

»rectè asseritur, lumine quôdam gloriæ ad eam opus »esse, quâ Deus Intellectum perfundit, & ad intuiti»vam illam Dei cognitionem aptum reddit; ùt enim »in statu gratiæ lumen aliquod gratiæ, quod objectis »spiritualibus cognoscendis sufficiat, requiritur, 1. »Cor. 2: 14. ita & in statu gloriæ sese res habet, po»testque de utroque statu intelligi, quod Psal. 36: 10. »dicitur: *in lumine tuo videmus lumen.*

1541. Vocatur status hicce *status præstitutus*, item *status gloriæ.* *Nomen Statûs hujus.*

Erit scil. actualis præstatio statûs restituti (§. 987. & seh.), seu ejus, quò hic tendit; erit status glorioſus non solùm & præcellens, electi erunt gloriâ coronati, verùm ad glorificationem Dei prorsus tendens ac eam plenè promovens.

1542. *Status hicce gloriæ durabit in æternum:* quòd si enim cessare deberet, tùnc aut electi eô iterùm excludi aut ipsi finem habere deberent; at excludi non possunt sine novo admisso peccato, jam verò peccatum tùm ampliùs locum non habebit (§. 1534.); quòd si verò ipsi deberent cessare, Deum Opus suum destructurum esse sequeretur, at id minùs admitti potest: Sapientiæ Ejus enim id minimè conveniret, cùm ita ipsam Sui glorificationem finiret, quæ tamen finis ejus supremus ac finis statûs præstituti: vid. (§. 271.), & dicta (§. 1533.); unde & Deus felicitatem sine fine fidelibus promisit absque ulla restrictione Dan. 12: 2. 3. Joh. 3: 15. 16. eique æternitatis epitheton apponi voluit: dum vocatur *vita æterna*, Matth. 19: 16. 29. *regnum æternum*, 1. Tim. 6: 16. 2. Pet. 1: 11. *domicilium æternum*, Luc. 16: 9. 2. Cor. 5: 1. *salus æterna*, Heb. 5: 9. *hæreditas æterna*, 9: 15. *Ejus duratio.*

Sch. 1. Unde etsi vel maximè locutio hebr. לעולם ועד Dan. 12: 3. per se non satis æternitatem probaret, tamen per expressiones illas in N. Test. satis ejus potestas determinaretur; præterquàm quòd, ubi de promissione agitur, promittens voces suas in omni emphasi sumere rectè præsumatur, interpretatione quoad favorabilia jure extendendâ. De æternitate vitæ futuræ etiam EWALD Himmel ꝛc. p. 599. seq. ubi & rectè eam exinde probat, quia Deus sit ac esse debeat Summum hominis Bonum &c.

Sch. 2. Quæ hìc de æternitate Statûs futuri, satis deduci possunt & jam continentur (§. 88. & sch. 1. ib. §. 522. sch. 1. §. 1497. §. 1515. 1536.), interim hìc expresse ac peculiariter ùt locô propriô, quoad vitam æternam ponenda fuêre. Inde simùl intelligitur ac ib. jam continetur, Statum gloriæ duraturum esse in æternum tum quoad corpus quàm animam (sch. §. 1536.). Inter Veteres ORIGENES quoad id in devia prolapsus, qui felicitatis etiam tempus certis circumscriptum esse terminis tenuit: dum animas ad perfectionis culmen evectas, ubi iterùm deflexerint, in corporis crassioris carcerem compingi statuit; è gentilium Philosophorum, Platonicorum maximè, de animæ circuitu placitis id hauriens.

Sch. 3. Notandum hìc adhùc venit, quòd, etsi gloria hæc sempiterna omne adeò studium ac laborem a piis præstitum superet [dum eorum obedientia brevis nonnisi fuit ac imperfecta] (§. 1183.), adeòque hôc respectu convenientiâ destituatur, consequenter nec Sapientiæ Divinæ prorsùs congrua videatur (§. 267. 269.), tamen cùm ratio ejus à glorificatione Dei, quæ perennis esse debet, desumta sit, sempiternam durationem non solùm admitti sed adhùc postulari; ut Sapientiæ Divinæ, quæ summum illum finem per omnia intendit (§. 270. 271. & sch. 2.) non disconveniat pro brevi studio perenne tribuere præmium, licèt aliâs in factis & acceptis, vel distributione non possit non respicere proportionem; cætera hùc pertinentia vid. (sch. §. 955.).

1543. Quum ſtatus gaudii durabilis conſtituat felicitatem (*Mor.* §. 52.), in ſtatu gloriæ autem maximum locum habeat (§. 1539.), ob bona, quanta poſſunt, maxima (§. 1538.), & hæc omnia ſint æternæ durationis (§. 1542.), ſequitur, *felicitatem poſt hanc vitam fore maximam intenſivè ac extenſivè.* *Beatitudinis gradus ſummus.*

Sch. 1. Inde & rectè vocatur *felicitas futura* (§. 1531.), item *felicitas alterius vitæ*; indigitant felicitatem, ſeu ejus involvunt Conceptum pleraque hujus ſtatûs nomina (ſch. §. 1531.); ubi quoad quietis nomen ibi memoratum monendum, quòd felicitas illa etiam per diem quietis, Sabbathum, fuerit præfigurata Heb. 4: 9. veteribus Hebræorum Doctoribus Sabbathum facientibus typum ac exemplar Seculi futuri poſt hanc vitam, uti loca eorum producit SCHOETGENIUS *hor.* in l. cit. p. 942 - 944.

Sch. 2. Non obſtante autem, quòd felicitas hæcce maxima futura ſit intenſivè ac extenſivè, tamen gradus in ea quoad diverſa ſubjecta locum habere poſſunt, ratione ſcil. intenſionis, ob ſubjectorum diverſam capacitatem; ſic & quoad corpora [etſi omnia à malo prorſus liberanda] (§. 1514. 1515. 1536. ſeq.) tamen diverſum poſſe eſſe ac fore ſplendorem, jam monitum (ſch. §. 1537.), uti & gradus perfectionis quoad Intellectum indigitati (ſch. 3. §. 1533.). Tales gradus etiam juſtitia Divina poſtulat, in diſtributione proportionem omnino obſervans, per (§. 269. 315.); Scriptura hinc gradus illos innuit ac docet Dan. 12: 3. 1. Cor. 15: 41. 42. vid., qui materiam hanc de gradibus in futura felicitate diſcutit, EWALDUS **Himmel und Hölle, ſechſte Betracht.** p. 290 --- 304. ubi præter dicta gradus illos etiam ſtabilire ſumit ex transfiguratione Chriſti, quæ glorificationis poſt hanc vitam præludium, & ubi alia erat claritas ac ſplendor corporis Moſis & Eliæ, Matth. 17: 2. ſeq. Luc. 9: 29. ſeq. Judæorum [Magiſtrorum veterum] quoad gradus in felicitate futura traditio ita ſe habet, quod primum

primum beatorum gradum obtenturi sint *ci* צדיקים *justi*; secundum ישרים *recti*; tertium תמימים *perfecti* vel *integri*; quartum קדושים *sancti*; quintum בעלי תשוב *pœnitentes*; sextum pueri tenelli, qui non peccarunt; septimum חסידים *pii*: uti hæc adducit eruditiss. SCHOETGENIUS ad 1. Cor. 15:41.

Consummatio in ea bonorum statûs gratiæ.

1544. Quandoquidem Bona piorum in hac vita seu Statu gratiæ fuerunt cognitio Dei viva per illuminationem (§. 1034. 1035.) seu vocationem (§. 1010.), Fides (§. 1071.), justificatio (§. 1119), adoptio (§. 1145.), conscientia salutis (§. 1202), vid. etiam (§. 1221.); electi autem in vita æterna perficientur quoad cognitionem (§. 1533.), sanctitatem (§. 1534.), fidem, justificationem, adoptionem, conscientiam salutis, dum vitam æternam, cujus jure priùs gaudebant, & quam sperabant, fiduciâ promissorum Divinorum nixi (§. 1098.), actu possidebunt tanquàm hæreditatem sibi legatam (§. 458. & sch.), sequitur, *bona piorum in vita futura consummata ivi.*

Fides ac spes lætâ ac beatâ commutatione in cognitionem intuitivam possessionemque abibunt; vid. autem 1. Cor. 13:8. 10. 13. Patet inde, rectè vitam futuram dici *beatitudinem æternam* [uti terminus hicce jam adhibitus] (prol. §. 38.) quippe pii Progressum ad perfectiones, quarum capaces sunt, non solùm continuarunt, sed & ipsas perfectiones sunt assecuti.

Ita scil. status gratiæ est inceptio operis: siquidem & introitus ad statum gloriæ, vid. (§. 1130. & sch. §. 1171. &c.); pertinet hùc inter alia locus 2. Cor. 5:2–4. quem eruditiss. SCHOETGENIUS ita παραφράζει v. 2. propterea suspiramus, *vestem cœlestem induere* »*de side-*

» *desiderantes* ; v. 3. *siquidem & nos induentes nosmet* » *ipsos* [in hac vita] *non nudi reperiemur* [in vita » futura] ; v. 4. *namque nos, qui in corpore sumus,* » *& gravamur, suspiramus, propterea quod non tam* » *volumus exui* [quemadmodum plerique mortem de- » scribunt] *sed potius superindui, ut mortale deglutia-* » *tur ab immortali.* » Notat nimirùm V. D., verba PAULI elucidanda esse è dogmatibus Cabbalisticis ; לבש (ἐπενδύσασθαι) notare *circumdari* re quâdam, aut *instructum esse*, locis in *Sohar* &c. בית (ὁικητήριον) ex hebraismo notare *vestimentum* ; ita בית אפי *velamen faciei &c.* ut phrasis memorata sibi velit, animam qualitate quâdam, tanquàm corpus vestimentô, indui vel instrui. Judæos animæ vestem tribuere tùm in hac tùm in altera vita ; utramque præexistere dicentes, h. e. animæ jam indutam esse, dùm adhuc sub throno Dei latet, necdum in corpus immissa est ; illam vestem nil aliud esse [locis quibusdam Vir. Cel. probat] nisi quod nos *imaginem Dei* vocamus ; post lapsum Adamum ac omnes homines eâ carere, quàmdiu in peccatis manent, & tunc *nudos* dici [loca aliquòt egregia Vir laud. profert].

Pios verò iterùm eâ veste indui, & tùnc Shekinam in ipsis incipere habitare ; illâ indutos Opera bona præstare posse. In vita æterna talem Vestitum animæ vel ornamentum futurum, quod propter virtutes in hoc Mundo exercitas ipsi induatur : necesse esse, ut anima tali veste induatur, quoniam eâ nondum induta Majestatem Dei intueri non possit [locis è *Sohar* munit V. D.] conferri vult 1. Cor. 15 : 53.

Ut facilè liqueat, Apostolo non de vestitu corporis verùm animæ sermonem esse ; & quàmvis vestis illa vel domus ipsi ἐξ οὐρανῦ esse dicatur, tamen non ex Judæorum sententia loqui, qui animas, antequàm in corpora migrent, in loco quodam [גוף dicto] versari volunt : locutionem quippe Apostoli originem animæ Divinam indigitare &c.

Coroll. 1545. Unde porrò & sequitur, imaginis Divinæ tùm non solùm fore restitutionem, sed & plenariam perfectionem.

Tum itaque pii ac fideles erunt δίκαιοι τετελειωμένοι, Heb. 12: 23. uti de statu gloriæ seu justis in cœlo locum hunc sumit LYDIUS *Agon. S. Cap.* 35. & concinit Tradutor Batavus præstantiss. in adjecta Nota.

Aliter autem paulò verba illa sumit erud. SCHOETGENIUS prolixâ Notâ illum locum *Hor. Tom.* 1. p. 993--1002. ex Hebræis illustrans; de statu gratiæ ferè hinc piis in hac vita exponens; quæ ideò, quum ad statum gloriæ non pertineant, hic memorare nolumus.

Inde laus Dei. 1546. Bona magna sine merito collata obstringunt ad gratitudinem (*Met.* §. 469.), & efficiunt, ut etiam aliis indicentur [præsertim ubi gaudium mentem occupat, ut hîc] (§. 1539.) virtutesque ac Opera benefactoris extollantur, quòd cùm dicatur *laudare* (*Mor.* §. 590.), *electi Deum laudabunt quàm maximè*, Apocal. 4: 11. 19: 5. quippe & gloria Dei, quam promovere omnibus viribus studebunt (§. 1533. 1534.), id secum fert.

Sch. 1. Corpus, quod accipient glorificatum (§. 1537.), in hunc finem cum membris gaudebunt facere instrumentum laudum Dei; unde ore enarrabunt magnalia Dei [siquidem &, cujus cor abundat, ejus os plenum est] auribus laudes aliorum, seu quas hi canent, auscultabunt &c. Non poterunt non beati considerare Opera Dei magnifica, fines, quos in iis intendit, media, queis fines assecutus; conscii sibi erunt, per quasnam vias mirabiles Deus se duxerit, ad fidem sanctitatemque perduxerit, præservando, retrahendo à peccato, remedia ejus immittendo &c. (*Sch.* §. 648.); unde perfectiones Dei, Sapientiam, bonitatem, potentiam vividè sentiendas, palpandas assequentur.

Inde

Inde non aliter fieri poterit, quàm ut plenô corde, integrô spiritu quasi animati, linguæ [ut ita dicam] frenum laxent, os operiant, in laudes Dei ex intimis cordis visceribus erumpentes, continuò eas repetant: quum nunquàm se satis, & ut par esset, Deum laudare posse convicti sint; de laude aliâs electorum seu studio Deum laudandi EWALD Himmel und Hölle, neunte Betracht. p. 436--470.

Sch. 2. Laudes scil. non solùm sed & laudum cantiones ac Cantica ipsis adscribuntur: vid. Apoc. 5:9--12. ob gaudium nimirùm etiam (sch. 1. §. 1539.).

Uti ob admirationem quoque Operum quorundam magnorum cantica canebantur, Psalm. 105:2. 3. jam Opera Dei, Christi, in salutem eorum clementer suscepta &c. ab ipsis considerandæ (sch. 1. 4. §. 1533.) eos instigabunt ad gloriam Deo ac Servatori accinendam &c. Non memoramus hîc quæstionem, num cœlites linguâ quâdam (eine Sprache) & quânam usuri, cogitataque sua, laudes, expressuri sint, quorum prius, seu aliquam tunc in usu fore linguam, EWALDUS l. cit. p. 441. seq. affirmat: quoniam cum corpore electi resuscitandi adcòque organis loquelæ instructi, & glorificatio Dei etiam corpore peragi debeat, 1. Cor. 6:20. glorificationis studium quoque per vocem articulatam illis tribuatur Apocal. 7:9. 10. 11:17. 12:10. unâ etiam nonnisi linguâ id peractum iri; quænam autem hæc lingua sit [quod posterius] è Scriptura elici nullô indicio posse.

1547. Inde & patet, *Ecclesiam tùnc fore triumphantem*: fideles quippe in terris constituebant Ecclesiam (§. 1302.), & quidem adhùc militantem (§. 1361.), cùm jam in Statu gloriæ vires in eum sint interituri finem, ut Deum Christumque glorificent ac laudent (§. 1533. 1534. 1546.), per hanc communitatem finis constituent Societatem, per definit. (§. 1355.); inde & Ecclesia dici possunt (ib.), in qua cùm *Qualisnam tùm futura sit Ecclesia.*

sit

sit gaudium ob liberationem à malo (§. 1538. 1539.), hinc etiam ob devictos hostes (§. 1538.), erunt Ecclesia triumphans.

Sch. 1. Hûc referri possunt ea loca, in quibus mentio victoriæ, licèt reportatæ jam ante Ingressum in vitam æternam 1. Cor. 15: 55. 57. 2. Tim. 4: 7. 8. Ap. 2: 10. 21: 9. hùc etiam pertinent vestes albæ, signum triumphi, Apoc. 3: 5. 7: 9. 14. item quòd manibus gerant spadices, seu sint palmigeri ib. 7: 9. de quo palmarum gestionis symbolo eruditiss. EWALDUS *Emblem. S. Tom. 2. Lib. 4. Exerc. 6.* ubi inter alia §. 3. quòd palma etiam gloriæ, victoriæ & vitæ æternæ symbolum sit; quòd priora notet apud Scriptores profanos, præter loca ipsa Auctorum etiam nummos ostendere; Martyribus S. apud veteres Christianos palmas tribui in sigillis & imaginibus in signum victoriæ; apud Romanos Victorum monumenta pel palmis vel Statuis sin strâ palmas gerentibus fuisse exornata; vid. etiam §. 12.

Sch. 2. Hîc loci non incongruum est quærere, utrùm locus aliquis peculiaris futurus sit, in quo Ecclesia hæcce triumphans seu electi felicitate illâ frui debeant ac possint; & si hoc, ubinam tùnc, seu quisnam ille debeat esse locus; an verò, ubi locus innuitur in Scriptura, nonnisi Status sit intelligendus.

Dici potest, cùm glorificatio & secundùm corpus futura sit (§. 1537.), locum etiam requiri; interim quoque dici potest, loci ipsius qualitatem & quomodo comparatus sit, non necessariò requiri ad felicitatem illam: siquidem, ubi felicitas ipsa perfecta habetur, locus ipse, ubicunque sit, tunc eô ipsô est locus felix, ac *cælum* nominari potest; ita & Cl. HULDRICUS Tigurinus auserles. Predig. p. 672 -- 674.

Non equidem repugnat, locum hunc posse esse novam terram, repurgatam à sordibus peccati (sch. 3. §. 1529.), in qua electi favore Dei modô augustissimô sint fruituri; interim melius est de talibus tacere, uti & BÜRNETIUS *de Stat. mort. & resurg. Cap.* 11. p. m. 249. seq. bene quidem dicit, non esse hominis, determinare ubinam beatæ hæ habitationes sint futuræ,

futuræ, quod verò addit, quum cœlum dicatur manſio beatorum 2. Cor. 5: 1. & hi hæredes audiant lucis Col. 1: 12. inde veroſimile eſſe, habitacula ipſorum non ſolùm ſupra lunam ſed & ſtellas errantes in cœleſtibus ſpatiis fore, ubi lux æterna dominetur, & quoniam CHRISTUS dicat, in domo Patris ſui multas eſſe manſiones Joh. 14: 2. inde probabile eſſe, cuilibet beatorum familiæ ſuum proprium fore locum, id, inquam, aliis modeſtè dijudicandum relinquimus, vel & meliùs vitæ futuræ reſervatur. Innumerabilia Omnipotens Deus loca in Univerſo poſuit (ſch. 2. 3. §. 506.), ubi Majeſtatem ſuam tanquàm in aula cœleſti, loco ac ſtatu immortalitatis felicisſimæ [mali adeò omnis experte] piis poteſt intimare; nec opùs eſt quærere, num creaturæ vorticis unius inde in alium ſint transferendæ; ſaltem quando locus felicitatis dicitur eſſe ſuprà, ſupernè, id nititur τῷ apparenti: cùm quælibet cœli regio iis, quorum capiti imminet, ſuperna videatur ac dicatur &c.

Vocatur autem locus hicce vel Status futuræ felicitatis v. g. *domus Patris, in quâ multæ manſiones*, Joh. 14: 2. *Civitas Dei viventis*, Heb. 12: 22. *Mons Domini*, Pſ. 15: 1. analogiâ à Civitate ac monte Sionis in V. T. petitâ, ubi Deus præſentiam ſuam modò peculiari teſtatam faciebat, vid. (ſch. 1. §. 1379. ſch. 2. §. 1419.); *ſinus Abrahami*, Luc. 16: 23. quo de aliquid (ſch. 2. §. 1417.); *tugurium æternum*, Luc. 16: 9. præcipuè verò *paradiſus*, Luc. 23: 43. Apoc. 2: 7. circa quam appellationem hìc commemoramus ex WINDETO *Sect.* 7. p. m. 104. ſeq. vocem פַּרְדֵּס ter in V. T. occurrere, ſcil. Neh. 2: 8. Eccleſ. 2: 5. Cant. 4: 12. ac omnibus locis pro horto ſumi; ter etiam in N. T. occurrere, ſcil. præter loca modò cit. 2. Cor. 12: 4. & ſemper cœlum notare; paradiſum dictum eſſe & גַּן עֵדֶן ab eo, in quo primus homo poſitus, *inferiori* [Judæis] appellato, uti illum *ſuperiorem*, quò animæ piorum [oppoſitè etiam ad τὰς בֵּינוֹנִים *mediocres*] ſine mora ac luſtratione in Gehenna ſuperiori ſe recipiant. De appellatione גַּן עֵדֶן pro ævo futuro V. D. p. 120 -- 123. Eò & pertinet, quòd Vir eruditiſſ. animas juſtorum à Judæis collocari notet

בכסא כבוד *in solio gloriæ* p. 126., quod solium & ipsis dicatur גלגל ערבות *cœlum Araboth*, item גלגל העליון *cœlum supremum.* Etiam Arabes animas locare in umbra solii Divini, paradisum, regnum cœlorum, pro beatitudine post hanc vitam ponere, p. 132. seq. *Sch.*

Lubet quoad paradisi appellationem apponere quædam Cl. SCHOETGENII in Luc. 23:43. verba, ubi postquam monuisset ac ostendisset vitam æternam cum paradiso à Judæis comparari, dein ita » neque est, » quòd hîc quisquam objiciat, ex crassis Judæorum » fabulis & traditionibus malè hæc inferri: hoc e- » nim notandum, plerasque istas traditiones veræ & » antiquæ Judæorum Theologiæ esse reliquias; illa » verò Theologia verbis symbolicis, allegoricis & me- » taphoricis constabat; quæ locutionis in N. T. & » præcipuè in Apocalypsi Joannæa retinentur. » Quemadmodum verò illi Christiani contra omnem » Rationem agerent, qui hæc corporaliter & crassè » explicare volunt, sic etiam tale quid in Judæis po- » steriorum Seculorum minimè est tolerandum. »

Non addimus hîc de loco felicitatis ex Græcorum opinione, *Elysio*, quo de WINDETUS eruditè l. c. p. 142.-- 151. Memoramus tantùm, quòd translatio in statum illum vel locum felicitatis appositè proponi possit sub migratione civium ex una territorii ora in alteram, uti fit à Cl. CAÑZIO *Jurispr.* &c. *Sect.* 3. *Cap.* 3. Studeamus omni vitium *Sch.* nisi & indefatigatô conatu pervenire in admirabile id beatorum habitaculum!

Concentus angelorum cum piis in Deo laudando.

1548. *Cum electis* autem *simùl & angeli Deum glorificaturi, laudaturi sunt, atque inde orietur beata illa cœlitum Societas:* angeli hoc facient in statu gloriæ, tantò magis, quòd jam in præsenti statu faciant (§. 553.), quià verò omnes hi, tàm electi quàm angeli, eòdem tendent, eidem fini promovendo erunt intenti, eò ipsô constituent societatem.

Sch. I.

Sch. 1. Societas hæcce sine dubio indicatur à PAULO Heb. 12: 22--24. ubi locutione *multa angelorum millia* respici ad rem militarem observat EWALD Himmel und Höll, p. 537. exercitibus divisis ac subdivisis in 1000. & 10000., quò & alludatur Cant. 5: 10. porrò memoratur Cœtus primogenitorum, per quos idem V. D. p. 544. intelligendos judicat Patriarchas & Prophetas: quum Israël nominetur filius Dei primogenitus Exod. 4: 22. insuper memoratur Deus judex omnium, ad quem in diebus N. T. fiducialiter credentes appropinquare possunt, spe tandem propiùs adhùc ad eum accedendi; dein nominantur spiritus justorum perfectorum, de quibus jam aliquid dictum (sch. §. 1545.); ad eos venerunt Hebræi, dum idem cum illis habebant studium pugnandi pro fide Heb. 12: 1. seq. ac spem hæreditatem cum illis eandem adeundi, uti & aliquando in Scriptura, qui bonum quoddam certò reportaturus est, id jam possidere dicitur; nisi quis cum Cl. SCHÖTTGENIO spiritus illos interpretari velit per homines spirituales, qui Spiritu Dei aguntur &c.

Tandem nominatur quoque μεσίτης Jesus, ad Hunc venerunt primò per fidem, quâ mediante certò perventuri erant in statum felicitatis illum, in quem ipse translatus fuit (§. 907. 908. & sch. 4.), juxta promissionem Ipsius Joh. 17: 24.

Sch. 2. Cùm electi tòt beatos consummatos pro sociatis [eâdem societate sanctâ junctis] habituri sint, ex intuitu perfectionis aliorum propria etiam voluptas non poterit non augeri, per (*Met.* §. 404. 407. seq.), hinc & gaudium (§. 1539.), ut tantò magis Deum sint laudaturi, celebraturi &c. Hic quoque quærunt Theologi, num ex hac electorum societate unus alterum agniturus sit, uti se invicem agnoverunt in hac vita; aut num præterea futurum, ut noscant fideles in Scriptura celebratos; affirmant id quidam ex. gr. EWALD Himmel und Höll, p. 558. seq. idque 1. ex historia transfigurationis Christi, in qua Petrus, Jacobus & Johannes Mosen ac Eliam agnovisse videntur. etsi quidem tantùm dicatur, quòd ipsis apparuerint; firmiùs id concludi potest è parabola de divite ac Lazaro, Luc. 16: 19. seq. item ex 13: 28, ubi ulu-

latus apud impios futurus dicitur, cùm viderint Abrahamum, Isaacum & Jacobum in regno cœlorum versantes, se autem exclusos; adeòque si damnatis agniti fuêre, multò magis beatos se invicem agnituros intertur. Quià verò corpus in statu hoc erit glorificatum (§. 1537.), adeòque ex ejus tùm temporis similitudine cum Forma in præsenti vita agnitio hæc non videtur sequi, per immediatam Dei revelationem id locum habiturum esse probabile tenent: sanè aliàs Abrahamus agnosci non potuerit, quià omnibus post eum viventibus de facto fuit ignotus.

Objicitur autem, voluptatem ac gaudium electorum imminui oportere, cùm viderint felicitate exclusos ex iis, quibuscum familiariter in his terris versati, aut qui aliàs ipsis chari fuerint; at respondent, omnem talem conjunctionem ac relationem, qualis fuit in hac vita inter familiares, cognatos &c. tunc effectu ac influxu omni carituram, solam è contrà, quæ ex fide venit, seu spiritualem fraternitatem tùnc vim habituram esse; interim hæc & alia ipsius vitæ futuræ luci majori sunt relinquenda; quilibet verò videat, ut seipsum agnoscat ejus hæredem! conf. 1. Joh. 3: 3.

Pœna impiis irroganda. 1549. Quandoquidem verò etiam pœna distribuetur post judicium ultimum (§. 1530.), non-credentibus impœnitentibusque denunciata, Marc. 16: 16. Heb. 2: 3. 10: 26. conf. & (§. 1129. 1131. 1171.), *impiis ante omnia excludentur felicitate illâ* (§. 1531.) *ac cœlitum consortiô* (§. 1548.): unde ejiciendi quidam dicuntur Matth. 8: 12. à communione Dei scil. (§. 1540.), societate electorum angelorumque, in tenebras exteriores, ib. & 25: 30. ac extùs [ubi nulla participatio de arbore vitæ Apoc. 22: 14. consequenter vitæ cœlesti &c.] esse canes, & omnis diligens mendacium, ib. v. 15.

Sch. 1. De filiis regni ejiciendis Matth. 8: 12. vid. Ewald Himmel und Höll, p. 699. seq. de ejectione in

in tenebras exteriores ùt symbolo pœnarum infernalium idem Vir eruditiss. peculiari *Exercit. Emblem. S. Tom. 1. Lib. 1. Exerc.* ubi §. 1. notat, quòd tenebræ variis locis statum damnatorum significent, Matth. 8: 12. 22: 13. 25: 30. 2. Pet. 2: 17. Jud. v. 13. uti & apud profanos Scriptores Status mortuorum ac damnatorum sub tenebrarum symbolo proponatur, unde HOMERI αἰδης & ἀνήλιϑον δόμον, LUCIANI ζοφερὸς καὶ ἀνήλιϑος τόπος, sic & Job. 10: 21. 17: 13. §. 3. porrò §. 2. esse Interpretes, qui per tenebras illas exteriores alludi velint ad tædas, lychnos ac faces in cœnaculis ad convivia nocturna accensas, ita CLERICUS [qui & vid. ad HAMMOND. & *Art. Crit. P. 1. Cap. 1. §. 3.*] melius interim teneri, allusionem desumtam esse à valle Tophet, quæ tenebricosa, nigra, & vocari *exteriores* [illas tenebras] quià locus hicce horridus extra Hierosolymas, unde quoque extra Hierosolymam mysticam locentur vel rejiciantur canes &c. Apoc. 22: 15. §. 9. unde patet, rectè talia loca adduci pro exclusione à felicitate cœlitum ac eorum consortio.

Eadem hæcce exclusio dicitur quoque juxta Virum laud. Himmel und Höll, p. 695 --- 697. *deleri è libro vitæ*, Ps. 69: 29. Apoc. 3: 5. *exspui ex ore Domini*, vers. 16.

Sch. 2. Exclusio hæcce à felicitate, seu ejus carentia ac privatio, constitueret adeò *pœnas privativas* vel *damni*, ùti & discrimen intercedit inter hanc & illam sensûs, quo de aliquid (sch. 2. §. 837.).

Sch. 3. Quoad illam exclusionem è felicitate post hanc vitam commemorare hùc pertinet Veterum opinionem de animabus tàm bonis, quàm malis deducendis, de qua WINDETUS *Sect. 6.* p. 95 -- 99. scil. negotium id obire ac illis adstare ductores angelos; malis quidem deducendis Principem angelorum malorum, in Apocryphis ENOCHI σεμιαζᾶν appellatum, in *Talmude* אשמדאי *Asmodæum*, alibi frequenter סמאל.

Græcis animas ad inferos trahi à lictoribus Furiis ad Diras tortrices, quæ licèt angelis malis Hebræorum respondeant, tamen & quàm maximè ab iis differant. Pias verò mentes à Michaële & geniis προπομπεῖς deduci; conferri vult Vir D. Luc. 16: 22.

Ulterior. 1550. *Sentient* autem *impii* præterea & *actu mala*, seu *puniendi erunt animâ ac corpore :* quum enim mala perpetraverint & animâ & corpore, justitia autem exigat, ut malefacta puniantur (§. 315. 316.), pœna hæc ut super animam ac corpus se ostendat æquum est ac convenit.

Sch. 1. Status externus scil. tùm locum amplius non habebit, ut ideò quoad internum pati ac affligi debeant ; animâ etiam imediatè : quum & justitia humana id vellet, at ob defectum virium mediatè nonnisi & per corpus animam puniri ac affligere debet.

Sch. 2. Pœnæ hæ adeò sunt ac dicendæ *positivæ*.
Mortis secundæ nomen ferunt Apoc. 20: 14. ubi Cl. SCHOETGENIUS complura producit veterum Hebræorum de duplici morte loca, altera in hac vita, altera in futura ; ac mortem hanc posteriorem eos *iteratam* vocare notat, licèt aliquando etiam differentiam agnoscant inter mortem secundam ac infernum.

Sch. 3. Quòd impios pœna post hanc vitam talis maneat, quæ condigna, ex iis, quæ hinc inde dicta, satis probatur ; rectè, qui id probare volunt, probant è Sapientia Divina &c. interim tùm superfluè annectunt sanctitatem ac justitiam Dei : ista quippe aut cum justitia punitiva, vel legislatoria (§. 287. 315.), amore boni publici (sch. 2. §. 313.) eadem erit, aut notare debet summum perfectionum Divinarum gradum (§. 331. seq.) ; uti justitia involvit sapientiam (§. 313.). Natura peccati ostendit talem dari oportere pœnam, interim argumentum id recidit in illud à justitia Divina desumtum ; præsagium Conscientiæ bene quoque advocatur, attamen si inquirendum, num præsagium id fundamentò nitatur ac firmò stet talò, fundamentum ac firmitatem arcessere oportebit è justitia Divina, unà cum peccati turpitudine intrinseca ac Lege Dei immutabili : vid. (§. 82. 83.).

Ex

Ex hisce considerationibus gentiles pœnas post hanc vitam statuerunt, vid. præter multos Recentiores ac & Veteres EUSEBIUS *præpar. Evang. Lib.* 2. *Cap.* 20. Hùc pertinet, quod Venerab. MOSHEMIUS notat *Observat. de corporibus animorum* [inserta Operi Cudworthiano] §. 9 -- 11. vetustissimam disciplinam tulisse, animas rationales, junctas eum sentientibus seu simulachris, in locum inferorum detrudi, eò quòd sordibus vitiorum pollui se passæ sint & ultrò polluerint; quasdam autem adhùc sanabiles, in locum quendam pervenire, ubi purgationibus per ignem sanari possint; ut triplex monstratus fuerit locus post hanc vitam: 1. locus felix [*Elysium* & dictus, vel *campi elysii*, à hebr. עלין *latus*, uti doctè BOCHARTUS *Chan. Lib.* 1. *Cap.* 34. p. m. 664.] 2. locus purgationis; 3. Tartarus. Quòd & quomodo jam [juxta illam disciplinam] Judices inferorum agnoscant vitia, quibus animæ in hac vita se fœdarunt, jam memoratum (sch. 2. §. 818.), & quam in rem Vir Cel. loca PLATONIS ac PLUTARCHI affert. De judicibus iis Rhadamantho, Æaco, Minoë, vitia ita perspicientibus locum Platonis etiam exhibet EUSEB. *præp. Evang. Lib.* 12. *Cap.* 6. ubi vid. p. 579. Notat etiam Vir antèà laud., Poëtas vetustissimas opiniones additamentis exornasse ac depravasse, Philosophos autem reliquis suis Placitis accommodasse; & illos quidem [Poëtas] rem eam exornasse è vetustissima rerum gestarum memoria, unde Judices inferorum constituerint homines justos &c. vid. §. 14. Rationi autem de hisce rebus opinanti opem fert revelatio, [quod necesse, vid.] (§. 98. 109. 118.), perspicuè loquens de pœnis impiis post hanc vitam infligendis, in V. Test. ex. gr. Esaj. 33: 14. 66: 24. Dan. 12: 2. & magis adhùc in N. Test. Matth. 5: 22. 10: 28. 22: 13. 25: 46. Luc. 16: 27. 2. Thess. 2: 8. 9. & alibi.

1551. Pœna omnis cum in sensu imperfectionis, ægritudinis, repræsentationibus dolorosis, malorum propriâ culpâ accersitorum &c. *Quomodo impii se habituri sint quoad Intellectum.*

consistat, vel hæc involvat, adeòque vim repræsentativam certò modò affectam, vel Intellectum, præsupponat, *pœna impiorum* omninò *erit, quòd Intellectus ipsorum repræsentationibus perversis obruetur*, cogitationibus malis, *præjudiciis etiam ac ignorantiâ detinebitur.*

Sch. 1. Hâc Intellectûs dispositione impios laboraturos esse, variis argumentis probare sibi sumit EWALD Himmel und Höll, p. 745 --- 748: quæ autem suô locô relinquimus; interim benè monet, non talem locum habituram obtenebrationem, quæ extinguat aut notiones communes aut cognitionem Dei & sui-ipsius; cùm aliâs pœna sibi non constaret, siquidem ubi non cognoscitur aut Deus judex, aut Ejus justitia, aut quòd is ipse sim, qui quondam ita vel aliter egerit, pœna locum habere nequit, ut cuilibet facilè liquet; per ea autem aliæ dein præsupponuntur notiones communes.

Obtenebratio hæcce innuitur haud dubiè, ubi dicitur, quòd impiis asservata sit caligo tenebrarum in æternitatem, Jud. v. 13. caligo quippe ac tenebræ sunt emblema ignorantiæ, Esaj. 9:2. 60:2. Matth. 6: 23. 2. Cor. 4:6. etiam perversitatis seu malitiæ, Es. 5:20. Joh. 12:35. terroris item, anxietatis, Psal. 88: 7. 8. 112:4. item orientis inde miseriæ, calamitatis ac mortis, Job. 10:21. 22. 23:17. Apoc. 21:8. nec non & captivitatis [quæ species est, vel modus quidam determinatus miseriæ] Esaj. 47:5. Jer. 3:6. uti hæc Vir laud. p. 738--741.

Probatur autem Status ille Intellectûs, præjudiciis, ignorantiâ laborantis, repræsentationibus funestis occupari, probatur inquam & hôcce argumentô ex Ratione; quiâ scil. in anima Status è Statu sequitur (*Met.* §. 925.); unde [ut nunc de ignorantia loquamur] ubi in hac vita eâ quoad Deum ac res Divinas laboraverint impii, in ea post hanc vitam permanebunt: mediis gratiæ quippe, quorum ope ignorantia illa dispelli posset, tunc cessaturis; licèt semper cognitio, qualis modò dicta, remansura sit.

Eos autem impiorum, qui in hac vita cognitionem gavisi

gaviſi fuerunt ſufficienti, quin aliquando magnâ, eam amiſſuros eſſe in ſtatu infelici poſt hanc vitam non videtur; interim tantum aberit, ut ad felicitatem ipſorum aliquid facere debeat, ut è contrà infelicitatem illorum ſit auctura: quò plures enim quis noſcit veritates, quæ ipſi contrariæ, ſeu è quibus quid ſequi videt ac percipit, quod ad miſeriam ſui faciat, eò major exurgit miſeria; repræſentationes talium rerum procellarum ad inſtar mentes impiorum agitabunt ac tumultuari facient, vah miſeriam!

1552. *In voluntate perverſitas continuabit*: quippe dùm in anima ſtatus è Statu ſequitur (*Met.* §. 925.), ſi nempe nil impediat, & poſt hanc vitam media in regno gratiæ (§. 667.) à Deo adhiberi ſolita ac ſtatuta ad voluntatem flectendam (§. 1030.), vimque animæ aliter dirigendam (§. 1022), externa ac interna (§. 447. 1008. 1021. 1034. ſeq.) nulla ampliùs à Deo impendentur, voluntas eôdem modô diſpoſita manebit, quin adhuc perverſitas ejus obſtinatior evadet. *Quoad voluntatem.* Nec ad reſipiſcentiam eos perducet pœna ejusque ſenſus: quum in ipſo hujus ſenſu odiſſe quis poſſit bona, ob quorum intermiſſionem affligitur, è contrà amare mala, ob quæ perpetrata patitur; & tàmdiu oderit impius afflictionem, donec convincatur eam eſſe bonam, ac meliorem quàm malum perpetratum, ob quod immiſſa; at hæc convictio damnatis ingenerari non poterit: quià in hac vita per habitum mentis omnia è carnis, id eſt naturæ corruptæ (§. 1045.) judicio æſtimarunt, ut ſtatus ſequens non poſſit huic contrarius eſſe. Quòd verò afflictiones in hac vita piis talem ferant fructum

salutarem, per fidem eorum salutarem efficitur (§. 1150.), ac ejus tanto major gradus & spes requiritur, quò vehementiores afflictiones, jam fide tali prorsus destituentur damnati, ob statum animæ priorem, & insuper afflictiones erunt maximæ, ùt in seq. videbitur.

Sch. 1. Vid., qui maximam partem hæcce suppeditat, Cl. CANZIUS *Jurispr. Civit. Dei*, §. 919. b. c. e-- i. add. EWALD Himmel und Hölle, p. 774. seq. qui statum hunce damnatorum è Scriptura etiam probat, ita scil., quòd, dum obtenebratio de iis prædicetur (§. 1551. & sch.), è tali Intellectûs perversitate non possit non ea Voluntatis sequi, inde & Servatorem docere, tenebras hominem ineptum reddere ad bonum operandum, Joh. 14: 35. 36. porrò [ut reliqua taceamus] quoniam angeli mali tali careant spe, per identitatem rationis & impios ea debere carere.

Damnati igitur semper peccare pergent, quod ex instituto ostendere ac variis argumentis adstruere sibi sumsit Theologus Celebris JOH. FECHTIUS *Tract. scholast. de Statu damnatorum, quod actiones ipsorum, inprimis malas, concernit*; ubi p. 307. seq. hancce discussionem se instituere dicit ob Scholasticos & Parkerum, item ut aliæ veritates ac Scripturæ loca firmiter adstruantur, considerationem inferni quoque efficere, ut eò magis homines eum effugere allaborent, quam in rem egregium ac prolixum è Chrysostomo locum adducit.

Quæstiones autem de damnatorum Statu ex Luc. 16: 23. seq. tanquàm maximè luculento loco determinandas esse monet p. 340. Jam sententias circa quæstionem propositam ita distinguit ac enarrat p. 31-33. quòd 1. quidam ἐπέχουσι; 2. alii habituali tantùm peccatô damnatos obstrictos teneant, in actum autem non erumpente, impediente id pœnarum atrocitate, ita Bonaventura; 3. alii ne habituale quidem admittant, ita Parkerus; 4. alii in contrarium ruentes flagitia maxima, uti odium Dei, blasphemiam &c. damnatis attribuant, quæ verò apud ipsos peccata

non

non sint; 5. tandem & alii damnatos peccaturos asseverent. Huic ultimæ sententiæ & ipse non solùm adstipulatur, verùm eam prolixè firmat p. 34 --- 110. ex. gr. ex Apoc. 16:9. ex obstinatione voluntatis damnatorum; ex eo, quod nulla iis conferenda sit gratia; è voto illorum, quò vellent, se non esse, seu in nihilum redigi, Matth. 26:24. Apoc. 9:6. ut alia taceamus, quorum plura cum anteà dictis aut conveniunt, aut in ea resolvuntur; argumenta sua dein & ab exceptionibus liberat p. 171 --- 218. nec non in seq. p. 218 --- 306. quæ pro sententia negante afferuntur argumenta, solvit; ubi & inter alia ad Rom. 6:7. p. 248 -- 258. respondet; hicce scil. locus agit de fidelibus justificatis [ùt nexus satis ostendit] qui carnem dein crucifigunt, hi corpus peccati in sepulchro demùm deponunt.

Sch. 2. Itaque etsi quis existimare posset, non esse firmiter probatum, nullam emendationis damnatorum spem relinqui, tamen anteà dicta contrarium ostendunt; per pœnas infernales adeò, seu qui in infernum detrusi, non sanantur, non habent pœnæ istæ salubrem ac lustralem vim, seu non sunt medicinales (sch. 2. §. 316.), quod Judæi & alii è Græcis ac Christianis veteribus & recentioribus volunt; de quo complura eruditè affert WINDETUS *Sect.* 8. & 9. ubi *Sect.* priori [quâ *de mediocrium statu* agit] p. 152. seq. notat, quòd Judæi mediocres (רשעי ישראל) in gehennam superiorem ablegent, ibi torquendos per 12. menses, aut usquedum satis lustrati, inde verò liberandos ad preces viventium pro iis, inter quas preces primas tribuant formulæ קדיש [agnoscitur purgatorium ac intercessio pro defunctis]; prævaricatores verò illos esse, qui è vita migrarunt, non actâ priùs pœnitentiâ, aut qui præceptum aliquod è 365. vetantibus transgressi; hancce Judæorum opinionem de peccatis post 12. menses condonandis quòd Christus ferire intenderit Matth. 12:32. nonnullos censere addit V. D. Porrò *Sect.* 9. [ubi *de Statu penitus impiorum*] licèt Judæi penitùs hosce impios in Gehennam detrudant, ibi in Secula Seculorum plectendos, tamen alios Judæos [recentiores ferè] in Secula solùm plectendos

tendos illos velle, ita ut & maculæ illorum abstergantur, p. 168. 170. 171. Contraria erat sententia eorum Veterum Rabbinorum, qui pœnitentiam post hanc vitam nullam ampliùs agi posse tenebant; quam in rem SCHOETGENIUS *Hor. Tom.* 1. in Matth. 25:46. locum prolixum ac egregium è *Midrasch Coheleth* producit, ubi id dicitur, ac præterea Mundus futurus seu status post hanc vitam assimilatur Sabbatho, præsens autem Mundus, seu vita hæcce, vesperæ Sabbathi [ante Sabbathum, Judæorum supputandi ratione]; jam nisi vesperâ hâc quid præparetur, ad comedendum nil suppetere; porro assimilatur terræ continenti ac Mari &c. Ad eruditiss. WINDETUM ut redeamus, ejus verba quoad effectum ac vim pœnarum infernalium juxta Judæorum & Græcorum opinionem digna sunt, quæ adscribantur, ita autem p. 172. » Judæi ---- plurimi »Gehennam ut Græci Tartarum non tàm ad Cruciatum »quàm ad emendationem profligatissimorum comparari statuunt, atque ultima illa remedia nonnisi ἐς τὰ »ἔσχατα νοσήματα, quæ aliâs corrigi non potuerunt, »adhiberi; ut noster HIPPOCRATES de morbis »corporeis monet; lege ORIGENEM περὶ ἀρχῶν » ------ qui eò planissimè alluserit; SIMPLICIUS »in *proœm.* vim tàm efficacem sermonibus Epicteti »adscribit, ut, qui istis non movetur, infernis tan»tùm Tribunalibus corrigi atque ad frugem perduci »possit -----» Interim quòd & quidam per pœnas illas sanari non possint, nec ullum inde fructum percipiant, in seq. V. D. p. 188. seu *Sect.* 11, ubi ita »Hillelianorum illud: *Dominus misericordiæ in»clinat ad misericordiam* [quò freti בינונים *mediocres*, quos PLATO τὰς μέσως βεβιωκότας vocat, »post certam lustrationem in cœlum recipi credunt] »ulteriùs protendit ORIGENES, cùm satis causæ »non perspiceret, quorsum veterum Cabalicorum at»que Academicorum opinionem mediam amputare »deberet: Divinam quippe Clementiam contempla»tus atque Tartareis pœnis lustralem ac salubrem vim »adscribens [ut Hebræi & Græci faciunt] etiam pro»fligatissimos, ἅπαξ δραστηρίους aliquando, quàmvis »longissimò temporis tractu sanari posse existimavit.

Purgatorium

»Purgatorium enim veterum Christianorum nihil »aliud esse præter Cabalicorum, atque Academico»rum opinionem dimidiatam cuivis ingenuo planè »liquet; - - - - - - - - Rabbinorum verò longè »vulgatior sententia est - - - - *nullus post mortem pœ»nitentiæ locus &c.*

1553. *Cruciabuntur impii quàm maximè Conscientiæ morsibus:* sine justificatione namque morsus hi non sanantur (§. 1149.), & cùm cognitionem distinctam non sint amissuri impii (§. 88.), inde omnino agnituri ac recordaturi sunt, quòd & quando in hac vita peccaverint, media salutis stultè neglexerint, infelicitatem sibi maximam animò obfirmatò accersiverint, unde tædium non poterit non oriri maximum, acerbissimum, à Conscientia consequente, in quo consistunt morsus Conscientiæ (*Mor.* §. 109.), itidem acutissimi. *Quomodo quoad Conscientiam.*

Sch. 1. Tales morsus impii sæpè jam in hac vita sentiunt, prænuncios futurorum (§. 836. & sch.), & omnino post hanc vitam mentes ipsorum occupabunt, sive Deum cogitent, sive seipsos respiciant, sive recordentur vitæ in terris actæ, ut haud difficulter perspicitur; vid. EWALD Himmel und Hölle p. 825--830. indigitantur hi per vermen non morientem, Esaj. 66:24. quâ locutione idem V. D. ib. p. 924. seq. respici vult ad vermes in cadaveribus, omnem carnem ad ossa usque rodentes; etiam תולעת notare sicùt vermem rubicundum, ita commaculatum culpis, quæ seu peccata sub ruboris emblemate repræsententur v. gr. Job. 25:4--6. conf. (sch. 2. §. 1379.). Ad eadem Conscientiæ tormenta referri potest quoque stridor ille dentium, Matth. 24:51. quo de peculiari *Exercit.* Cl. & eruditiss. EWALDUS *Emblem. S. Tom. 1. Lib. 1. Exerc. 7.* ubi §. 1. notat, hancce phrasin præterea occurrere Matth. 8:12. 13:42. 25:30. Luc. 13:28. Statum damnatorum innui: quum Matth. 13:

42.

42. sermo sit de rebus ἐν τῇ συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος, & 25: 30. de adventu judicis. Allusionem autem non desumtam esse à famelicis, quum non conveniat Matth. 13: 42. ubi de impiis ceu lolio v. 40. nec à crepitu stipularum in igne: siquidem id non admittant tenebræ exteriores Matth. 8: 12. nec & à stridore, quem frigus vehemens efficiat; eò quòd ignis jungatur ib. 13: 40. 42. inveniri omnium illarum phrasium allusionem in valle Tophet, quæ גיא הנום dicta & Gehennæ symbolum fuerit: convenire ei τὸ ejici foràs, quià ea extra Hierosolymam; convenire tenebras ob obscuritatem illius; stridorem dentium ob Liberorum igne immolatorum ululatum miserrimum.

Unde stridor dentium sit emblema desperationis ac gemitûs ob Conscientiæ dira tormenta, miserrimæ item quærelæ; porrò sit livoris invidiæque indicium; conf. Ps. 112: 10. impii scil. invidebunt beatis statum felicem &c. Luc. 16: 23. sic & indicium iræ ac indignationis summæ, conf. Job. 16: 9. Act. 7: 54. indignabuntur damnati sibi ipsis, Deo, ob sanctitatem Ejus &c.

Sch. 2. Per illos Conscientiæ cruciatus magis adhùc angentur impii, dum agitabuntur præterea desideriis hujus vitæ non explendis: cùm enim mens post hanc vitam mancipata maneat voluntatis inclinationibus affectibusque, queis in hac vita erat dedita, quin eæ post hanc vitam vehementissimè insuper evadant, uti dictum (sch. 1. §. 1534.), inde »impiam --- mentem vehe»mentissimè exagitari oportet, quòd amissô, cui uni»cè inhiabat, desiderii objectô, id est, rebus terre»stribus, non habeat ampliùs, quô possit exsatiari« uti loquitur Cl. CANZ. *Jurispr. Civit. Dei*, §. 1133.

Quoad corpus. 1554. *Corpore* interim *quòque excruciabuntur impii*: ob easdem quippe rationes, ob quas resuscitandum (§. 1504. 1505.), etiam cruciatibus affligendum erit; & CHRISTUS corpus etiam perditum iri in Gehenna exertè dicit Matth. 10: 28. adhæc

hæc sensationes vel perceptiones, quæ mentem mediante corpore afficiunt, innuit idem Servator, dum memorat sitim, Luc. 16: 24. ignem Matth. 25: 41.

Schl. 1. Interim quales præcisè dolores hi & Cruciatus corporis sint futuri, & quomodo in impiis excitandi, definiri nequit: locutiones scil. Scripturæ, quia à rebus hujus vitæ desumtæ, ideò propriè sumi non possunt; nominat v. gr. βασάνος Luc. 16: 23. Apoc. 14: 10. 20: 10. ὠδῖνες Luc. 16: 24. ὄλεθρον 1. Thess. 5: 3. πολάφυς Luc. 12: 47. 48. hùc etiam facit Esaj. 66: 24. quo de EWALD Himmel und Hölle, p. 914. seq.

Inanibus conjecturis super hisce non indulgendum, minùs imperiosis disceptationibus, potiùs quin id seriò agendum, ut Cruciatus hi effugiantur; probabiliter autem teneri potest, quòd corpora damnatorum, ut indestructibilia, speciem abominationis secum sint latura, cruciatibus per sensus introëuntibus affligenda, uti Vir laud. ib. p. 932. seq. Cruciatus doloresque corporis cùm etiam maximè igni ardoreque excitentur, ideò Scriptura Cruciatus impiorum post hanc vitam per sensum ignis urentis compluribus locis exprimit, ex. gr. Es. 66: 24. Matth. 5: 22. 13: 30. 42. Apoc. 20: 15. 21: 8. circa quem quærunt, num propriè talis nec ne intelligendus; SWINDEN Anglus in *recherches sur la nature du feu de l'enfer & du lieu, ou il est situé, Cap.* 4. illum propriè dictum esse defendit, cùm verba loc. cit. apertè id notent, quæ neutiquàm metaphoricè sumenda, & Judicis æqui non fuisset impropriè loqui, præsertim ad discipulos, quibus omnia explicabat, Matth. 13: 36. seq. 24: 3. seq. veterum etiam ac recentiorum Ecclesiæ Doctorum insignium complurium immò plerorumque eandem fuisse sententiam ostendit, testimonia quoque Veterum seu Patrum apponit. Cl. autem EWALD, ubi modò p. 966 — 976. præfert sententiam de igne impropriè tali: eò quòd Scriptura, quæ de futuro Statu, præsertim impiorum, terminis proponat impropriis, à rebus hujus vitæ desumtis; è loco præcipuo Matth. 25: 41. non posse probari ignem propriè talem, eò quod & diabolis præparatus dicatur, qui tamen ut

spiritus

spiritus igne affici non possint, sic & locutiones **Pfuhl der von Feuer und Schwefel brennet**, item illam Esaj. 30: 33. ut à rebus hujus vitæ desumtas intelligendas esse. Alii verò ignem & flammam inferorum propriè talem statuunt, quâ ut horribili materiâ sensus miserorum excrucientur, etiamsi ab igne nobis cognito diversa esse possit ac sit; ita paucis CANZIUS *Jurispr.* §. 561. g. De igne hocce etiam locus LACTANTII ab ELMENHORSTIO ad *Minut. Felic. Cap.* 35. productus, quòd sit diversus ab hoc nostro, quò ad vitæ necessaria utimur: dum sine ullis alimentis vigeat, nec admistum habeat fumum, sed sit purus ac liquidus, in aquæ modum fluidus; nec vi aliquâ sursum moveatur ut hic noster. Qui porrò Divinus ignis unâ eâdemque vi cremet impios & recreet, seu quantum è corporibus absumat, tantum reponat, sine ullo revirescentium corporum detrimento adurens ac sensu doloris afficiens.

Addimus adhùc, quòd etsi, ubi ignis, ibi ardor, æstus, interim tamen non solùm caloris sed & frigoris intensissimum gradum Hebræi ac Græci inferno tribuant: vid. WINDETUS p. m. 174 -- 178.

Sch. 1. Quum corporibus impii sint excruciandi, & verò corpus locum ac spatium requirat (*Met.* §. 52. 606.); inde ad quæstionem ducimur de loco inferni, seu num locus peculiaris & ubinam futurus sit, in quo impii sint cruciandi; prius, quòd locus futurus sit peculiaris quidam, probabilè omninò est, ac negari vix potest, ita & Clar. EWALD **Himmel und Hölle**, p. 949 -- 955. ubinam verò, definiri nequit, idem p. 976 -- 980. Nota hac de quæstione est sententia memorati modò SWINDEN, quam Tract. cit. pietatem aliàs ac doctrinam omninò spirante, ex instituto defendit *Cap.* 7. seq. scil. Solem esse locum inferni; argumenta pro sententia hacce, quæ plerisque paradoxa visa, desumit à natura Solis ignea, magnitudine ejus, situ in centro vorticis; quòd item maximè oppositus sit cœlo empyreo, vel ab eo dissitus; etiam quia fuerit primum ac præcipuum idololatrarum objectum, unde conveniens sit, ut è contrà deveniat locus punitionis; indigitari &

textu

textu Apoc. 16: 8. ubi angelus phialam effudit in Solem, ac ei datum fuit homines igne adurere &c. ad argumenta sibi contratia dein respondet *Cap.* 8 -- 10.

In terra, id est, centro ejus aut adjacentibus locum huncce inveniri non posse *Cap.* 5. ob defectum materiæ ad ignem requisitæ, dum scil. inde ab eo tempore, quò infernus subsistit, materia hæcce fuisset consumta, terra etiam ipsa &c. terræ interius porro ignem continere vix posse, potiùs aquam Psal. 24: 2. Job. 38: 8. montes ignivomos nil probare, ob paucitatem, & quia tantùm sint circa æquatorem, ac ùt canales, per quos ignis erumpat, considerandi &c. nullibi igitur locum probabiliter assignari posse nisi in Sole &c.

Antea etiam jam *Cap.* 3. memoraverat, ubinam alii, præsertim è Veteribus, infernum locaverint, Græcos eum locasse sub terra in loco spatioso & tenebroso; Latinos in spatiis subterraneis, immediatè sub lacu Averni in Campania; alios sub Tenaro promontorio Laconiæ &c. Christianos in visceribus terræ profundissimis.

Cum situ subterraneo, profundo convenirent appellationes, quibus Judæi inter alias Gehennam inferiorem, quò penitùs impii descendant, designant, qualis בור התחתיות *puteus infimus* [græcè ἄβυσσος] שאול תחתית ex Ps. 86: 13. item appellatio *Tartari* apud Græcos, qua de mox; quas & alias appellationes affert WINDETUS *Sect.* 9. p. 165. seq.

De situ inferni in Universo respectu cœli [beatorum sedis] Veterum opinionem lubet hujus Viri D. verbis audire, qui p. 194. seq. ita: » Ut ergo Divina Ma-
» jestas summam totius Mundi acropolin procùl omni
» vel umbra corruptionis tenet, ita naturæ sequiores
» perpetuis corruptionis vicibus obnoxiæ ad inferiora
» mundani tentorii vergunt; quò sensu *sheol* [quod
» nominis regioni naturæ corruptibilis tributum osten-
» dimus] - - - - locum humilem, oppositum cœlo,
» quod est altum, appellat Eben Esdræ; atqui Ge-
» henna etiam τῆς sheol ipsius infimus locus habetur,
» quem ------ *infima terræ*, vel *centrum terræ* pas-
» sim vocant ------ Aquis locum omnino
» infimum tribuunt, quò sensu aquæ subtus terram
» esse dicuntur Exod. 20: 4. - - - - è regione verò
» etiam Græci τὴν ἄδην [ùt vidimus] utpote Universi

»fæcem [ὑποσάθμην PLATO dixit, SYNESIUS »τὴν τρύγα κόσμικ] in ultimis habentes, Tartarum »ejus imum fundum faciunt.» Hanc in rem allegat V. D. Homerum, Hesiodum, Lucretium, Virgilium. Postmodum ita p. 198. »Regiam »ergò Divinam [quam Hebræi *cælum cælorum* vocant] »à Tartaro totâ Universi diametro secernunt: quò»circa Cœlo summam lucem tribuentes, Tartarum »τὸ σκότος τὸ ἔξωτερον *extremas illas tenebras* vocant, »quod inde longissimô intervallô distet &c.»

Quicquid sit de loco inferni, quem nemo definiverit, vocatur is vel status inferorum variis nominibus horrificum ac tremendum quid ferentibus, v. gr. τόπος βασάνε Luc. 16:28. φυλακὴ 1. Pet. 3:19. fornax ignis, Matth. 13:42. ignis cum sulphure, Apoc. 20:10. Gehenna, Matth. 10:28. ταρταρος 2. Pet. 2:4. circa quam ultimam appellationem [occurrit autem ταρταρώσας l. cit., ubi de angelis sermo] notat MOSHEMIUS *ad Cudworth.* p. 1097. non intelligendum esse cum Cudwortho & Windeto aërem nostrum tenebricosum seu atmosphæram: cum Scriptores Græci ταρταρον dicant vel universè locum subterraneum, in quo vivunt mortui, vel sigillatim illum locum, in quo crucientur impii; quam in rem memorat Auctores, apud quos ita occurrat.

Perennitas cruciatuum. 1555. *Pœna* autem *hæcce impiis prænunciata ac infligenda erit sine fine, perennis* Dan. 12:2. Matth. 25:46. ubi denunciatur oppositè ad beatorum gloriam, ut aut hæc non dicenda ac tenenda absolutè æterna, aut terminus *æternitatis* eadem in sententia ac periodo diversâ planè significatione sumendus; quorum verò neutrum admitti potest: non priùs, ob (§. 1542.); non posterius: cùm de nullo Scriptore id cogitare liceat, multò minus de θεοπνεύσοις, vid. (§. 169. 173.); cùm igitur Deus in Verbo suo pœnas impiis minetur, & clarè indigitet æternas, ipsi

ipsi verò nihilominùs, spretis minis, in impietate pervicaciter pergant, minæ hæ, adeoque pœnæ æternæ illis jure meritò infligi poterunt; tantò magis, quòd & post hanc vitam peccare semper pergant (§. 1552. & sch. 1.), adeòque per nova semper demerita continuationem pœnæ perennem sibi accersant.

sch. 1. Durissimum hocce de æternitate pœnarum post hanc vitam dogma multis videtur, quod bonitati, Sapientiæ Dei, hinc justitiæ Ipsius, misericordiæ &c. inde & sanæ Rationes dictamini adversetur, Deum faciat Tyrannum sæviorem omnibus, qui unquam in terris Tyrannidem exercuerunt; unde inter Veteres ac recentiores fuêre, qui non aliter posse ac debere statui judicarunt nisi finem habituras pœnas inferni, ac restitutionem fore [quo de mox] (sch. 2.); causantes, vel solam æternitatis considerationem horrorem animo incutere esseque vocem tonitruantem; pœnas illas, ut malorum physicorum omnium longè maximum, etiam maximam cum bonitate Dei conciliandi difficultatem parere (§. 309.): quum & nulla possit afferri benigna responsio, quomodo demeritum temporale cruciatibus nunquâm finiendis puniri queat; [siquidem nulla proportio & convenientia, quam tamen Sapientia summa vel maximè postulet] (§. 269.); & quomodo Ens optimum talibus creaturarum suarum, idque adhùc multò majoris earum partis gaudere possit &c. Ad objectiones hasce autem in seq. (sch. 3.) respondebitur, quemadmodum & ad loca Scripturæ in contrarium afferri solita, simul argumenta & positiones afferentur, unde solutionum fontes aperientur. Saltem è dictis (§. præs.) patet, quòd עולם Dan. 12: 2. & αἰώνιος Matth. 25: 46. æternitatem significent, etsi aliàs talem non semper innuant: conf. (sch. 1. §. 1421.), & quicquid alii circa phrases, quibus æternitas exprimitur, notent; uti & WINDETUS p. 172. æternitatem per phrasin αἰῶνας τῶν αἰώνων notari negat; eò quòd phrasis hebraica respondens de temporis spatio minore, licèt longo, sumatur; ac dein ita: »& in *Apocryphis* Enochi - - -

»diſertè legas: ἕως συντελέσθῃ τὸ κρίμα τῶ αἰῶνος »τῶν αἰώνων; quod, quôcunque intelligas modô, di»ci non poſſet, niſi æternitate quid minus ſignificaret: »συντελεσμὸς enim non competit veræ æternitati.

Impios ob continuationem peccatorum poſt hanc vitam etiam continuationem pœnæ de novo ſemper mereri, LEIBNITIUS percommodè in hacce materia propoſuit ac difficultatibus tollendis valere fecit *Theod. P. 3. §. 266.* ſeq. & in *Cauſ. Dei, §. 59.* rejiciens ùt falſum Scholaſticorum Placitum: meritum ac demeritum poſt hanc vitam locum non habiturum.

Damnati peccare ſemper pergentes eſſent adeò, quæ Veteribus dictæ mentes *inſanabiles*, & quibus propterea reditum ex inferno denegarunt; non pigebit erudita apponere WINDETI verba p. 173. »At inſanabiles »perpetuæ ſuæ miſeriæ nullum fructum reportant ipſi--- »*inſanabiles nihil prorſus utilitatis percipiunt, aliis verò* »*utilitas redundat, qui illos cernunt ---- revera illic in* »*inferno, ſeu carcere, in exempla ſuſpenſos, ut impii* »*eò pervenientibus perpetuo ſpectaculo ſint ac documento,* »hæc PLATO *in Gorgia*, & ſimiliter etiam in *Phædone* »& alibi. Tartaro itaque ----- σιδηρείας τε πύλας »καὶ χάλκεον οὐδὸν tribuit HOMERUS *Iliad.* 9. verſ. »13 ----- 15. ----- ----- *per hoc autem* [inquit »SERVIUS] *oſtendit, nullum de Tartaro ad Su»peros poſſe remeare, ne Numinum quidem favore.* »Socrates in *Phædone* ait: *inſanabiles incidere in Tarta»rum, ὅθεν οὔποτε ἐκβαίνουσι* ----- hinc *Alecto* è Fu»riis una audit, quòd ἀλήκτως καὶ ἀπαύστως commi»ſorum pœnas exigat, ùt PHURNUTUS notat.»

Sch. 2. Hiſtoriam dogmatis oppoſiti, ſeu de fine pœnarum poſt hanc vitam, breviter tradit BUDDEUS *Theol. dogm. Lib. 2. Cap. 3.* ad §. 17. p. 488 -- 492.

ORIGENEM ante omnes commemorat, ac ex HUETIO docet, quòd pœnis damnatorum finem ac modum impoſuerit, diaboli etiam averſam voluntatem conterendam voluerit; animas quoque ob peccata perpetuô circuitu ab imis ad ſumma & à ſummis ad ima iterùm revolvi, damnatorumque ſupplicia expurgationis causâ infligi. *Sch.*

Quòd

Quòd autem jam ante Originem JUSTINUS M., TATIANUS, IRENÆUS &c. desitura damnatorum supplicia voluerint, GROTIUM tenere BUDEUS l. cit. commemorat; plurimos verò Veteris Ecclesiæ Doctores Theologus hicce Cel. dicit locô 1. Pet. 4: 6. inductos esse, ut statuerent, vitâ defunctis apud inferos evangelium esse prædicatum. E Scholasticis JOH. DUNS Scotum asseruisse, quòd malignitas pariter ac pœnæ diabolorum sint desituræ.

SONERUM Socinianum dein commemorat &c. item quæ BÆLIUS quoad hancce quæstionem, originem mali & difficultates annexas tangentem; nec non quæ contra eum LEIBNIT., CLERICUS, KINGIUS, JAQUELOTIUS &c.

Strepitum per quæstionem illam in Ecclesia excitatum, quum ad finem Seculi superioris *æternum Evangelium ἀποκαταστάσεως universalis* prodiret, defensionem ejus suscipiente PETERSENIÔ &c. cum eo fecisse PAUL. SIEGVOLCK seu Klein-Nicolai Opere 1705. editô, uti pòst aliis adhùc Scriptis; nominat & dein ex iis, qui hosce refutarint; quorum quosdam mox dein nominabimus, ubi ad objectiones respondebimus. Addimus adhùc ex iis, qui contra dogma de pœnarum æternitate insurrexerunt, hinc fautores ἀποκαταστάσεως, TH. BÜRNETIUM, qui graviter contra illud dogma *de statu mort. & resurg.* p. m. 275. seq. item Auctorem libri famosi, ac dogmatibus revelatis contundendis scripti, *de la Religion essentielle &c.*

Monemus adhùc, quòd V. D. notent ἀποκαταστάσεως terminum ad opinionem illam designandam adhibitum è Stoicorum Philosophia desumtum esse, apud quos de magnis Mundi revolutionibus frequens mentio, ac ad ejusmodi denotandas vox illa in usu; vid. quædam (sch. 4. §. 1529.).

sch. 3. Afferenda nunc sunt, quibus occurri potest objectionibus contra pœnarum æternitatem (sch. 1.), objectiones item ipsæ sunt tollendæ; & priùs, quæ Rationis sunt, substernenda; aliàs Scripturæ loca firmiter adstrui ac vindicari nequeunt (sch. 1. §. 194.).

Commodè autem hîc occurrit Dissert. sub Præsidio eximii Theologi Halensis SIG. JAC. BAUMGARTEN habita ac defensa, inscripta: *vindiciæ pœnarum*

æternarum, oppoſita Auctori epiſtolarum ſur la Religion eſſentiel., Halæ 1742. & magis adhùc adducere confert cogitata ac obſervata, quibus quæ ibi habentur, deduxit JOH. ROD. WALTHERUS noſter [Vir uti rerum philoſophicarum ita & Theologicarum notitiâ ſolidâ, unà cum modeſtiæ ornamento conjunctâ, inſtructus] ac pro humanitate ſua mecum communicavit. Ubi ante omnia, quòd Deo jus competat peccata puniendi, ac velit punire, quia gloriam Ipſius obſcurent, ut punitio ſit medium gloriam hancce iterùm reſtituendi, vid. quæ hùc pertinent, dicta (§. 85. ſch. 1. §. 316.); damnatos converti ampliùs non poſſe: cùm nulla converſionis ratio nec in ipſis, nec in pœnis, nec in Deo; nil in jure Dei inveniri, quod poteſtatem pœnas infligendi æternas tollat; è contrà hinc, quàm diu peccata adſint non expiata, tamdiu ut pœnæ continuentur, requiri. Contra Auctorem *de la Relig. eſſent.* ponit, quòd mera creaturarum felicitas non ſit finis Dei, quum aliàs tanta eſſet concipienda, quanta ſunt Dei attributa, & creaturæ ſcalæ ad inſtar debeant eſſe ad Deum cognoſcendum, hinc felicitatem eſſe finem ſubordinatum; unde hic cedere debeat fini primario, etſi aliàs pœnæ æternæ pugnent cum fine Dei, quâtenùs vult hominis felicitatem; hinc & Deum jure pœnarum non excidere, etſi hominis utilitas inde obtineri ampliùs nequeat. Felicitatem creaturarum rationalium non poſſe haberi pro fine, qui ſub ultimo proximus: cùm pro tali nonniſi haberi poſſit, ubi creaturæ rationales tòt poſſident perfectiones, quòt in nexu cum aliis rebus ſtare poſſunt; ut felicitas, quæ gaudium ob perfectiones (*Mor.* §. 52.), ſit finis ab ultimo gradu quòdam remotus; creaturæ hinc rationales felicitate excidentes fruſtrentur non finem Dei ultimum, nec gloriam Dei externam minuant; pertinere felicitatem ad perfectionem hominis accidentalem, fundatam quâ talem in nexu rerum, tùnc autem à Deo poſtulari non poſſe, ut ipſi concreetur: quippe non finem ultimum nec ultimo proximum id requirere. Quòd felicitas creaturæ rationalis cedere debeat gloriæ Dei, id tamen nec defectum potentiæ nec Sapientiæ arguere: non hujus, quià finis tùm obtinetur primarius, exceptiones à regulis Sapientiam

pientiam produnt; non illius, quià est ordinata, sequens regulas. Quòd perversus etiam ab Auctore illo justitiæ Conceptus teneatur, ac si non & posset ac deberet esse internus, compensatorius, contra (sch. 2. §. 315.). Hæc Vir modò laud. præstantissimus. Ad loca Scripturæ, quæ Auctor *de la Religion essentiel.* producit, Actor. 3: 21. Rom. 5: 18. 1. Cor. 15: 22. Col. 1: 20. & alia, responderi facilè potest [quo de & mox quædam] quum scil. falsò præsupponatur, loc. iis agi de statu hominis post hanc vitam. Monemus priùs, damnatos pœnas etiam sempiternum patiendo satisfacere tamen non posse, ut liberarentur: »nam sicuti [loquitur CANZIUS *Jurispr. Civit. Dei,* »§. 1167. g.] qui oblatam sibi à Rege humano culpa»rum veniam recusavit, & postmodum æternis carceri»bus relinquitur, quibus jam anteà mancipatus erat, »carceris perpetui squalorem perpetiendo, detrectatæ »gratiæ jus denuò non consequitur; sic nec damnati »pœnis, quas sentiunt, æternis jus sibi acquirunt in »Dei gratiam redeundi, id est, non satisfaciunt Deo »plagarum tolerantiâ.

Lubet alia advocare contra hypothesin æterni Evangelii, quæ suppeditat [præter alia plurima hac de materia Scripta] *disputatio Theologica libellum recentissimum . . .* **das ewige Evangelium der allgemeinen Wiederbringung** . . . *examinans Præside* Fechtiô ZACH. GRAPIUS, Rostoch. 1699. recusa Vitemb. 1716. ubi v. gr. §. 4. quòd remissio peccatorum & justificatio nonnisi in hac vita juxta Scripturam obtingant, & quòd, ubi nulla Salutis media, ibi nec Salus, jam verò nulla talia post hanc vitam media, 2. Cor. 6: 2. Gal. 6: 10. ac vanè in contrarium afferri 1. Pet. 3: 18. 19. §. 18. sic lubricè objici Apoc. 20: 13. 14. vid. & (sch. 2. §. 1512.); ut alia prætereamus &c. Compluribus etiam & graviter hypothesin de fine pœnarum impiis post hanc vitam infligendarum impugnat SWINDEN *de l'enfer &c. Cap.* 11. sic [ut taceamus BUDDEUM *Diss. academ.* prolixâ *de pœna damnatorum nunquam finienda &c.* Jen. 1728.] EWALDUS hùc pertinet **Himmel und Höll**, p. 1042 - - - 1076. è quo saltem quædam quoad Scripturæ loca, quæ objiciuntur, & de quibus

V. D. p. 1060 -- 1076. adducere lubet; qualia sunt v. gr. Esaj. 24:22. 57:16. Ezech. 16:42. Hos. 13:14. coll. 1 Cor. 15:55. & Apoc. 20:14. Matth. 5:26. Actor. 3:21. Col. 1:20. & alia; quoad primum, ubi sententiæ adversæ fautores indicari volunt conclusionem damnatorum in carcere usque ad certum tempus, & visitationem dein eorum gratiosam, benè Vir laud. illô Cap. sermonem esse de vastatione Urbis Judæorum & terræ, cui convenienter ejectio eorum exinde, captivitas &c. designetur, minimè autem hic aliquid haberi de statu post hanc vitam &c. locis Ezech. 16:42. Esaj. 57:16. & aliis, quibus Deus non in æternum irasci velle dicitur, jure opponuntur talia, quibus è contrà æternum irasci dicitur, Mal. 1:4. unde patet, priora cum limitatione sumenda esse, tantò magis quòd respectu impiorum iræ Divinæ perennitas indicetur Joh. 3:36. præterquàm quòd illa loca de externis nonnisi judiciis loquantur [de quibus Deus remittit] vel & de fidelibus, uti locus Esajæ. Hos. 13:14. 1. Cor. 15:55. & Apocal. 20:14. de statu damnatorum agi gratis assumitur, præsertim illô PAULUS clarè de fidelibus loquitur; porrò [ut alia taceamus] si infernus ibi notaret locum damnationis, quid tùm notaretur per stagnum, in quod infernus conjiciendus dicitur: cùm stagnum id damnationis statum certò indicet? Matth. 5:26. vocula ἕως minimè solutionem quandam possibilem & futuram innuit, conf. Matth. 1:25. & præcipuè 18:24. seq. coll. 34. Act. 3:21. ἀποκατάστασις non respicit personas, verùm ea, quæ Prophetæ elocuti fuerant, prædixerant de Ecclesiæ ætatibus, conf. & ib. v. 22--24. item Luc. 24:27. Col. 1:20. per ea, quæ in cœlis, neutiquàm angeli intelligi possunt: boni enim reconciliatione nunquàm opùs habuerunt, mali verò uti & damnati nunquàm describuntur ùt in cœlis versantes, uti nec unquàm damnati ùt in terra; ut per ea, quæ in cœlis innuantur beati cœlites, animæ glorificatorum, per ea, quæ in terra, membra Ecclesiæ militantis. Præterimus brevitatis gratiâ alia loca, ad quæ Vir. ib. respondet, uti Rom. 5:18. 11:32. Apoc. 5:13.

Addi merentur quoad hancce materiam Archi Episcopi Cantuariensis TILLOTSONI cogitata, ex ejus *Sermon de l'éternité des tourmens de l'enfer*, Matth. 25' 46.

46. *Tom.* 5. Vers. gall. ab initio ; ubi pœnit æ. quòd in determinatione gradûs pœnarum non respiciatur nec qualitas aut gradus criminis, minùs adhùc tempus, quô aut quamdiu peccatum fuit, sed respiciantur rationes à scopo regiminis desumtæ, qui scopus postulet, ut pœnæ sanciantur aptæ ac sufficientes ad observationem legum ingenerandam reprimendamque eas violandi cupidinem ; 3. quòd is, qui minas denunciat, semper tamen libertate fruatur ac eam sibi reservet minas exequendi [casu emergente] aut non, vel & mitigandi ; uti è contrà ad promissiones præstandas obligatione teneatur ; 7. scopum præcipuum comminationum non tam esse vò punire, quàm efficere, ne eò usque deveniri oporteat ; ita & Deum agere ; hinc quò graviores sint minæ, per quas homines deterreantur a peccando, eò magis ostendi bonitatem, quæ prohibeat, quòminùs pœnæ reatum quis sibi accersat ; 8. quum Deus ita clarè miseriam impœnitentibus minetur æternam, omnes prudentiæ regulas nos adducere ad credendum, loqui Ipsum juxta literam, hinc executurum minas, si Ipsi pervicaciter resistamus ; ideò nos gerere oportere ùt noscentes terrorem Domini 2. Cor. 5:7. 8. inde quoniam Deus minando supplicia æterna voluerit homines præservare à legum suarum violatione, quis crediderit Ipsum in eadem revelatione, ubi minæ illæ extant, aliquid indicasse, unde concludi possit, Propositum stare, minas non exequendi, aut pœnas mitigandi : cùm, ubi quis de minarum executione dubitat, omnis legum nervus infringatur ; ut sine impietate nemo auserit docere aut persuadere contrarium ejus, quod termini, queis Legislator minas concepit, insinuant : siquidem id esset inducere homines ad miseriam, quam aliâs evitassent, ubi minas ad literam, & prout revelatio proponit, sumsissent.

Propterea obligatos esse nos omnes ad prædicandum & ad credendum terrorem Domini, non ut determinemus, quid Deus hâc in re sit facturus, sed ut minis convenienter nos geramus ; ac ne, posthabitis minis ignis æterni coacervemus nobis iram in diem iræ. Porro non esse opùs, ut solliciti simus de justitia bonitateque Legislatoris Divini defendenda, credendas solùm esse minas ac de iis effugiendis allaborandum, inde non habituros, cur eas, utcunque ter-

ribiles, metuamus; Deum semper rationem habiturum justitiæ suæ, ac tutò confidi posse, in executione minarum omnibus suis perfectionibus justitiam facturum &c. quantumcunque graves illæ fuerint, tamen impios non perpessuros, nisi quod voluerint pati ac sibi attrahere, ut non habituri sint, cur conqueri possint de Legislatoris severitate &c.

Unde desperatio. 1556. Quandoquidem itaque pœnæ impiorum semper continuabuntur (§. 1555.), adeòque malum semper seu continuò eos insequetur, hinc inevitabile futurum, *in desperationem omninò incident impii.*

Sch. 1 Desperatio aliâs dicitur affectus, qui oritur ob quodcunque malum, quod effugere quis nequit (*Met.* §. 477.); cùm jam in impiis, etsi pœna, seu momentum & pars temporis, quô pœnam senserunt, præterierit, tamen quia sequentia momenta eôdem se habebunt modô, adeòque mala renovabuntur, ea sunt inevitabilia, consequenter desperationem parient, hinc & [ob continuationem malorum perennem] desperationis continuationem. Unde per ipsam hancce desperationem Cruciatus ipsorum non posse non magnoperè, eheu! augeri, satis patet: dùm è malo [cruciatibus] malum oritur [desperatio]; quæ ipsa dein [reflectendo] cruciatus parit novos, seu gradum eorum auget.

Sch. 2. De hacce damnatorum desperatione Ewald Himmel und Höll, p. 877 --- 887. ubi, quòd oritura sit desperatio è consideratione magnitudinis ac gravitatis iræ Divinæ, consideratione felicitatis piorum, è consideratione, quòd ipsi sibi talem attraxerint miseriam, è cruciatuum vehementia; refert eò etiam κλαυθμὸν Matth. 24: 51. qui notet maximam animi anxietatem per lacrymas abundè se prodentem, Matth. 2: 18. Act. 20: 37. ita ut innuatur tristitia damnatorum summa ob Summi boni jacturam &c.

Hùc & referri potest murmur [quod inde non potest non oriri] contra vias Dei, & quod juxta eundem V. D. *Emblem. S. Tom.* 1. *Lib.* 1. *Exerc.* 7. §. 9. per stridorem dentium indicatur; qui & ibidem notat, stridorem

dorem cum murmure animabus tribui ab HOMERO *Iliad.* Ψ. v. 101. Desperationem hancce intensiorem quoque fieri debere per jacturam bonorum, cui mens impia inhiabat & earum recuperationem non sperandam [qua de] (sch. 2. §. 1553.) patet: quippe inde » duplici profectò infelicitate [verba sunt CANZII *Jurispr. Civ. Dei*, §. 1135.] » tùm *interná*, quæ in desideriorum nunquàm explendorum rabie ponitur, tùm *externá*, quæ intolerabiles ignes »complectitur, vexetur necesse est: finge inopem, »qui famem suam indignissimè ferat, detrudi in car»ceres squalidos, vepretis, serpentibus, multis»que aliis irritantibus malis oppletos; facilè senties ta»lem non modò impatientiæ peccatum non depositu»rum, sed in summam quoque desperationem conje»ctum iri &c.

1557. Ex hactenùs dictis patet, infelicitatem fore maximam, quàm impii subibunt. *Infelicitas impiorum qualis.*

Faciet ad hancce infelicitatem [præter jam dicta in anteced.] innumera sociorum infelicium multitudo; licèt enim aliàs solatium existimetur [quàmvis miserum] socios habere malorum, tamen ex hac Societate non solùm nullum redundabit solatium, ut contrà afflictio, ægritudo inde oriri debeant; quod quippe fit, ubi unus miser alios multos circa se miseros habet ac videt, & agnoscit, se aut causam esse miseriæ ipsorum, per seductionem, defectum vigilantiæ &c. aut è contrà illos esse causam, quòd ipse miser devenerit &c. porrò ubi plurium ægritudines, ejulatus, impatientia, collidunt, major inde [at heu tantò infelicior!] effectus totalis exurget.

De hac infelicium Societate agit EWALD Himmel und Hölle, p. 996. seq. ubi ad eam primò refert Principem tenebrarum, porrò omnes malos angelos, pòst omnes reliquos damnatos è Judæis, gentilibus & Christianis &c. hæc Societas cùm futura sit innumerabilis, ignominiosa, maledicta, abominabilis, inde alterius intuendo angorem & proprium auctum iri, vid. p. 1002. seq.

De

De pœnis angelorum quum hîc mentionem facere occaſio ferat, quales futuræ ſint, convenienter judicio inſtituto (§. 1528.), num æternæ nec ne, notum eſt, qui damnatos aliquando liberandos ſtatuunt, de quibus (ſch. 2. §. 1555.) etiam diabolos liberandos ſtatuere ac reſtituendos; quam ſententiam præter alios refutat & PFEFFINGERUS *Diſſ. Theol. de reſtitutione diabolorum &c.* ubi quoque JOH. LEADEAM ſententiam eam Scriptô propugnaſſe memorat §. 10. ſub voce πάντων autem Act. 3 : 21. angelos malè comprehendi [ab Auctore libri: das Geheimnis der Wiederbring.] cùm de iis prædicetur ἀποκατάστασις, de quibus per Prophetas dictum fuit, jam verò nil de angelis malis; malè etiam pro ſententia illa adduci Eph. 1 : 10. eò quòd hîc de creaturis in cœlo & in terra ſermo, diaboli autem ad neutras pertineant, & ἀνακεφαλαίωσις ſit aſſociatio angelorum cum hominibus, priùs divulſorum; idem valere quoad Col. 1 : 19. 20. Pſ. 145 : 8. 9. DAVIDEM nil minùs cogitaſſe quàm de angelis malis: cùm & homines excludantur à miſericordia Dei, niſi præſcriptum ſequantur ordinem, & in univerſum creaturæ irrationales æque objecta eſſent miſericordiæ hujus; tacemus alia.

Gradus infelicitatis impiorum.

1558. *Gradus* tamen *erunt diverſi pœnarum ratione intenſionis*, Matth. 11 : 22. 24. quippe poſtulantur per gradus ſeveritatis judicii Divini inſtituti (§. 1523.); præterea hi gradus in ſe poſſibiles ſunt, ut, etſi omnium pœna debeat eſſe perennis, tamen unus majorem alterô ſentiat angorem, ſic & quoad reliquos Cruciatus magis affligatur, quòd verò reipsâ tales futuri ſint gradus, juſtitia Divina apertè oſtendit: quæ quippe, dum pœnas poſtulat ob delicta, eô ipsô etiam ob diverſam horum gravitatem ac gradus atrociratis, gradus pœnarum poſcit: aliâs convenientia non obſervaretur; quam tamen Sapientia non poteſt non reſpicere, per (§. 269.), hinc

hinc & justitia : quoniam è Sapientia exurgit (§. 313.).

Sch. 1. Nemo in humanis diceret, judicem juxta Sapientiam agere, si delicta inæqualiter gravia diversarumque classium delinquentes æquali tamen subjiceret pœnæ; quantò minùs igitur id fecerit Judex totius Mundi? CHRISTUS diversos hosce pœnarum gradus etiam præterea satis clarè indigitat, Matth. 10: 15. 23: 14. præter loc. supra (sch. 1. §. 1513.) cit. Inter illos, qui majoris gradûs pœnas ferre debebunt, rectè ponuntur 1. qui gravium peccatorum, scelerum immanium reos se fecêre; 2. qui media salutis, largiter, ipsis subministrata, spreverint; 3. quibus plus temporis ad conversionem suppetebat, & tamen impœnitentes manserunt; 4. qui alios ad peccata induxerunt, seduxerunr; 5. hypocritæ, pietatem in lucrum & quæstum convertentes; 6. Parentes ac Doctores perfidi, qui exhortationum, quas aliis injunxerunt, & propriæ doctrinæ ipsi protervi fuêre primique violatores; uti hæc EWALD Himmel und Höll, p. 1016 — 1020. Graves etiam ad diversarum quarundam classium homines super pœnis futuris exhortationes exclamationesque dirigit SWINDEN *Cap.* 12.

Sch. 2. Hæ ergo sunt comminationes è fœdere operum resultantes, ac iis, qui fœdus gratiæ non recipiunt, incumbentes. Facilè etiam quivis videt, quod hôcce Locô XII. habetur, ac materiam ibi pertractatam, fortissimum esse in Religione hujusque nervum, antidotum adversùs peccata, remedium impatientiæ in afflictionibus, juvamen ad patientiam, calcar ad pietatem; hùc omnia hactenus exposita dogmata tendere. Faxit Deus, ut talem producant cognitionem vivam!

Syllabus

Syllabus Capitum,
seu
Locorum Theologiæ.

Locus I. de Theologia naturali, ejus insufficientia & inde necessitate Revelationis.

Locus II. de Scriptura S. tanquam Revelatione, & principio cognoscendi in Theologia.

Locus III. de Deo, quoad perfectiones & Personas spectato, tanquàm primo, quod Scriptura docet.

Locus IV. de actionibus Dei immanentibus, seu Operibus ad intra: Decretis, tanquàm ultimo fonte actualitatis rerum.

Locus V. de actionibus Dei transeuntibus, seu operibus ad extra: Creatione & providentia, tanquàm executione Decreti.

Locus VI. de Statu hominis instituto, seu innocentiæ, primo & deperdito.

Locus VII. de Statu hominis destituto, seu peccati, tanquàm præsenti & universali, miseriæ.

Locus VIII. de Statu hominis restituto, seu gratiæ quorundam; & præcipuè ejus Auctore, scil. Liberatore, hujus satisfactione, hinc salutis impetratione.

Locus

Locus IX. de Bonis hujus Statûs, seu fœderis gratiæ, ùt salutis applicatione.

Locus X. de Signis ac Sigillis horum Bonorum, seu fœderis gratiæ, id est, Sacramentis.

Locus XI. de Ecclesia, tanquàm iis collectivè sumtis, quibus Bona illa aut offeruntur, aut conveniunt quôcunque tempore, hinc de Ecclesiæ Oeconomiis, ejus Forma interna & externa.

Locus XII. de Statu hominis præstituto, seu præmiis & pœnis post hanc vitam, hinc &, quæ præcedunt: morte, judicio post mortem, resurrectione, judicio ultimo, adeòque ultimis.

INDEX
LOCORUM SCRIPTURÆ,
Quæ vel explicantur, vel vindicantur.

NB. Ubi Scholia prolixiora, ibi pag. citatæ.

GENESIS.

Cap. vers.
1: 2. Schol. §. 353. sch. 1. 2. §. 502.
7. 8. §. 504. & sch. 1. 2. ib.
12. schol. §. 505.
16. sch. 2. §. 170.
27. sch. §. 702.
2: 2. §. 530.
3. §. 531. & sch.
7. §. 512. & sch.
17. sch. 1. §. 715.
3: 1--4. sch. 1. §. 770.
8. sch. 1. §. 171.
6: 5. sch. 2. §. 811.
6. sch. §. 302.
8: 21. sch. 2. §. 811.
9: 6. sch. §. 707. sch. 1. §. 790.
11: 4. sch. 1. §. 172.
5. sch. §. 171.
13: 16. sch. 2. §. 116
15: 13. sch. 2. §. 116.
7. 18. sch. §. 258.
22: 12. sch §. 258.
37: 35. sch. 2. §. 1417.
42: 38. sch. §. 177.
48: 16. sch. 2. §. 554. sch. 557.
49: 10. sch. 2. § 878.

EXODUS.

3: 2. sch. 2. §. 217.
14. sch. 3 §. 217.
4: 12. sch. 1. §. 142.
6: 3. sch. 1. §. 217.
6. sch. 1. §. 171.
7: 3. sch. 3. §. 609.
10: 1. sch. 3. §. 609.
20: 12. p. 1222.
21: 33. p. 1256.
23: 7. sch. 2. §. 1123.
20. 21. p. 1207.
32: 14 sch. §. 302.
32. sch § 445.
34: 27. sch 1. §. 142.

LEVITICUS.

18: 5. p. 1318.
19: 19. p. 1255.

NUMERI.

14: 3 sch. §. 258.
21: 14. sch. 2. §. 208.

DEU-

Cap. Vers.

DEUTERONOMIUM.

5: 3. 15. sch. §. 531.
17: 9. sch. 2. §. 132.
21: 23. sch. 2. §. 898.
22: 6. 8. p. 1256.
25: 4. sch. §. 173. & p. 1257.
32: 40. sch. §. 283.

JOSUA.

10: 13. sch. 2. §. 170. sch. 2. §. 208.

I. SAMUEL.

2: 3. sch. §. 236.
23: 12. sch. 1. §. 248.

II. SAMUEL.

16: 10. 11. sch. 3. §. 609. sch. 1. §. 654.
23: 2. 3. sch. 1. §. 357.

II. CHRONIC.

6: 23. sch. 2. §. 1123.
34: 5. sch. 1. §. 147.

JOB.

28: 24. sch. §. 249.

PSALMI.

1: 5. sch. 1. §. 1501.
2: 7. sch. 1. §. 371.
12. sch. §. 1114.
14: 1. sch. 1. §. 5. Proleg. sch. §. 214.
19: 1. 2. sch. 1. §. 5. prol. sch. 1. §. 171. sch. 1. §. 172.
22: 7. sch. 1. §. 1379.

Cap. Vers.

51: 7. sch. 2. §. 811.
12. sch. §. 1043.
55: 24. sch. §. 582.
68: 12. sch. 3. §. 349.
94: 9. sch. 1. §. 171.
145: 8. 9. sch. §. 1557.
147: 5. sch. 3. §. 246.

PROVERBIA.

8: 22. sch. 1. §. 341.
9: 11. 10: 27. sch. §. 582.
16: 6. sch. 2. §. 1144.
17: 15. sch. 2. §. 1123.
22: 6. sch. 1. §. 206.

ECCLESIASTES.

7: 17. sch. §. 582.
29. sch. 1. §. 682. sch. 2. §. 684.
12: 11. 13. sch. 1. §. 1399.

ESAJAS.

2: 4. p. 1460.
4: 4 5. p. 1450. 1460. 1461.
6: 1 - 10. sch. §. 358. 9. 10. sch. 3. §. 609.
7: 14. sch. 2. §. 878. sch. 2. §. 1380.
13: 10. sch. §. 186.
27: 5. sch. §. 1114.
33: 18. p. 1264.
38: 1. sch. 2. §. 583.
40: 13. 14. sch. 3. §. 246. sch. 2. §. 352.

Cap. Vers.
44: 6. sch. §. 218.
49: 8. p. 1450.
53: 4. 11. sch. 2. §. 926.
11. 12. sch. §. 973.
sch. 2. §. 1123.
54: 17. sch. §. 1143.
59: 1. 2. 15. 16. sch. §. 239.
16. sch. §. 265.
60: 1. p. 1351.
63: 10. sch. 1. §. 1032.
66: 22. p. 1354.

JEREMIAS.
1: 9. sch. 1. §. 142.
9: 12. sch. 1. §. 171.
20: 7. sch. 3. §. 1030.
sch. 1. §. 1032.
23: 5. 6. sch. 1. §. 349.

EZECHIEL.
17: 15. sch. 2. §. 217.
20. sch. 3. §. 807.
32: 7. sch. §. 186.
37: 21. p. 1461.
44: 23. 24. sch. 2. §. 197.

DANIEL.
4: 24. sch. 2. §. 1144.
27. sch. 2. §. 1212.
6: 13. sch. 2. §. 635.
9: 24. sch. 2. §. 878.
12: 3. sch. 2. §. 1123.

HOSEAS.
6: 7. sch. §. 792.

Cap. Vers.

JOEL.
2: 14. sch. 2. §. 1212.

MICHAS.
5: 1. sch. 1. §. 371.

ZACHARIAS.
6: 13. sch. §. 460.
9: 11. sch. 2. §. 1417.

MALACHIAS.
2: 7. sch. 2. §. 132.
3: 2. 3. p. 1450. 1451.
4: 2. sch. 2. §. 1171.

MATTHEUS.
1: 22. 23. sch. 2. §. 1380.
3: 16. 17. sch. §. 361.
5: 8. p. 1530.
30. 34. sch. 1. §. 206.
39. sch. §. 207.
46. sch. 4. §. 1186.
6: 1. sch. 4. §. 1186.
10: 19. sch. 1. §. 142.
11: 18. sch. 1. §. 172.
19. sch. 2. §. 1123.
21. sch. 1. §. 248.
sch. 1. §. 1032.
28 --- 30. schol. §. 1106.
12: 31. 32. sch. 2. §. 833.
40. sch. 1. §. 906.
13: 21. sch. §. 1096.
28 - 30. sch. §. 632.
16: 18. 19. sch. 1. §. 1427.
sch. 2. §. 1494.

Cap. Vers.
1494. sch. 2. §. 1496.
18: 10. sch. §. 546. p. 1530.
15--17. schol. 2. §. 1496.
17. sch. 2. §. 132.
19: 24. sch. §. 207.
20: 28. sch. 1. §. 926.
22: 40. sch. §. 1385.
37. sch. 1. §. 1252.
24: sch. 1. §. 1518.
26: 26. 28. sch. 1. §. 1277.
28: 19. sch. §. 358. sch. 2. §. 1250. §. 1257. & sch. 3.

MARCUS.
6: 13. p. 1102.

LUCAS.
10: 20. sch. 3. §. 439.
12: 11. 12. sch. 1. §. 142.
15: 10. sch. §. 546.
16: 22. sch. 2. §. 1417.
21: 14. 15. sch. 1. §. 142.
22: 25. sch. 4. §. 1439.

JOHANNES.
1: 1. 2. sch. 2. §. 341.
3. sch. 1. §. 344.
3: 5. sch. 1. §. 1266.
6. sch. 2. §. 811.
13. sch. 2. §. 1417.
16. sch. 2. §. 440.
5: 21. 28. sch. §. 345.
26. §. 283. §. 340. & sch.
39. sch. 2. §. 150. p. 1319.
45. sch. §. 1141.
7: 17. sch. 2. §. 15. Prolegom.
8: 44. sch. 1. §. 769.
56. p. 1162.
10: 16. sch. 1. §. 437.
11: 41. 42. sch. §. 345.
12: 44. sch. 4. §. 1074.
13: 37. sch. 1. §. 926.
14: 6. sch. 1. §. 1106.
16. sch. 2. §. 197. sch. 361.
17: 14. sch. §. 376.
17: 3. sch. 2. §. 338.
28. sch. 2. 349.
21: 17. sch. 2. §. 342.

ACTA APOST.
2: 24. sch. 2. §. 906.
3: 21. sch. §. 1557.
5: 3. 4. sch. 1. §. 357.
30. sch. 2. §. 906.
7: 35. sch. 2. §. 949.
51. sch. 1. §. 1032.
8: 17. p. 1099.
22. sch. 2. §. 1212.
30. 31. sch. 3. §. 197.
10: 34.

Cap. Vers.
10: 34. sch. 2. §. 15. Prolegom.
15: 18. sch. §. 394.
17: 26. sch. 2. §. 506.
19: 3. 5. schol. 3. §. 1254.
20: 28. sch. 2. §. 349.
22: 16. p. 1054.

AD ROMANOS.

2: 6. sch. 4. §. 1186.
3: 24. sch. 1. §. 939.
25. p. 1313.
28. sch. 1. §. 1136.
4: 2. 6. schol. 1. §. 1136.
17. §. 495. & sch. 1.
6: 7. sch. 1. §. 926.
9. sch. §. 938.
12. sch. 1. §. 715. sch. 1. §. 769. sch. 2. §. 807.
14. sch. 3. §. 834.
19. 20. sch. 2. §. 953. sch. §. 958.
6: 7. sch. 1. §. 1552.
12. 14. sch. 3. §. 821.
23. sch. 1. §. 715.
8: 5. sch. 1. §. 1187.
17. sch. 1. §. 461.
29. p. 1485.
9: 4. 5. schol. 2. §. 1413.
5. sch. 2. §. 349.

Cap. Vers.
12. 13. 16. sch. 2. §. 451.
15. sch. 1. §. 450.
11: 23. sch. §. 445.
32. sch. 2. §. 440.
33. sch. 2. §. 452.
36. sch. 2. §. 498.
14: 3. sch. §. 156.
23. sch. 3. §. 1165.
16: 20. sch. 1. §. 769.

I. AD CORINTHIOS.

1: 20. sch. 1. §. 1399.
30. sch. 1. §. 1106.
2: 3. sch. 2. §. 1212.
10. sch. 1. §. 352.
13. sch. 1. §. 142.
3: 13. p. 1451.
16. sch. 1. §. 357.
4: 5. sch. 1. §. 1521.
5: 13. sch. 2. §. 1496.
7: 8. sch. 3. §. 915.
14. p. 1036.
9: 9. sch. 2. §. 658.
10: 9. sch. 3. §. 349.
16. sch. 1. §. 1271.
11: 23. sch. 1. §. 209.
29. sch. 3. §. 1293.
12: 13. sch. 2. §. 1252.
13: 8. sch. 3. §. 1533.
12. sch. 2. §. 1533.
14: 33. sch. 2. §. 1446.
15: 22. sch. 2. §. 808.
47. sch. §. 511.

II. AD

Cap. Vers.
II. AD CORINTHIOS.
1: 21. p. 1099.
4: 17. sch. 4. §. 1186.
5: 2-4. sch. §. 1544.
18-20. sch. 1. §. 957.
21. sch. 2. §. 929. sch. 2. §. 931. sch. §. 1139.
7: 9. sch. 2. §. 1059.
13: 13. sch. §. 358.
AD GALATAS.
2: 16. sch. 1. §. 1136.
3: 13. sch. 2. §. 898. sch. 2. §. 926.
16. sch. 1. §. 461.
16. 17. sch. §. 1366.
24. §. 1395. & sch.
28. sch. 1. §. 1424.
4: 1. 2. sch. §. 1416.
4. 5. sch. 2. §. 953.
AD EPHESIOS.
1: 10. sch. §. 1557.
2: 3. sch. 2. §. 811.
13. sch. 2. §. 1424.
14. sch. 1. §. 1424.
4: 8. sch. 3. §. 349.
9. sch. 2. §. 899.
13. sch. 2. §. 1515.
5: 31. 32. p. 1101.
6: 11. sch. §. 1188.
AD PHILIPPENSES.
2: 9. sch. §. 974.
12. sch. 2. §. 1212.
Cap. Vers.
3: 21. sch. 2. §. 1515.
4: 13. sch. 2. §. 1183.
AD COLOSSENSES.
1: 16. sch. 1. §. 344.
24. sch. 3. §. 1144.
2: 3. sch. 1. §. 342.
7. sch. 1. §. 1085.
8. 20. sch. §. 1387.
14. p. 1313.
18. sch. §. 557.
4: 16. sch. 2. §. 208.
I. AD THESSALONIC.
5: 21. sch. 1. §. 195.
23. sch. §. 1197.
I. AD TIMOTHEUM.
2: 4. sch. 2. §. 440.
3: 15. sch. 2. §. 132.
16. sch. 1. §. 132. sch. 3. §. 349. sch. 2. §. 889.
5: 17. 18. sch. 2. §. 178.
6: 16. sch. 2. §. 243.
II. AD TIMOTHEUM.
1: 9. sch. §. 394.
3: 16. sch. 1. §. 142.
4: 8. sch. 4. §. 1186.
10. sch. 2. §. 1218.
AD TITUM.
2: 12. sch. 1. 1175.
13. sch. 3. §. 349.
3: 5. p. 1054.
AD HEBRÆOS.
1: 2. sch. 1. §. 344.

Cap. Vers.
3: 1. sch. 1. §. 964.
6: 6. sch. 2. §. 1218.
8: 2. 4. sch. 1. §. 931.
9: 10. sch. §. 1387.
18-21. sch. 3. §. 1408.
22. sch. 2. §. 928.
26. sch. 3. §. 1421.
27. sch. 1. §. 1500.
28. sch. 2. §. 926.
10: 18. sch. §. 1415.
11: 1. sch. §. 1082. sch. 1. §. 1098.
3. sch. §. 495.
10. p. 1163.
12: 14. sch. 2. §. 1501.
22-24. sch. 1. §. 1548.
23. sch. §. 1545.

JACOBI.

2: 21. 24. 25. sch. 2. §. 1136. sch. §. 1146.
23. sch. §. 1366.
3: 9. sch. §. 707. sch. 1. §. 790.
5: 6. sch. 1. §. 206.
14. 15. p. 1102.

I. PETRI.

1: 2. sch. §. 361.
2: 24. sch. 2. §. 926.
3: 13. sch. 1. §. 206.
19. sch. 2. §. 899.
21. sch. §. 1259. sch. 1. §. 1263.

Cap. Vers.

II. PETRI.

1: 10. sch. 1. §. 466.
20. sch. §. 157.
21. sch. 1. §. 142.
2: 4. sch. 560. pag. 1556.
3: 16. sch. 3. §. 197.

I. JOHANNIS.

1: 7. sch. 2. §. 945.
2: 27. p. 1099.
5: 3. sch. 2. §. 1183.
7. sch. §. 359.
20. sch. 3. §. 349.

JUDÆ.

v. 6. sch. §. 559. sch. §. 560.
14. 15. sch. §. 1519.

APOCALYPSIS.

1: 5. sch. 1. §. 945.
2: 17. sch. §. 1143.
7: 16. 17. sch. §. 1538.
14: 13. sch. 2. §. 1500.
17: 8. sch. 3. §. 439.
20: 5. 6. 12. 13. sch. 2. §. 1512.
12. p. 1485.
21: 27. p. 1450.
22: 19. sch. §. 445.

* *
*

INDEX AUCTORUM & ADVERSARIORUM, cum allegatis plerumque Materiis.

A.

Alberti de esurire ac sitire, sch. 1. §. 1112.

Allix, de explicatione traditionali Vaticiniorum, sch. §. 185. de Trinitate, sch. 2. §. 337. de fide Judæorum circa Messiam Deum, sch. 3. § 858. sch. 3. §. 861. de ascensione Christi in Cœlum, sch. 2. §. 907. de sessione ad dextram Patris, sch. 3. §. 908. de λόγῳ sch. 1. §. 920. de apparitionibus Messiæ, pag. 1155. 1156. 1207.

Altingius (Jac.) de passionibus Christi satisfactoriis, sch. §. 946. de Decalogô sch. 2. §. 1384.

Amyraldus de prædestinatione, sch. §. 448. sch. 476. de promissione vitæ æternæ, §. 721. de triplici fœdere, sch. 1. §. 1409.

Anabaptistæ negant imputationem peccati Adamici, sch. 2. §. 807. statuunt, Christum corpus suum è cœlô attulisse, sch. 1. §. 878. Pædobaptismum rejiciunt, sch. 1. §. 1253.

Anaxagoras de Creatione rerum, sch. 3. §. 502.

Anthropomorphitæ, sch. §. 704.

Apelleiani statuentes, Christum in cœlum ascendisse nonnisi quoad animam, sch. 3. §. 907.

Apollinaris, negans animam Christi humanam, sch. §. 877.

Aristippus, ejus error de moralitate actionum, sch. 2. §. 68.

Arius, ejus error de Trinitate, sch. §. 371.

Arminiani, Deo tribuunt voluntatem inefficacem, sch. §. 303. negant justitiam Dei vindicativam, §. 317. clamant contra Decretum absolutum, §. 426. 472. statuunt concursum Dei tantùm generalem, sch. 1. §. 609. sch. §. 640. imaginem Dei statuunt in spiritualitate mentis & dominio, §. 706. negant imputationem peccati Adamici, sch. 2. §. 807. ita etiam peccatum Originale, sch. 2. §. 811. statuunt liberationem sine conjunctâ ejus applicatione, sch. 2. §. 869. satisfactionem

& redemtionem Christi faciunt universalem, §. 961. fidem considerant ceu conditionem propriis viribus præstandam, sch. §. 1090. docent, fidem imputari ad justitiam, sch. 2. §. 1135. perseverantiam Sanctorum negant, sch. 2. §. 1218. negant fidem Patriarcharum, sch. 2. §. 1364.

Averroës, animæ immortalitatem negans, sch. §. 88. deridens Christianos ob manducationem Dei, sch. 2. §. 1279.

B.

Bajerus de monumentis diluvii Universalis, p. 1194.

Bartels de Sabbathô Christianô, p. 1222. sch. §. 1478.

Basnage, de Calvinô, sch. §. 198.

Bayle, de Gentibus Atheis, sch. 2. §. 5. prolegom. Scepticorum fautor. sch. 3. ibid. dubitans de extensione, sch. 2. §. 2. de perfectione mundi, sch. §. 39. de Calvinô, sch. 2. §. 198. de duplici principiô, sch. §. 309. de animabus brutorum, sch. 2. §. 510. num omnia ob hominem condita sint, sch. §. 514. de harmoniâ præstabilitâ, sch. §. 516. de cognitione sine motu, sch. §. 518. de productione cogitationum, sch. 3. §. 523. de concursu Dei, sch. 1. 2. §. 592. etiam vid. sch. 2. §. 622. sch. 2. §. 646. sch. §. 704. sch. 2. §. 894. sch. §. 1043. sch. §. 1276. sch. 2. §. 1279. sch. §. 1376.

Beausobre de Apocryphis, sch. 2. §. 143.

Beckerus de Dæmonibus, sch. §. 1560. sch. 2. §. 562. sch. 3. §. 769.

Belius, de Pædobaptismô, sch. 1. §. 1253.

Bellarminus, negans necessitatem Scripturæ, sch. 2. §. 127. de notis Ecclesiæ, sch. 1. §. 1321.

Benner de baptismo Ephesiorum, sch. 3. §. 1254.

Bentlejus de stultitiâ Atheismi, sch. §. 214.

Bernardus de nomine Josephi, sch. 1. §. 1371. de Ismaëlitis, sch. 2. ibid. de nomine Jehova, sch. 2. §. 1408. de defectibus Templi secundi, sch. 4. §. 1421.

Bernoulli de motu terræ, sch. 1. §. 506. de resurrectione, sch. 1. §. 1509.

Berosus historicus Babylonicus, p. 1151.

Biermann, de circumcisione, sch. 1. §. 1367. de columna ignis, sch. 1. §. 1379. de præfiguratione terræ Canaan, sch. §. 1406. de manna, sch. 2. §. 1419. de typis cæremoniarum, sch. 1. §. 1390.

Bingham,

Bingham, de lectione Scripturæ in V. Ecclesia, sch. §. 150, de adoratione Christi, sch. §. 350. Spiritûs S., sch. §. 358. de ritu baptismi, sch. 2. §. 1251. de baptismô Laicorum, sch. 2. §. 1252. sic etiam proleg. sch. §. 16. sch. 2. §. 812. sch. 1. 3. §. 1253. sch. 2. §. 1254. & sæpius in materia de Sacramentis, seu Locô X.

Blakwallus de stylô Scripturæ, sch. 2. §. 120. de intersectionibus Codicis S., sch. §. 149.

Ad tres verò articulos præcipuos reduci potest Whistoniana hypothesis quoad Cosmogoniam in genere [contradistinctè ad Opus cujuslibet diei] quòd scil. 1. Creatio à MOSE narrata non debeat ultra vel extra terram nostram extendi, p. 51. seq. per modò dicta; præterea etiam quòd non solùm scopus omnium, quæ in ea occurrunt, sit utilitas hominis, p. 84. seq. sed & quòd nec scopus Historici S. nec capacitas populi aliam postulaverit creationis expositionem, nisi quæ circa terram versetur, p. 99. seq. siquidem aliàs etiam tempus inæqualiter admodum productioni operum fuisset impensum: telluri quippe è 6. diebus 4. impensos esse non convenire, uti è contra Soli, fonti omnis caloris, nonnisi partem diei, p. 70. seq.

2. Per Diem hexaëmeri annus intelligendus sit; quum & aliâs Scriptura per diem soleat indigitare spatium anni; ut terra tunc motu nonnisi annuo gavisa sit, sine successione tempestatum anni, veris, æstatis &c. *Lib.* 3. *Cap.* 2. p. 317. & motus diurnus [24. horarum spatiô revolvendus] demùm post Lapsum coeperit; *Lib.* 3. *Cap.* 2. p. 213. seq. 3. Massa aut Chaos, unde terra formata ac desumta sit, fuerit chaos cometæ, quod [Antiquis etiam celebratum] à MOSE quoque adducatur ut prima rerum origo, ac *terra* ab ipso nominetur; *præfat.* p. 38--42. Chaos id seu cometam fuisse corpus centrale, crassum, fervidum, 7000. aut 8000. milliarium, circumfusum præterea massâ fluidâ varii generis materiæ, cujus diameter 15. vicibus major illô corporis centralis, *Lib.* 4. *Cap.* 1. p. 374. Cœlestia autem corpora neutiquàm fuisse inclusa illô chaô: lumen enim ex eo formari non potuisse, & luxisse id jam, subsistente adhùc chao: *præfat.* p. 42--50. Partes superiores hujus, seu aspectum profunditatis tempore hexaëmeron præcedente fuisse tenebris involutum; à MOSE huncce τὸν chaos antiquum & confusum statum non memorari, eò quòd enarratio ipsius nonnisi circa visibilia occupetur, & ea, quæ communis experientiæ

ac

ac Observationis, p. 381. 4. Orbita hujus cometæ [quò hic seu choas dictum habitaculum conveniens fieri posset] fuerit ex admodum eccentrica in ellepsin moderatam mutata ; cometa ipse convenienti à Sole distantiâ positus. Tùm & particulas quasvis [orbitâ mutatâ] massæ illius fluidæ, quâ chaos circumfusum, locum suum pro ratione gravitatis obtinuisse, p. 374.

Quoad ad Vim porro, quâ Opera creationis facta, ponit, quædam Vi mechanicæ, quædam autem immediatæ Dei operationi ac potentiæ tribuenda esse ; licèt nec mechanica quæcunque sine influxu Dei efficaci sit concipienda; *Lib.* 4. *Cap.* 1. p. 360. seq. Opus potentiæ ipsius Dei infinitæ fuisse creationem materiæ totius Universi & specialiter terræ, indigitatam Gen. 1:1. p. 364. porro mutationem cursûs τῆς chaos seu orbitæ cometæ in orbitam planetæ vel positionem terræ convenientem à Sole ; saltem fuisse documentum providentiæ Dei ac specialis curæ, p. 366. Sic & immediatum Dei Opus fuisse formationem seu figurationem seminum omnium animalium ac plantarum, p. 367. Naturas item, habitudines, regulas ac proportiones diversarum motionum & virium, per quas corpora his vel illis usibus inserviunt, ac in eos parantur, p. 367, 368. præsertim verò formationem primorum hominum & creationem mentis: cùm protoplasti homines adulti fuerint creati, p. 370. seq.

Recenset dein ac disponit Opera [scil. conspicua] cujuslibet diei, seu spatii annui, *Lib.* 4. *Cap.* 1. è quibus verò brevitatis gratia nonnisi pauca quædam memoramus, potiùs memoraturi epicrisin in hypothesin Whistonianam Auctorum *Histor. Univers.* unà cum ipsorum Theoria. Die secundò itaque [sic tenet WHISTONUS] aëre cum vaporibus contentis ob calorem Solis & calorem terræ centralem ascendente, inde Extensum ortum esse seu firmamentum [per quod aër intelligendus] ac separationem aquarum superiorum, quæ sint vapores in aëre suspensi, ab inferioribus, quæ sint particulæ humidæ, inclusæ poris vel visceribus terræ, aut superficiem ejus occupantes. Diei tertii initiò vaporibus iis magnâ copiâ

cœpla in terram decidentibus, hâcce autem solida at superficiei inæqualis, fluxisse à partibus magis elevatis ad profundiores; ac ita lacus & maria facta.

Die quartò Solem conspicuum factum. Die quintò cœpisse productionem Mundi animati, Sole tunc calorem, mediante aëris defœcatione, transmittente; calore hôcce [cui semina piscium aviumque exposita] adjuvatò calore terræ intrinsecò. Diem sextum præter bruta etiam hominem attulisse, cujus corpus è pulvere formatum, mens à Deo inspirata; Eva è latere Viri desumtâ; ipsum autem Dei Filium, formâ humanâ, creationem hominis peregisse. Cæterùm vitæ hominis conservandæ aërem tunc aptum fuisse, aptum respirationi, serenum.

Ad Cel. autem illos *Hist. universf.* Auctores nosmet convertimus; ij *introduct. Tom.* 1. p. 63. seq. contra WHISTONUM solidè monent, 1. malè cometam assumi pro chao primitivo, id exinde gigni non potuisse: cùm cometæ non sint corpora opaca, verùm fulgentia, ob maximum solidi centralis fervorem. 2. Majorem corporum partem, quæ composuerunt Stratum terræ superius, vitrificari oportuisse, ob proximitatem Solis; quæ vitrificatio autem formationi terræ obstitisset. 3. Nimis arctè & malè creationem Mosaicam nonnisi ad terram nostram restringi. 4. Paradoxè cumprimis statui, quòd Motus terræ diurnus post Lapsum demùm cœperit; cum absentia Solis per dimidium anni efficere debuerit frigus maximum, uti ejus commoratio supra horizontem calorem intensissimum; qui calor & frigus interitum attulissent plantis ac animalibus, nisi ponerentur alterius naturæ fuisse. De cætero sine ratione diem per annum explicari: cùm non opus sit temporis morâ longiori, ut res ordine fieri possint, ubi adsit artifex omnipotens ac sapientissimus.

Ipsorum verò horum Auctorum theoria [quam nonnisi breviter exhibemus: cùm Liber facilè haberi possit] hæc est: quòd narratio Mosaica nec solùm ad nostram tellurem, nec tamen ad totum Universum, verùm ad systema nostrum solare spectet: cùm in hocce Vortice omnia ad se invicem pertineant.

Jam MOSEN, ubi narrat, terram in principio sine

Formâ,

Forma ac vacuam fuisse, Spiritumque Dei se super aquis §.
moritasse, ita intelligendum esse, ut aut Sp. S., aut na-
tura plastica, aut alia quædam potentiæ Divinæ emana- §.
tio motitaverit massam τῦ chaos [cujus superficies aquâ §.
aut aliâ materiâ fluida fuerit cooperta] & quamlibet par- §.
tem præparaverit, ut ordine debitô omnia disponi pos-
sent. Rebus in hoc statu versantibus, partes materiæ A
crassiores ac ponderosiores fundum petivisse, leviores au-
tem sursum ascendisse; unde, cùm atmosphæra paulatim
fuerit defœcata, radios Solis transire potuisse, ut obscu-
ritas totalis cessaverit, & sic nox ac dies distinguerentur.

Secundô die spatium aëreum [appellatum à MOSE *Cælum*] fuisse perfectum, purgatione à particulis ter-
restribus, quibus anteà repletum, ac dispositione ad
continendas commodè nubes vaporesque aqueos; quæ
fuerint aquæ superiores, uti eæ in terra, inferiores.

Tertiô die tùm aquas superficiem terræ tegentes
congregatas fuisse, ut inde lacus, maria, fierent, re-
liquâ terrâ siccatâ; tùm vegetabilia producta.
Horum productionem per solam terræ fœcunditatem,
quantacunque concipiatur, tamen explicari non posse;
conceptum superare, quomodo arbores plantæque ad
perfectionem pervenire potuerint, fructibus ac semine
gaudere tam brevi temporis [unius diei spatiô] hinc
concursui Vis supernaturalis tribuendum esse. Quod
ad montes, benè teneri posse, quòd formati fuerint
per diversas densitates diversarum terræ columnarum;
superficie nempe terræ formatâ, quasdam columnas pro-
fundiùs reliquis se demersisse; columnas montium ca-
viores ac leviores esse reliquis, contra ac quidam te-
neant.

Quartô die astra prodiisse, dum visibilia facta, par-
ticulis opacis ex atmosphæra sublatis; planetis prius crea-
tis, stellis fixis autem nequidem ad hancce creationem
pertinentibus.

Quintô die incepisse creationem animatorum, pisci-
um aviumque.

Sextô reliquorum animalium; tenent autem quo-
ad animantium formationem, ad Deum ipsum aut Agens
aliquod, cui Vim ac potentiam eam concesserit, confu-
giendum esse: cùm materia & Leges motûs hîc efficere
nil possint.

§. 538.

§. 538. sch. lin. ult. locus ex Esaja ita ponendus: Es. 41:23. 45:21.

§. 451. lin. penult. pro Ps. 101: lege 103:

§. 554. sch. 1. lin. 4. pro Act. 22: lege: Act. 12:

§. 557. sch. lin. 14. pro Job. 23; lege: 33.

Ad §. 564. sch. 1. ad finem. Ad locum autem PETRI illustrandum faciunt omnino, quæ eruditè WINDETUS tùm è Græcis tùm & Judæis affert, *de vita functorum statu, Sect.* 13. ubi *de Angelorum Tartaroſi apud Petrum*; ibi quod ad vocem ταρταρώσας monet ac concludit, p. m. 205. PETRUM optimè eâ usum fuisse ad exprimendam diram illam dejectorum Angelorum sortem: cùm apud Græcos nulla occurreret vox aptior, utpote quam in eodem argumento tralatitiam fecerint, scil. in Titanum historia, quam V. D. adducit & confert cum dejectione angelorum malorum è cœlo & constructione catenis tenebrarum in Tartaro, quæ adeò locum Petrinum quoad rem ipsam illustrant.

In illa historia aliquoties occurrere καταρταρῶν, quod tantundem sit ac ῥίπτειν ἢ ἐμβαλεῖν εἰς τάρταρον, p. 200. dein ita V. D. »abundè autem constat ex Græcorum »Patrum Scriptis, fabulosos Titanes, in principali suo fasti»gio constitutos angelis respondere ἐν τῇ ἑαυτῶν ἀρχῇ, »priùsquàm τὸ ἴδιον ὀκητήριον [ut loquitur S. JUDAS] »deseruerant; istamque ἐξέλασιν τῶν Τιτάνων ἐξ ὀλύμπε συσοιχεῖν τῇ τῶν ἀγγέλων ἐξελάσει ἐξ οὐρανῦ; »quô nomine angeli mali etiam τιτανικοὶ ἢ γιγαντιοι »appellantur apud ORIGEN. *adverſ. Celſ.* ----- Utrique, »& Angeli in Sacris & Titanes in profanis literis Dii di»cti, utrique è cœlo ceciderunt, utrique vincti, utrique »ταρταρωθέντες; de Angelis S. PETRUS --- Ep. 2. 2:4.» Dein V. D. memorat ex *Pirke* ELIESER, quòd Deus Samaëlem & copias ejus è cœlo dejecerit; è *Midraſch Ruth*, quòd Deus S. B. Azam & Azaëlem præcipites egerit è loco suo sancto, è supernis, qui descendentes, circumdederint se aëre, atque facti fuerint instar hominum.

Allegat è Græcis *Empedoclem* apud PLUTARCHUM, qui στηλάτας καὶ οὐρανοπετεῖς δαίμονας dixit, alios item; notat porro (p. 202.) Græcos testari, quòd Jupiter fulmine rebelles istos dejecerit, adducit HESIOD. θεογ. & alios, VIRGILIUM quoque.

Addit

Addit CHRISTUM alludere videri ad illum Angelorum casum, ubi dicit: ἐθεώρουν τὸν σατανᾶν, ὡς ἀστραπὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πεσόντα, Luc. 10: 18.

Tandem quod ad vincula angelorum istorum sic V. D. p. 204. »de vinculis angelorum lapsorum suppositi»tius ENOCHUS [à quo omnia, quæ de Angelis Ve»teres diversè locuti sunt, desumta sunt, ut SCALIGER »rectè dixit in *Not. in gr. Euseb.*] disertè meminit di»cendo: πορεύθητι ῥαφαὴλ, καὶ δῆσον τὸν ἐξαὴλ χερσὶ »καὶ ποσὶ, συμπόδισον αὐτὸν, καὶ ἔμβαλε αὐτὸν εἰς »τὸ σκότος.« E *Sohar* quoque Vir erud. locum producit, ubi de Aza & Azaële, quos Deus non solùm præcipites egerit, sed & concatenaverit.

§. 571. lin. 9. ante citationem paragraphi 44. adde: ibid.
§. 618. sch. lin. 1. pro 478. lege: 487.
§. 657. lin. ult. pro Prov. 16: 30. pone 33.

Tom. II. Præfat. §. 17. lin. 1. 2. pro imputatione lege: impetratione: cùm Locus VIII. agat de impetratione salutis, uti & monetur (sch. 2. §. 1003.).

Ad §. 677. sch. 1. Hìc loci verò convenit de loquelæ præstantia, necessitate ac mirifica natura quædam afferre: quippe etiam inter dona homini primo à Deo concreata pertinet, quæ dona hôcce Locô VI. consideramus, inter dona inquam licèt non imaginis Divinæ, tamen ea, sine quibus imago hæcce vim suam exercere non potuisset, post Rationem præcipuum; tantò magis de loquela paucis agere lubet ac è re est, quòd, quantumvis mirum sit id donum, tàm parùm tamen attendatur, & parùm pro præstantia æstimetur; præterea & pauca hac de materia, saltem non ubivis apud Auctores occurrant, & si occurrunt, tamen ea, quæ maximè memoratu digna, non simùl exhibeantur. Non considerabimus autem hancce materiam physicè, qualia requirantur organa, & quid quodlibet agere debeat, ut soni articulati proferri possint, quomodo aër per compressionem pectoris è pulmonibus protrudatur, per glottidem, palatum, variè modificetur, per linguam item, dentes, apertionem oris majorem aut minorem, ut distincta inde vox formetur, & literarum diversi generis pronunciatio fiat &c.

id

id ad institutum nostrum non pertinet, nec Theologicis adeò est affine: uti è contrà, ubi tùm moraliter [quâtenus ad finem, quem Deus per hominem intendit, & ad Societatem quid requiritur] hæc materia consideratur, tùm philologicè, Facta adducendo, quibus historia Scripturæ illustratur; videri autem potest de loquela physicè considerata, qui meretur legi, J. Conr. Ammani *Surdus loquens, sive Dissert. de loquela* &c. Lugd. Bat. 1727. 8. cui præfixa brevior Tractatio Joh. Wallis *de loquela sive sonorum formatione*, grammatico-physica.

Ad institutum nostrum quoad hancce materiam sequentia breviter considerabimus: 1. necessitatem ac præstantiam loquelæ; 2. quinam loquendi seu cogitationes per Signa quædam manifestandi modi possibiles sint; 3. loquelam seu loquendi facultatem homini primo à Deo concreatam; 4. linguam, quâ usus fuerit, quænam probabiliter statui possit.

1. Necessitas facultatis loquendi per se patet inde, quia homo est ac esse debuit animal sociabile, ad Societatem cum aliis hominibus conditus, & quilibet est natus, ut inde ab hisce utilitatem capere posset, & vice versâ hi ab illo (per princ. Philos. mor. & Pol.); jam verò nullum aliud erat ac est medium huic fini, medium communicativum, nisi modus quidam cogitationes mentis alteri indicandi. Homo scil. per Societatem felicitatem suam & aliorum seu perfectionem Statûs interni ac externi promovere debet ac potest; perfectio illa (Statûs interni) est Intellectûs per cognitionem, voluntatis per emendationem, seu studium virtutis; corporis, ut sanitas conservetur, afflicta restituatur, ut alimenta, quibus opùs, possit habere, ut contra frigus, injurias cœli per vestes ac habitationem corpus possit tutum præstare. Hæc præcedunt & priùs adhùc requiruntur quàm ea, quæ Statum externum perficiunt. Jam verò sine loquela Intellectum perficere possibile non esset: an non enim omnem tantùm non cognitionem ex aliorum institutione haurimus [quò & libri pertinent, qui loquelam per se præsupponunt] ex conversatione? nobilissima cognitio, ea de Deo, rebus Divinis ac operibus, in statu præsenti sine loquela locum non haberet; & licèt Deus in statu innocentiæ concreasset,

tamen, præterquàm quòd augenda fuerit, quod præcipuè per sermones aliorum fieri debuit ac potuit, quis dixerit etiam Liberis cognitionem eam connatam futuram fuisse, ut sine mediis eâ gavisi fuissent? & si quis id statuerit, tamen assertio nostra maneret, quià statu illo omnes excidimus, &c. Per experientiam etiam confirmatur, quòd sine loquela uti Ratione ferè sic cognitione homo destitueretur: exemplum hanc in rem affertur à WOLFIO in *Act. erud.* 1707. pag. 507. ex CONNORI *Evang. Med.* quòd scil. Aô. 1694. in memoribus ad Lithuaniæ & Russiæ confinia sitis à venantibus sylvicolis inter gregem ursorum captus fuerit juvenis 10. circiter annos natus, aspectu horridus & pilis hirsutus, nec Rationis, nec loquelæ vocisve humanæ usu gaudens &c.

Jam porrò quod ad voluntatis emendationem, quomodo hæc sine Intellectûs emendatione locum habere posset? ubi non essent adhortationes ad virtutem, ubi incitamenta & exempla non proponerentur &c.?

Societas præterea nulla vel tenuis admodum obtinuisset: siquidem hæc per Pacta, per Leges consistit; jam verò Leges & Pacta per verba indigitantur; inde Statûs externi tunc futura imperfectio satis patet.

Jam quod ulterius quoad imperfectionem statûs interni, & quidem quoad corpus, homo de vitæ suæ conservatione totus non fuisset: Pacta & Leges enim id præsupponit, & si læsus, si malè ab aliis habitus fuisset, malefactor non potuisset in apricum produci ac puniri; agnitio namque cujusque personæ præsupponit nomina, quibus signatur, & pœna Leges &c. sanatio in morbis quoque, solamen in afflictionibus sine loquela sibi non constituisset. Nulla tunc & fuisset rerum gestarum memoria & cognitio [nisi quæ quisque oculis usurpasset ac sensisset] siquidem per narrationem aliorum, traditionem aut oralem aut consignationem in libris talia addiscuntur; nequidem. Majores nostros cognosceremus. Rationabilitate igitur; & amœnitate privata esset hominis vita, hinc misera; etsi vel maximè quoque per loquelæ abusum multùm sæpissimè turbetur vita humana.

2. Quod

2. Quod attinet diversos loquendi seu cogitata præfaciendi modos possibiles; deprehenditur, quòd, si abstrahatur à communicatione loquelæ homini à Deo facta; è contrà tantisper ponatur; homines ipsos loquelam paulatim inveniisse; tùm triplex dari potuisset lingua; scil. 1. illa; quæ se manifestaret, uti apud infantes, per clamorem, ejulatum, planctum, cantilenam &c. quibus ita diversus mentis status indicaretur; hicce statum mentis indicandi modus; quia ad eum infantes naturâ feruntur; inde *lingua naturalis* dici potest. Huc pertinet, quod DIODORUS Siculus [etiam allegatus EUSEBIO *præp. Evang. Lib.* 1. *Cap.* 7.] existimat homines primos ferinò planè ritu victitantes confusam primò & ab omni significatione vacuam vocem effudisse; donec ad mutuam opem sibi ferendam & simùl metu [præ Feris] congregati vocibus articulatè proferendis & signis rerum constitutis mentem explicare sciverint. Ista loquela quòd admodùm fuisset imperfecta; mox patet: siquidem multæ cogitationes per eadem signa debuissent indicari, plurimæ verò planè non potuissent; ratiocinari etiam, judicare, judicium suspendere, res inter se comparare, alios edocere & talia locum non inveniissent. Ad loquelam per gestus ideò devenissent homines; ubi per habitum oris diversum, nictus oculorum, motiones membrorum aliis res & cogitata indigitassent, ac ita repræsentassent; quæ lingua ideò *repræsentans* dici potest. Quò pertinet, quod in *Act. erud.* 1707. p. 466. ex VINCENTII AURIÆ Doctoris panormitani libro *de rebus à Siculis primùm repertis* recensetur; quòd artis hujus per gestus & nutus loquendi origo ad Hieronis, Tyranni Syracusani tempora hìc referatur; qui civibus mutuis colloquiis interdicens, eos eò redegerit, ut per motiones manuum pedumque diversas, gestus, nutus oculorum conceptus indicarent; hæc in Notis ulteriùs probet ANT. MONGITORES, atque ex FR. MAR. MAGII Panormitani *de S. Ceremoniis libro* referat, duos fuisse adolescentes Syracusanos [horum familia seu stirpe nominatâ] qui ingenii felicitate ita profecerint in ea arte, ut locorum intervallis secreti tamen per solos nutus, & quidem non indecoros de rebus quibusvis loquerentur, ita ut suspectos se redderent, quòd

Magicarum artium ope unus alterius cogitata noscat.

Addit, hâc ratione multos naturâ surdos legere & scribere didicisse, quam in rem exemplum & testimonium allegat. Inde quia & muti hôc modô secum colloqui possent, *lingua mutorum* quoque dicitur; quam in rem memoratu dignum est, quod de mutorum convivio Constantinopoli referunt Scriptores fide digni [prout id memorat Clar. WERENFELSIUS in lectu digniſſima sua *D. ſſ. de loquela*, p.m. 749. 750.] quòd scil. Imperator Turca sibi ut aliquid singulare quæri curaverit ac seligi Societatem quandam & Conventum mutorum, qui convivio assidentes secum invicem de variis rebus nonnisi per gestus & motiones membrorum aptè sermones miscuerint; qui ipsorum sermones per Interpretem Legato Batavo fuerint indicati.

Quod ad Sensum quô mediante signa cogitationum, quæ alter edit, percipiuntur [uti per Sensus & organa sensoria omnes res externæ mente percipiendæ sunt] patet, signa, quæ in hacce lingua mutorum seu repræsentanti adhibentur, ad Visum pertinere, uti linguam naturalem ad auditum; jam verò Sensus Auditûs quià multò aptior est hanc in rem, & lingua naturalis tamen admodum imperfecta, ad loquelam per sonos, quâ nos & omnes populi utuntur, ac jam protoplasti usi, perveniſſent tandem homines, tanquam tertium & perfectiſſimum cogitata patefaciendi modum, rebus arbitraria imponendo nomina, & ea memoriæ infigendo, ut, ubi res repræsentatur, simùl nominis recordentur, & viciſſim alteri nomen indicando, & rei recordari faciant. Hic tertius loquendi modus multò perfectior est secundô [quòusque etiam quis in hoc profecerit, ac facilè quæcunque alteri indicare potuerit] quià & in tenebris illô modô cum aliis colloqui æquè possumus, non verò secundô modô per linguam repræsentantem, uti & per hanc unus cum altero colloqui non posset, etsi clarâ luce & interdiu, ubi ipsum aspicere non potuerit; nisi poneretur, quòd tum alius substitueretur modus, v. gr. ut pulsibus & ictibus alicujus instrumenti, baculi &c. sonitus ederentur & variè modificarentur.

Sensum

Sensum auditûs multò diximus modò aptiorem: nimirum quia non ita facilè ac Visus infirmitatem ac hebetudinem contrahit: oculis privari, occoecari aut saltem acie oculorum destitui faciliùs & sæpiùs contingit; præterea sonos & horum varietatem multo meliùs, acutiùs Auditus percipit, quàm colores Visus; mediantibus organis loquelæ possunt tòt & tàm varii efformari soni, tanta sonorum diversitas effici, ut sint acuti, graves, molles, integri, semitonia, tertiæ, quintæ, octavæ &c. [uti è Musicis notissimum] quòd nunquàm per gestus, nutus, variabilia signa, Visui objicienda; cogitet quis, quanta non è 24. literis, quibus omnes constant linguæ & earum diversa combinatione, prodeat vocabulorum seges? Unde perspicitur, quòd & quare modus loquendi per sonos articulatos ore prolatos sit prioribus duobus modis multò perfectior: siquidem per duos priores acumen non ita acquireretur, & Intellectus perficeretur &c. insuper qui iis modis loqui didicêre, per loquelam tertii modi eò devenêre. Et si quis objecerit, quòd homines potuissent Signa rerum constituere scripta, quôcunque item modô characteres signare, pingere, & hâc ratione Visui alterius Signa objiciendo ei vel aliis animi cogitata manifestare, is cogitaverit, quòd hicce cogitationes indicandi modus seu hæcce lingua nec ita facilis nec ita brevis foret: siquidem innumeræ illæ ideæ, variationes, rerum, affirmationes, dubitationes, lenes & graves experimendi modi &c. eô modô indicari non possent: quoniam [ut alia taceamus] pronunciatio & particulæ Orationis negativæ ac aliæ &c. eò faciunt; & faciliùs addiscitur modus per Voces loquendi, uti de infantibus novimus, quòd sine peculiari adhibito studio ac expressa informatione Voces addiscant, nec verò Signa scripta, etiam Signa hæcce sine Vocum Usu aut lentè admodum aut difficulter addiscerent ac intelligerent. Prætereà in tenebris, item cum lumine oculorum orbato communicatio idearum talis vel loquela locum non inveniret &c.

Inde quia loquela per Verba perfectissima omnium modorum possibilium, nulla in Orbe terrarum gens reperitur, nec ullibi Historiarum memoratur, quæ aliô loquendi modô nisi per verba, quali nos utimur, usa fuerit.

Quænàm autem vocum seu verborùm genera requirantur ad indicandas res, substantias, modos rerum ac relationes, de hoc & Metaphysica (Psych. scil. empir.) exponit, quæ fundamentum grammaticæ universalis; quædam deeò vid. (*Met. §.* 300. seq.), pertinent eodem, quæ LOCKIUS *de Intell. hum. Lib.* 3. *Cap.* 4. seq. etiam Philosophia ostendit, quid in linguis desiderandum, quò faciunt, quæ idem LOCKIUS ibid. *Cap.* 9.

Cæterùm quæ de tribus illis loquendi modis memoravimus, ea nos debere profitemur Cl. WERENFELSIO, qui ingeniosa sua hac de materia cogitata eleganter simùl exhibuit laud. *Diss. de loquela*, *Opusc.* p. m. 742. seq.

3. Quod jam attinet ad loquelam protoplastorum, ea etiam mox fuit per verba, sonos ore prolatos: siquidem mox tùm secum invicem, tum cum Deo tùm & cum Serpente locutî leguntur Gen. 3: 2. 3. 10. 12. 20. etiam Adamus animantibus nomina imposuisse, 2: 20. quod arguit Vocum Usum ac potestatem jam priùs obtinuisse: siquidem nisi verba illa, quibus animalia insignivit, jam priùs institutionem suam ac significationem habuissent, non animantia juxta Naturam eorum nominibus insignire potuisset.

Huncce loquendi modum ideò, quia perfectissimus, Deus Adamo uti & reliquas dotes communicavit, actualem scil. loquelam, nec solùm facultatem; quòd si nimirum homo primus ipse loquelam hancce debuisset sibi invenire, verba in Signa rerum constituere, id nimis prolixum ac difficilè fuisset. Scil. dum organis loquelæ & auditûs [quæ utraque requiruntur] adeò affabre efformatis Optimus ac Sapientissimus Creator hominem primum instruxerat, inde finis ac intentio ejus perspiciebatur [uti in omnibus, quæ in Natura occurrunt, rebus, fines Dei deprehenduntur] quòd voluerit, ut homo hisce organis uteretur ad sonos efformandos, voces proferandas, quibus rebus vel cogitata statumque mentis aliis indicare posset, ac ita Societatem cum aliis colere, simùl Deum glorificare.

Facultatem hanc autem Creator benignus statim tùnc & simùl in actum transire voluit, linguam quasi homini dictando, inspirando; viam & ipsi monstrans, dum eum sonorâ voce allocutus, idque sæpissimè! siquidem

quidem neutiquàm omnes Dei apparitiones & ad hominem factæ allocutiones in Mosis historia memorantur, ita Cl. WERENFELSIUS, l. cit. p. 761. 765. Eruditiss. autem SHUCKFORDUS *Vol.* I. pag. m. 75. existimat, Adamum Ratione dotatum ideò notiones rerum sibi non solùm formare potuisse, sed & per organa loquelæ sanos, quibus res pro lubitu designare potuerit, id dein Evæ communicasse, hanc Liberis suis &c. & ita SYRACHUM accipiendum esse dicentem 17: 6. Deum homini [inter alia, inter quæ & imaginem Dei ponit] dedisse loquelam ad elocutionem Operum Divinorum; qui idem memorat ib. p. 73. quod ONKELOS verba Gen. 2: 7. *& factus est homo in animam viventem*, reddat; *& factus est in animal loquens*, aut *Spiritus loquens*; conf. de hisce WALTONUS *appar. Bibl. proleg.* I. §. 1. seq.
Atque ita mirificum illud loquelæ donum jam ab initio Mundi initium sumsit; mirificum inquàm! quid enim, quòd per organa loquelæ soni tàm varii formari, articulati fieri, diversimodè combinari, in Signa rerum ac sic diversimodè combinati organis Auditûs percipi, menti repræsentari possint, ut auditô sonô statim rem ipsam cogites, an non id mirificum? tantò magis, quôd Signa talia in Orationis serie iterum variè combinari, hinc de quibuslibet rebus & tàm varii sermones; ingeniosi, improprii, proprii, sale consperssi, item vel durè seu graviter, vel leniter verba fieri possint; in judicio cômprimis idearum separatio commodissimè indigitari, universales ideæ acquiri, Intellectus perfici queat &c.

4. Ad rationem linguæ, quâ homo primus usus, seu qualis & quænam fuerit, quod attinet judicandum de ea pro ratione circumstantiarum, in quibus Adamus fuit: cum scil. paucæ tùm adhùc res obversarentur, non opùs erat nominibus tôt qualitatum, actionum, minùs artium, aliarumque plurimarum rerum, nonnisi substantivis ferè opùs erat; ubi dein aliæ res, novæ Adamo objectæ, nomina ipsis dedisse censendus est desumta ab iis, quibus (id est nominibus res eas denotantibus) erant similia, desumta; sic Evæ nomen imposuit suo nomini simile, quia vidit, sibi quàm maximè similem esse; ita Cl. WERENFELSIUS

WELSIUS, ubi modò, p. 762. 765. Lubet autem de hisce & quænam è linguis notis illa prima fuerit, audire SHUCKFORDUM [qui ut plurimum doctissima cogitata è proprii subacti judicii penetralibus profert] l. cit. p. 76 —— 81. qui cum modò dictis consentit, & præterea addit, quòd vocibus nonnisi monosyllabis constiterit, uti & infantes loquelam addiscentes monosyllabos tantùm sonos ab initio proferant, protrusionem soni articulati unius solùm requirentes; quô tamen neutiquàm in statum infantilem cum Socin. homo primus detruditur: siquidem rerum primordia omnia tenuia admodum, & vocabula polysyllaba culturæ linguarum debentur; nec donum aliquod imperfectionis arguendum, ubi pro circumstantiis sufficit. Quià parte sermonis unicâ constans concipienda & adjectivis carens, inde ubi epitheton erat adjungendum, v. g. homo crudelis designandus, duo combinata fuisse substantiva, animalis scil. alicujus crudelis, ut diceretur: *leo - homo*; aut ubi designandum erat, quòd persona quædam Factum aliquod patraverit, nomen animalis, talibus actionibus assueti, præfigi solitum; sic porrò ùt mutationibus modorum [in Verbis] temporum, personarum, casuum carens concipienda: quum talia Culturam linguæ adhibitam præsupponant. Jam quoad ea concordare linguam hebræam, utpote paucis gaudentem adjectivis; considerandam autem esse linguam hebræam in statu originali, non uti apud MOSEN reperitur; tùnc enim jam culturam ei adhibitam, verùm considerari debere ùt denudatam ferè; demendas esse scil. 1. vocales & omnem punctationem; 2. affixa & præfixa; 3. modos, tempora, numeros, personas, casus; 4. multitudinem adjectivorum cum regimine casuum.

Linguam jam hæbræam habere criteria ejusmodi linguæ originalis: dum α. omnium nominum in illa origo à Verbis, Scripturâ ipsâ indicante, nomen v. g. Caini à קנה ortum, Sethi à שות; β. omnia Verba constant tribus literis [ùt radices] quæ verò primò monosyllabum constituerunt, ita ut v. gr. ברך primò pronunciatum fuerit ברך *brac*; etiam complures Voces trium literarum tamen unam solùm faciùnt syllabam:

bam : sic אור, אות : γ. ad paucas reduci potest radices, præter propter 500. atque ita tum per primitivorum paucitatem tùm per modò dicta ad brevitatem exiguam reduci potest. Quibus addendum, quòd nomina propria personarum ante confusionem Babelis viventium cognationem habeant arctam cum vocibus, à quibus deducta, *Adam* ab אדמה, *Havvah* (Eva) à חיה; quæ in alia lingua non procedant &c. Nil addimus de mutatione linguarum, & causis ejus, item confusione Babelica, linguis item cardinalibus : hæc enim ad loquelam in genere non pertineant, minus ad ea ducit materia de dono loquelæ homini primo à Deo concreato; præterea vel quoad dicta jam nimia videbitur prolixitas; interim hanc omnino evitassemus, si solùm de ubivis obviis ageretur, & quæ centies dicta, nonnisi repeterentur, uti plurimis mos est; de mutatione autem & confusione linguarum ibid. in seq. SHUCKFORTUS, de his & causis diversitatis linguarum conf. quoque WERENFELS, p. 766. seq. etiam de causis mutationis ac linguis cardinalibus WALTONUS *appar. &c. proleg.* 1.

Ad §. 701. sch. adde : Ita igitur homo primus θεοείκελος fuit ac dici posset; quâ voce de Achille HOMERUS usus *Il. α.* v. 131. Licèt utique nolimus, quòd talia intellexerit dona, de quibus nos hîc : cùm gentiles & præsertim Poëtæ perversas de Divinis foverint opiniones, vid. aliquid de hisce (sch. 2. §. 27. sch. §. 47. sch. 1. §. 50.).

Ad §. 702. sch. ad finem. CALMETUS *Comment.* in Gen. 1: 27. notat terminos illos duos צלם & דמות, [quorum ille (צלם) imaginem, umbram, hic verò similitudinem, figuram, ideam notet] indicare magnam similitudinem; adhiberi 5: 3. ad notandam similitudinem naturæ, qualis inter Patrem & Filium; quosdam Patres distinxisse inter imaginem & similitudinem [ex. gr. Originem, Victorinum] existimantes, hominem mox a Deo ad imaginem suam esse creatum, in qua continuò proficere debuerit, ut ita

ad similitudinem [exercitiô virtutis eminentis] perveniret. Scripturam (ita porrò V. Cel.) Deo attribuere, quæ hominis sunt, membra &c. Judæos quoque hac in re crassis conceptibus non caruisse; interim hominem primum per se concipere statim potuisse, Deum non esse corporei quid. MOSEN non potuisse homini dare ideam magis sublimem de dignitate propria, nisi indicando, eum ad similitudinem Dei factum esse, nec Deum per Mosen loquentem fortiùs potuisse hominem sibi devincire, nisi dicendo, quòd dignatus sit eum ad similitudinem sui facere. Rectè quoque notat, similitudinem illam constitisse in qualitatibus moralibus, innocentia, justitia, gratia, sapientia, quæ ipsum cum Deo univerint, non exclusis cæteris, immortalitate, libertate, &c.

Ad §. 709. sch. 3. lin. 16. Lubet nonnisi hùc adducere, quæ hanc in rem Cel. *Hist. univers.* Auctores, qui sæpiùs Observationes raras exhibent; agunt hac de re *Tom.* 1. *Cap.* 1. p. m. 88 -- 96. ante omnia literaliter hacce MOSEN intelligi voluisse notant, æque ac ea, quæ de monte Ararath & terra Sinear pòst narraverit; ut neutiquam cum quibusdam Ecclesiæ Patribus allegoricè hæcce intelligenda, & Paradisus alibi quàm in terra quærendus sit, etsi vel maximè locus ejus in terra difficulter inveniatur, & in conjecturis subsistendum sit, quod inde veniat, quia Judæi in Captivitate Babyl. circumstantias vel characteres Horti Edenis oblivioni tradiderint, præterquam fluviorum *Hiddekelis* & *Phratis*, unde Christiani antiqua hæcce eruere volentes Ducibus destituantur. Malè in hacce materia à Doctis neglectas esse Observationes quorundam Geographorum ac Itenerario-graphorum modernorum: à mutationibus quippe & à diluvio profectis arcessi non debere, quòd locus Paradisi tenebris adeò sit involutus: cùm MOSE res narret, uti suò ævò se habebant. Durius autem dicunt hi Auctores, descriptionem MOSIS debere considerari convenienter notionibus imperfectis ejus ævi. Quod ad sententias circa Situm Horti hujus, tres esse: unam locare prope Damascum in Syria, ad fontes Jordanis; hanc omnium minimè se commendare: cum nullos ferat characteres à MOSE memoratos, ad quod tamen

men in haece indagatione principaliter respiciendum.

Aliam hypothesin ponere in Armenia inter fontes Tigridis, Euphratis, Araxis & Phasidis; hancce itidem se non probare: eò quòd juxta Modernorum investigationes Phasis non oriatur è montibus Armeniæ, propè fontes Euphratis, Araxis & Tigridis [uti Veteres Geographi falsè perhibuerunt] verùm è monte Caucaso. Tertiam sententiam ponere ad Confluentem *Dylati* [uti Arabibus dicitur] seu Hiddekelis ac Phratis; juxta eam fluvium, qui *Shat al Arab* [seu fluvius Arabum] Arabibus dicitur, esse eum, qui exit ex Edene, qui se in 4. dividat ramos, qui 4. illôs fluvios constituant; loca Scripturæ Edenis mentionem facientia [citata] (sch. 3. §. 709.) huic sententiæ favere; quoad characteres naturales, per quos Havilah designata, esse Auctores, qui testentur, hancce Arabiæ partem ferre aurum, quod ad Bedolah autem & Shoham, posse esse productiones variarum regionum. Premi autem sententiam istam hâcce difficultate, quòd duo brachia Shat al Arabi non mereantur nomen fluviorum, nec sat habere extensionis, ut circuitu suô spatiosos Tractus complecti possint &c.

Novam ideò hypothesin constituunt, illam tertiam leviter nonnisi immutando; nimirum si Eden locetur supra Confluentes Euphratis ac Tigridis, tunc duo inveniri magna brachia, quæ circumdent regionem interjacentem inter utrumque, & potiori jure possint pro Pisone & Gihone sumi quàm brachia Shat al Arabi &c.

§. 710. lin. penult. pro Gen. 1:2. pone 28.

Ad §. 714. sch. ad finem. De origine aliâs regiminis civilis posteà & primorum Regnorum genesi judiciosa sunt cogitata, quæ habentur *Hist. univers. Tom.* 1. *Chap.* 2. *Sect.* 7. p. m. 311-315. ac ibi legantur.

Ad 722. sch. 3. ad finem. Lubet de haece arbore nonnisi unius V. D. cogitata ac sententiam allegare, is est CALMETUS, qui *Comment.* in Gen. existimat, arborem hancce à Deo destinatam fuisse ad procurandam Adamo cognitionem universalem, rerum nempe moralium & naturalium, quin & supernaturalium [qualis tùm Adamo conveniebat]; locutionem: *bonum malum-*

malumque noscere indicare cognitionem rerum Mundi experimentalem, uti & de Telemacho HOMERUS *Odyss.* Y. v. 309. 310. quòd noscat bona malaque, nec ampliùs sit infans. Ad appellationem arboris illius illustrandam notat facere, quòd lex Mosis SYRACHO 17:11. dicatur uti lex vitæ, sic & cognitio ei jungatur, eò quòd etiam scientiam debuerit Judæis impertire. Quod ad speciem, observat, multos existimasse, fuisse pomum, eò trahentes Cant. 8: 5. cùm interim SALOMON hîc non loquatur de primæ mulieris culpa.

Ad §. 723. sch. ab initio, adde: Scil. etiam tùm defuit ferè occasio aliud præceptum Divinum transgrediendi, uti notatur *Hist. univers. Tom.* 1. p. 105. inde, quòd sapienter interdictum illud fuerit præscriptum, ac optimè ita ratio ejus reddatur: cùm aliud præceptum morale, qualia decalogus postea complectebatur, vix injungi potuerit, eò quòd materia & occasio transgrediendi defuerit, annotatur in Commentario illo ex Anglis contexto, inscripto *la S. Bible avec un Comment. literal.* Hagæ C. prodeunte &c.

Ad §. 732. sch. adde: Arbor vitæ & arbor cognitionis boni malique adeò fuerunt duæ illæ arbores maximè omnium in paradiso memorabiles; & hinc quoque solæ à MOSE memoratæ. Singularis quoad hasce arbores & profundiùs repetita est Observatio Auctorum de l'*Hist. univers. Tom.* 1. p. 103. ubi tradunt, explicationem maximè rationabilem quoad eas petendam esse à magna differentia, quæ est inter Statum innocentiæ & præsentem, vi cujus differentiæ certæ res, quæ primo Statui conveniebant, non ampliùs præsenti Statui conveniant; hujusmodi res paucas occurrere in narrationibus MOSIS, esse autem inter eas etiam duas illas arbores.

Ad §. 733. sch. in fine. Quoad arborem vitæ etiam attentione digna ac singularis est sententia, quæ traditur l. cit. *Hist. univ.* incertum esse, num arbor hæc fuerit unica speciei suæ, nec ne; quòd si fuerit, tùm probabile esse, ut, si nullus insecutus fuisset Lapsus, transplantari potuisset in alias Orbis partes, in quantum

tum posteritas Protoplastorum fuisset multiplicata, peccatô scil. Mundum non introëunte; peccatô autem commissô Deum destruxisse productionem, quæ posthâc inutilis foret, & non conveniens maledictioni pronunciatæ; tenent scil. etiam, arborem hancce gavisam esse virtute vires hominis conservandi, morbos, dolorem, abigendi, donec homo transpositus fuisset in Statum adhùc feliciorem. Addunt gentiles videri habuisse per traditionem quandam arboris hujus aliqualem notitiam ac ideam, ubi loquantur de Nectare & Ambrosia, Deos immortales reddente, item de remedio illo universali, Poëtis decantatô.

Ad §. 749. sch. ad finem, adde: Interim quòd Status primorum Parentum æque sub notione obsequii naturalis concipi possit, omninò rectè docent V. D. & Theologi; ac perplacet, quod è Vitringa hac de re monet Cl. & eruditiss. Vir J. Jac. Zimmermannus, Theologus Tigurinus, *Medit. de caus. incred. P. LX. Thes.* subjunctis, No. IX. historiam Mosaicam hanc clarè notionem subjicere, Deum ùt absolutum & naturalem hominis Dominum ipsum tractasse ùt subditum, cujus affectûs & obsequii voluerit capere experimentum.

Ad §. 767. ût sch. Cæterùm materiam de fœdere Operum illustrat etiam Observationibus Theologicis & Philologicis variis erudita & lectu digna Joh. Rod. Salchlini *Dissert. de fœdere Operum, ex D. Hebræis potissimum*, Bernæ, 1738.

Ad §. 769. sch. 3. lin. 33. adde: conveniunt ferè cum hisce, quæ hac de re traduntur egregiè ac doctè in *Hist. univers. Tom.* I. p. 101. 102.

Ad §. 787. tanquàm sch. 3. Quoad sterilitatem terræ, & quomodo ea tanquàm pœna peccati à Deo immissa fuerit, ac per quasnam causas physicas proximas, Whistonus itidem hypothesin protulit [Bürnetii scil. illa, cùm fertilitatem usque ad diluvium obtinuisse velit, minùs se probat, ût indicatum] (sch. 3. §. 1377. seu p. 1197.) quæ recensetur *Hist. univers. Tom.* I. p. 108 — 112. nimirùm quòd Deus ob Lapsum homi-

nis

his terræ maledicens huic impresserit alium Motum; idque mediante Cometâ, rotationem ab Occidente Orientem versùs, unde dies ac nox continuò se exceperint; cùm interim Motus annuus circà alium axem factus tempestates distinxerit [quæ ante Lapsum fuerint æquales, calore æquabili, constanti &c. diametrò terræ, nonnisi revolutione annuâ gaudentis, parallelò axi longiori ellipseos] ac unà cum Motu diurno describere cœperit æquatorem & tropicos, unde uti quoque per circulos polares terra fuerit in zonas distincta; regiones terræ particulares ita Situm mutasse, paradisum, qui prope eclipticam fuerit, transpositum fuisse ultra tropicum borealem; terram è sphæra deveniisse sphæroïdem, polos Mundi, qui pro primævis terræ incolis nec nimis elevati nec nimis depressi fuerint, etiam mutatos esse; Strata terræ superiora findi cœpisse, seu scissa fuisse, ut parti ignis centralis exitus datus fuerit, nec productioni fructuum in terrâ calorem ac Vim amplius communicarit.

At quòd paradoxè terræ ante Lapsum motus diurnus denegetur, jam indicatum fuit in *Addend.* ad (§. 512.); an non tutiùs convenienter Sapientiæ Divinæ tenetur, Deum, cujus Opera sunt harmonica, ut immutatione opus non habeant, hæc jam tùm ita præordinasse, prout perspexerit convenire cùm Lapsu & Statu peccati prævisо? conf. (sch. 3. §. 716. sch. §. 835.); tantò magis quod Status innocentiæ brevis fuerit durationis; & si quis ab ipso terræ Statu hæc derivare nolit, poterit derivare à causa quadam externa, quæ Statum terræ physicum [non autem Motum] mutaverit, turbaverit, per & juxta gubernationem ac præordinationem Divinam, uti & diluvium à causâ physicâ externa deducitur. Pro priori sententiâ posset dici, quòd terra jam tùm, quando Status innocentiæ obtinebat, extra Paradisum fuerit sterilis: cùm homo hùc expulsus fuerit ad laborandum cùm sudore; ad quod autem iterùm reponi potest, terram extra paradisum nonnisi actu fructibus carnisse, non autem potentiâ ac Vi tales ferendi, & hominem paradisò expulsum fuisse, ut arceretur ab arbore vitæ: cùm non conveniret mortis reo arboris vitæ potestatem relinquere. Per & post Lapsum igitur Facies terræ fuit immutata, & Orbi sublunari mutatio inducta,

ducta ; dum non solùm immortalitatis jactura facta ; verùm quoque aër prius temperatus ; serenus , cum fertilitate cessabat , mediantibus v. gr. tempestatibus & influxu peculiari alicujus astri &c. nec tamen ita post Lapsum tellus devenit sterilis , qualis post diluvium facta : cùm id statum ipsius adhùc multò pejorem reddiderit : conf. (sch. 3. §. 1377.) seu pag. 1197. dum ante diluvium majorem longè hominum numerum sustentavit ; hinc fertilior fuerit oportet ; conf. (sch. 3. §. 1363.) seu p. 1157. Igitur duæ fuerunt revolutiones insignes ; quibus Facies terræ ob hominum peccata admodum defœdata ; scil. 1. post Lapsum , seu maledictionem Dei ob peccatum primum ; 2. per diluvium.

§. 792. sch. lin. 1. pro Hos. 6: 17. lege 7.
§. 872. lin. ult. pro 22. lege 18.
§. 878. sch. 2. lin. 25. pro Prov. 3: 19. lege 30: 19.

Ad §. 878. sch. 4. in fine adde sequentia : Scripsit autem hac de quæstione [præter Auctores ; quos BUDDEUS citat *Theol. dogm. Lib. 4. Cap. 2. ad §. 6.* seu p. 790.] etiam CALMETUS *Dissert.* ; quæ extat in *Comment.* ipsius *Tom. 5.* pag. 594 — 600. inscriptam : *sur la beauté de Jesus Christ , sur ces paroles d'Isaïe : nous l'avons vû ; & il étoit sans beauté.* Ibi eruditè docet, quòd antiquissimi Patres ; quorum effata hac in re pondus habeant : cùm traditio tùnc adhùc pura fuerit ac recens ; & qui per monumenta quædam , uti Statuas , imagines pictas , scire potuerint , num Jesus fuerit formosus nec ne ; tamen perhibeant ; formosum non fuisse ; allegat Irenæum , Clementem Alexandr. , Tertullianum ; Augustinum quoque notat venustatem Christo tribuisse non carnis sed animæ ; ita Vir Cel. p. 597. 598. Dein à tempore Hieronymi & Ghrysostomi cœpisse antiquam hancce traditionem deseri , è contrà recipi sententiam ; quòd Servator fuerit pulcher corpore ; id ostendit in anteced. p. 594. 595. producens & è sequiori tempore Bernardum , Nicephorum &c.

Notat posthæc p. 599. Patres duo illa loca de Forma Messiæ agentia , Psal. 45 : 3. & Es. 53 : 2. ita conciliasse , dicendo ; Psalten innuere pulchritudinem mentis ; & locum ESAIÆ sumsisse de statu humili ; contem-

temto, passionibus, p. 600. & si probè verba ipsorum considerentur, deprehendi mediam tenuisse sententiam inter deformitatem ac formositatem; sic Augustinum quoque ac Bernardum illam & hanc de Christo prædicasse diversô respectu, fuisse scil. formosum comparatè ad eos, qui defectibus laborant, uti è contrà Formâ carens haberi possit comparatè ad homines, qui venustate mundanâ, effœminata oculos perstringunt.

Eidem mediæ sententiæ se adstipulari profitetur Vir D., quòd nimirum Jesus eminentioribus, quàm cæteri homines, qualitatibus corporis gavisus non fuerit: quòd, si gavisus esset, fideles primævi omissuri non fuissent id sequentibus tradere; è Statua mulieris hæmorrhousæ, imagine Abgaro missa & aliis hujuscemodi probari nil posse: utpote quæ non ampliùs extent, & à Scriptoribus antiquis non satis fuerint descriptæ.

Minùs venustatem, qualis hominibus mundanis placet, Christo homini adscribendam esse, alacritatem, Risus, jocos, gestus compositos &c. quippe quæ cum expiatione peccatorum non consistant. Interim æque parùm cogitari debere, quòd Jesus fuerit deformis, quòd Natura Ipsi invida fuerit &c. talia cogitare esse injuriosum sacratissimæ Ipsius Humanitati.

§. 919. lin. ult. pro Joh. 5: 26. lege 20.

§. 920. sch. 1. lin. 15. pro is lege iis, & pro EBIONI lege Ebionæis, idque post: CERINTHO; ita nimirùm: iis, qui Christum pro Deo non habebant, CERINTHO, Ebionæis &c.

Ad §. 920. tanquàm sch. 3. Quòd autem Jesus simùl præcellentior fuerit Propheta omnibus aliis, per se patet: siquidem non solùm juxta Naturam humanam modô planè singulari ac multò præcellentiori aliis Prophetis missus fuit per mirandam nativitatem, non solùm juxta eam dona accepit iis cæterorum præcellentiora (sch. 2. §. 886.), fuit solus Propheta ab omni planè peccato immunis (§. 879.); sed & præprimis ob Naturam Divinam (§. 880.) illis fuit superior, illorum Dominus, unde illos Ipse misit; erat Ejus virtus ac afflatus, per quod agebant; de Ipso testati fuêre, Act. 10: 43. & vel præcipuum, quod agebant, erat dies Ipsius ptænunciare, 3: 24.

§. 928.

§. 928. sch. 1. lin. ult. pro Rom. 3: 23. lege 25.

§. 929. sch. 1. in fine adde: Fuit autem sacrificium Christi publicum: talia enim dicuntur, quæ pro integro Cœtu olim in V. T. offerebantur, (זִבְחֵי צִבּוּר) contradistincte ad sacrificia *privata* dicta (זִבְחֵי יָחִיד) pro singulis personis oblata; jam verò Christus sacrificium suum obtulit pro integro electorum seu fidelium & sanctorum Cœtu (§. 435. seq. 453.).

§. 939. sch. 1. lin. 5. pro Rom. 3: 24. lege 25.

§. 949. sch. 3. lin. 16. post jura pone: non.

Ad §. 964. sch. 3. in fine adde: Cæterùm ex iis, quæ in anteced. hinc inde dicta fuêre, patet præcellentia Sacrificii & Sacerdotii Christi; fuit nimirum oblatio victimæ præstantioris quàm legales seu Leviticæ, non solùm ob Naturam humanam, Hebr. 9: 12. 10: 5. & quidem puram ab omni planè peccato (§. 879.), unde pro se offerre opùs non habuit, Heb. 7: 27. sed & præcipuè propter Naturam priori unitam Divinam, 8: 1. seq. longè illâ & infinities præcellentiorem; ob quam ideò unica suffecit oblatio, 10: 12. seq. nunquàm repetenda, 9: 25. seq. quæ omnia confecit (§. 959.), redemtionis æternæ causa, 9: 12. uti & per destinationem voluntariam ab æterno jam factam (§. 454. seq.) Heb. 9: 14. porro quôd per eandem naturam Divinam non obstante trucidatione tamen iterùm revixerit (§. 903), præstantius dein, scil. cœleste Sanctuarium ingressus, Heb. 9: 11. 24. ad dextram Dei sederit, 10: 12. quod ideò [Sacrificium & Sacerdotium Jesu] per legalia, in se inefficacia tanquam scopus & complementum horum præfiguratum, 10: 1.

§. 971. lin. penult. pro Luc. 1: 36. 37. pone: 32. 33.
- - - lin. ult. pro 1. Cor. 8: 8. pone 6. pro Eph. 4: 4. pone 5.

§. 974. sch. in fine adde: præterquàm quôd χαρίζεσθαι etiam notet nonnisi *rem gratam* alicui *facere*, *gratum* quid cuidam *præstare*; uti id probat Cl. ELSNERUS in h. l. non paucis probatorum Scriptorum adductis locis.

§. 988. aliter ponendus est ; ita scil.

Quid homini agendum, ut satisfactio Christi Ipsi in bonum cedere possit?

988. Christus liberationem à pœna promerita non solùm, sed & immeritum jus vitæ æternæ comparavit (§. 937. 955.), adeòque satisfactio in se præstò est, quæ omnibus in bonum cedere posset (§. 940.) ; requiritur ergo, ut ea agantur, sine quibus fructus *satisfactionis* hujus quis percipere nequit, jam *ad fructus* hosce *obtinendos* seu *liberationem à pœna ac jus vitæ æternæ obtinendum necesse est, ut quis* 1. *desideret anxiè bonum, quid è satisfactione Jesu resultat* ; 2. *malefacta, ob quæ liberatione à pœna opus est, velit non facta* ; 3. *ab iis in posterum desistat* : primum requiritur, quia beneficium & bonum nunquam invito & non convenienter desideranti ac ambienti datur, minùs bonum ita magnum ac è pura proveniens gratia, uti id ; secundum, quoniam satisfactio à Christo hunc in finem præstita fuit, ut peccata remitti possent, jam verò ea nemini remittuntur, nisi etiam detestetur : natura rei id docet : num enim pœna condonari potest & condonabitur alicujus malefacti, si malefactum ipsum tamen porro patrare animus sit, & si id perspiciatur ab eo, cujus est condonare, uti à Deo (§. 257.) ? & si non porro patrare animus sit, an non eorum, quæ patrata sunt, pœnitere debebit ? naturæ rei contrariatur, à malo velle liberari, & tamen non à causa mali ; id est à pœna, & tamen non à peccatis, quæ pœnam attraxerunt. Aliter & probatur hæcce assertio inde, quod aliàs gloria Dei seu glorificatio Ipsius sibi non constaret, hinc satisfactio

tisfactio non tenderet ad glorificationem Dei, & Deus hanc non intenderet, contra (§. 49. 271. 970.): ad glorificationem Dei quippe requiritur boni ſtudium, jam id non exercebitur, niſi, quæ oppoſita ſunt, pro malis habeantur [præſertim ab eo, qui priùs ea amavit] & omittantur; unde & tertium requiri patet: qualis enim eſſet pœnitentia, quæ aliâs fert, ut quis vellet non facta, quæ fecit, ubi tamen in iiſdem peccatis pergeret? ac inde iterum ſecundum: ubi enim quis mala judicaverit, quæ prius perpetravit, volet ea non facta, id eſt, dolebit, pœnitebit.

Contradictorium eſſet à parte ejus, qui remittit, vel remittere poteſt, pœnam condonare cuidam, de quo ſciret, quòd culpam continuare meditetur & novis delectetur; hinc & inter homines [quod nunc experientiæ eſt] qui offenſarum veniam ab altero petere ac impetrare vult, pœnitentia factorum tangi debet; id primum eſt, ac per ſe præſupponitur; & niſi fiat, in cauſa eſt ignorantia, quòd alter animum alterius introſpicere non poſſit, non verò quòd non poſtulet.

Quantò magis igitur apud Deum id valet & requiritur, qui animos hominum intimè noſcit (§. 240. & ſch.)?

NB: Sch. jam, quod ſubſtat §. 988. [in ipſo libro] ſubjiciendum §. ſeq. 989. qui ita ponendus:

989. Dum igitur requiritur per naturam rei, ut quis malefacta non facta velit, hinc doleat, in poſterum emendet, ac remiſſionem peccatorum cum juræ vitæ æternæ vehementer deſideret, ſi hujus remiſſionis ac juris ſeu fructum ſatisfactionis Chriſti particeps fieri velit (§. 988.), & Deus id declarat in Verbo ſuo, quòd ſcil. *Quodnam ex ea exurgat fœdus?*

velit pœnas peccatorum remittere & adhuc jure vitæ donare eos, qui doleant ob malefacta, in posterum emendent ac seriò desiderent, quæ Christus comparavit, Psal. 51: 19. Esaj 55:7. Amos 5: 14. Matth. 5: 6. 11: 28. habetur promissum à parte Dei, & si homo id acceptet, exurgit inde fœdus: siquidem id est Promissum & repromissio, seu Promissum ab altera Parte acceptatum; igitur *è satisfactione Christi oritur fœdus inter Deum ac hominem; idque fœdus rectè dicitur fœdus gratiæ:* siquidem in eo Deus gratiam suam ostendit (§. 970.). Christus amorem summum (ib.), consequenter itidem gratiam (sch. §. 312.) erga hominem miserum (§. 841. 846.).

NB. Hùc igitur ponendum sch. illud §. 688.

§. 991. sch. lin. 10. pro Exod. 14: lege 24:

§. 992. lin. 5. ita ponenda: aut conferre possit ob satisfactionem Filii (§. 937. 952. 958.).

§. 993. ita ponendus:

993. Velle, ut, quæ facta, facta tamen non essent, dicitur *pœnitere*, desiderare fructus satisfactionis Christi, aut Christum, dicitur *Fides*, & malefacta in posterum emendare dicitur *Sanctitas:* igitur *pœnitentia ob peccata*, *Fides & Sanctitas requiruntur*, *ut fructuum satisfactionis Christi quis possit particeps fieri*, seu *obtinere liberationem à pœna ac jus vitæ æternæ; & resipiscentia*, *Fides ac Sanctitas sunt conditiones & postulata fœderis gratiæ;* uti & à posteriori probatur, quòd sint, cùm Deus eas requirat: nam pœnitentia postulatur, Matth. 3: 2. Marc. 1: 15.

1:15. Fides, Actor. 16:31. Sanctitas, Hebr. 12:14.

Ad §. 1056. sch. 2. in fine adde: Quòd verò & regenerationis mysterium priscis Judæis incognitum non fuerit, inde patere notat Cl. SCHOETGENIUS *in* Joh. 3:3, quia phrasin ברית חדשה *creaturæ novæ* adhibeant; quòd verò Nicodemus talia ignoraverit, inde factum, quoniam tunc tempora fuerint obscura, ubi plerique luto traditionum immersi, hinc Magister ipsius illi non tradiderit, & etsi Magister ac Discipulus [Nicodemus] locutionem illam in ore habuerint, tamen de vera ejus notione non cogitasse, nedum cordibus percepisse. Recentiores autem Judæos ita habere: *qui pœnitentiam agit, necesse est, ut infanti hodie nato similis sit.*

§. 1059. in fine adde:

Idem etiam inde probatur, quia regeneratio, conversio & vocatio efficax sunt unum idemque, (§. 1057.), per vocationem autem efficacem fœdus gratiæ acceptatur (§. 1011.), jam etiam pœnitentia requiritur ad fœdus gratiæ: dum est conditio hujus (§. 993.), hinc & acceptatur fœdus gratiæ.

Ad §. 1092. sch. 2. in fine adde: Item & præprimis, quòd, dum Fides felicitatem in Christo quærit, hinc remissionem peccatorum in Eo quærat, at ad hanc impetrandam requiritur uti factorum pœnitentia, ita studium futura emendandi (§. 988.), quod est Deum glorificare: vid. (ib.), & quidem per Christum, ob beneficia hujus, seu eô ipsô, quià felicitatem, quam Fides quærit, comparavit. Atque ob id ipsum Christus in æterno pacis consilio placationem sub conditione glorificationis promisit &c.

§. 1172. lin. 4. post verba: Opera bona, adde: ἔργα ἀγαθὰ Matth. 5:16. Eph. 2:10. καλὰ ἔργα Tit. 2:7. 14.

ADDENDA

§. 1177. sch. 1. in fine adde : Atque hæc intelligitur, ubi Scriptura ἀρετὴν memorat, Phil. 4: 8. 2. Pet. 1: 5.

§. 1191. sch. 2. lin. 2. post vocem exemplorum, adde: [græcè παραδείγματα, hinc Ethica *paradigmatica*.]

Ibid. sch. 3. lin. 2. post ἀσκήσεις adde: [unde a posterioribus Theologia *ascetica*.]

Ad §. 1160. ut sch. 3.

Sch. 3. Patet autem, quôd per sanctitatem Christus ut Rex recipiatur [uti per justificationem ut Sacerdos] (§. 1134. 1143. coll. 947. 954. 964.) siquidem actiones determinare juxta præscriptum alterius est id, quod fit erga Reges ac Dominos; sanctitas etiam quia è Fide venit: per (§. 1092. coll. præs.), & Fides ob glorificationem Dei in Christo Hunc ut Regem recipit ac Dominum (§. 1105.), inde per sanctitatem Christum ut talem recipi sequitur.

§. 1202. in sch. ad finem adde: Est autem hæc obsignatio ac dicitur *interna*.

Ad §. 1393. sch. post expositum adde lin. 9. Lubet autem & præterea ad loci Jerem. illustrationem apponere, quæ apprimè huc inserviunt, J. ROD. GRUNERI verba, ex ejus *Disquisit. de cornubus aræ in Tabernaculo ac Templo &c.* ad finem, seu §. 24. ubi ita V. D. » denique cruor piacularis hostiæ cornibus » aræ inditus olim à Sacerdote, ut in quoddam ex- » taret quasi monumentum peccatorum hominum, » iisque quotidie delictorum reprobaret atrocitatem, » mortisque assiduam comminationem, quæ transgres- » sioni Legis juncta, cum exitiali horrendoque car- » mine iisdem jugiter ob oculos poneret; eosque » commonefaceret de futura tandem vera expiatione » vero unicôque sacrificiô, hujusque summa necessita- » te. Adeôque cornua aræ sanguine expiatoriô » tincta extitere ceu quoddam chirographum justitiæ » Dei vindicatrici exhibitum, quô se quilibet piacu- » larem offerens victimam sontem, reum, debitorem, » qui solvendo non esset, declarabat; suique debiti » publicum hocce testimonium, tabulamque cuilibet

» noscendam

» noscendam suspendebat. Hoc clarè innuunt
» verba Jehovæ per Propheram populo Judæorum ex-
» probrantis —— Jer. 17: 1. —— sanguine
» piaculari conscriptos, culpamque exprobrantes libel-
» los —— chirographum ——.



Errores typographici aliâs huic Tomo frequentes, ùt ſpero, non inerunt [comparatè ſcil. ad alios hujuſcemodi libros impreſſos] cùm Auctor ipſe, uti & quoad priores Tomos, omnem adhibuerit diligentiam, ut Scriptum id quodammodo emendatum prodiret; licèt diligentia unius ferè ſolius non ſufficiat erroribus ita detegendis, quin non hinc inde reſtent, qui demum legendo ac relegendo pòſt librum [editùm] animadvertuntur.

THESES

THESES
THEOLOGICÆ

PRÆCIPUA

CHRISTIANÆ DOCTRINÆ CAPITA

EX PRIMIS PRINCIPIIS DEDUCTA CONTINENTES,

Quas

PRO CONSEQUENDO SS. MINISTERII HONORE

PRÆSIDE

VIRO PLURIMUM REVERENDO, SOLIDISSIMO,

D. JOH. HENRICO RINGIER,

V. D. M. ATQUE THEOLOGIÆ ELENCHTICÆ IN BERNATUM LYCÆO PROFESSORE,

publicè defenderunt

ISAACUS SIGFRID, Berno-Zoffingenſis,

&

DANIEL WYTTENBACH, Bernas,

Auctores.

M DCC XLVII.

THESES THEOLOGICÆ.

§. I.

DUm scimus, nos resque alias existere, non minùs clarum nobis est, debere esse rationem hinc & causam, vi cujus potiùs existamus, quàm non, atquè potiùs hòcce modô quam aliò; uti & de aliis rebus omnibus id certissimum nobis est. Sine morâ igitur adstipulamur huic propositioni: *nihil est & fit in mundo sine ratione sufficiente.* Quod dicitur principium *rationis sufficientis.*

§. II. Cùm igitur omne, quod existit, habeat causam (§. I.), & nos habeamus oportet. Causa autem illa vel in nobis est, vel extra nos; si in nobis, tunc non possumus non existere, nec possumus aliter existere, quàm existimus, & proinde sumus *necessarii.* Atqui possemus non existere, vel etiam aliô modô existere, uti & reipsa non semper existimus, nec res aliæ extra nos. Ergò neque nos neque res extra nos necessariò existunt, *causa* igitur *existentiæ non est in nobis ipsis.*

§. III. Quòd si causa existentiæ non est in nobis ipsis, extra nos est. Causam autem investigando non possumus progredi in infinitum, quia aliàs ratio sufficiens nunquam inveniretur; deveniendum ergò tandem ad causam primam; hæc causa rationem existentiæ suæ in alia causa habere nequit: aliàs non foret prima, ergò in se ipsa habet; est igitur necessaria, non potest non existere (§. II.). *Existit* igitur *causa prima*, *necessaria*, id est *Deus*.

§. IV. Cùm Deus à se ipso existat (§. III.), quæcunque habet, à se ipso habet; nulla proinde est ratio nec in Deo, nec extra Deum, cur unica perfecto ejus certis gradibus limitaretur, ergò *est infinitus*, omnia realia & omnes quascunque perfectiones modò eminentissimò & simùl possidens. *Infinitum* enim dicimus, quod omnia, quæcunque actualia possunt fieri, simùl habet; *Finitum* autem, in quo unum post aliud actuale fit.

§. V. Quià Deus necessariò & à se ipso existit (§. III.), etiam *est æternus*; id est, caret initiò ac fine: si enim non esset æternus, potuisset aliquandò non existere, id quod necessitati repugnat. Homero etiam Dii audiunt ἀιὲν ἐοντες, ἀιεὶ γεννῆται. Quoad æternitatem Dei recipimus Boethii definitionem, quòd sit *interminabilis vitæ tota simùl & perfecta possessio*. Atque cum in Dei essentia invariabili nulla sit successio neque in intellectu, neque in voluntate, omne hinc prius

&

& posterius excludimus. Quòd si nunc autem à Dei essentia abstrahas, ac æternitatem sensu vagò pro *illimitata duratione* sumas, vix impetrabis à te, quin in notione æternitatis prius & posterius, seu successionem momentorum infinitam implices.

§. VI. Quoniam Deus est infinitus (§. IV.), *est* quoque *immensus* seu *omnipræsens*. Cave autem, ne omnipræsentiæ Dei ideam extensionis immisceas. Conceptus hi ergò evolvendi sunt: *præsentia* quippe nil aliud est, nisi existentis ad aliud existens proximus respectus, vel est ille status rei ad rem, cujus gratiâ res in rem immediatè agit aut agere, patitur vel pati potest. Prout igitur res sunt diversæ naturæ, diversæ sunt præsentiæ species; corpora, quorum actiones ac passiones in solo motu ponuntur, præsentia sunt, ubi tangere vel tangi possunt; spiritus, qui non aliter quàm intellectu aut voluntate agere patique possunt, iis rebus sunt præsentes, quas sibi intellectu repræsentant & voluntate amant; hinc benè dictum est illud: *Anima est, ubi amat.* Tandem cùm Deus non aliter agat nisi simplicissimò & infinitò intellectûs voluntatisque actu, est omnipræsens, quatenùs *omnes omninò res simùl & semel sibi repræsentat, eas potentissimò nutu sustentat, moderatur atque gubernat.* Etiam Socrates apud XENOPHONTEM Θεὸς παντα χῆ παρεῖναι dicebat.

§. VII. Quod neceſſarium & infinitum eſt, non poteſt non eſſe *unum* : neceſſitas enim abſoluta eſt uniformis nullamque variationem admittit ; duo infinita ejusdem naturæ ſimùl conſiſtere nequeunt. Igitur quia *Deus* eſt neceſſarius (§. III.), atque infinitus (§. IV.), *eſt quoque unicus.* Præterea nulla eſt ratio, quare plures eſſent Dii : unicus namque ſufficit ; ſine ratione ſufficiente autem nihil eſſe poteſt, ergo quoque nec plures eſſe poſſunt Dii. Succinunt Sapientiores Gentilium ; SOPHOCLES apud EUSEB. *præp. Evang. Lib.* 13.

Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ἐστὶν θεός.

VIII. Quandòquidem Deus cauſa eſt omnium rerum, quæ exiſtunt (§. III.), adeoque eas produxit, aliæ autem, quæ non exiſtunt, æque poſſibiles fuiſſent, potuiſſet & illas ad exiſtentiam perducere ; proinde *eſt omnipotentia præditus*, quam definimus per vim omnia poſſibilia ad ſtatum actualitatis perducendi. Patet ergò, objectum omnipotentiæ Divinæ non eſſe ea, quæ contradictionem involvunt : quæ quippe ſunt impoſſibilia, merum nihilum, & ob terminorum repugnantiam ac mutuam deſtructionem concipi nequeunt. Omnipotentiam Dei agnovêre Gentiles, ipſum appellantes παντοκράτορα, & HOMERUS ſæpiſſimè de Jove : δύναται γὰρ ἅπαντα.

§. IX. Ubi eſt compoſitio, ibi ſunt limites, in

in Deo autem nulli sunt limites (§. IV.), ergò *nec composita locum habere potest. Ens* igitur *infinitum & perfectissimum est simplex*, proinde *Spiritus*. Deus extensus est non-Deus.

§. X. Exinde ex variis attributis, quæ in Deo admiramur, nulla in ipso oritur compositio, sed tantùm in nostro concipiendi modò. Quicquid in Deo est, est ipse Deus, & ad simpliciſſimam Dei essentiam pertinet, quæ cùm erga diversa objecta diversimode operetur, nos diversas illas operationes simpliciſſimæ essentiæ Divinæ diversis nominibus insignimus. *Clarum est* ergò *perfectiones Divinas*, uti sumimus, *nil aliud esse nisi diversas relationes, quas Dei essentia habet ad diversa objecta.*

§. XI. Quoniam Deus omnia produxit (§. VIII.), adeòque totus mundus ejus Opus est, ex opere autem de sapientia ac arte artificis firmiter potest judicari; profectò ex admirabili illo opere, hocce scil. Universo, perfectiones Dei solidè elici possunt: nihil enim est, de quo non constet, ad finem aliquem illud comparatum esse; imò fines particulares rerum naturalium semper in generaliores resolvi possunt, proinde media sunt, & quidem optima & breviſſima ad ulteriores fines. Liquet exinde, *Deum esse sapientem*: is enim est *sapiens*, qui scit optimum sibi finem statuere, & media eligere, huic fini consequendo convenientiſſima ac breviſſima.

§. XII. *Ex eodem opere Bonitatis* quoque *Dei elucet :* unde etiam homo felicitatis capax existit? Unde rebus ad vitam sustentandam necessariis voluptas addita est, nisi quia Deus summè bonus est? Imo inter causas, ob quas Deus entia condidit, vel præcipua est bonitas, ut eam communicaret. Bonitatis veluti rami sunt *patientia*, *misericordia* &c. Multis hanc bonitatem Dei deprædicant Gentiles, ex iis DIPHILUS Comicus apud EUSEB. *præp. Evang. Lib.* 13. *Cap.* 13.

- - Τοῦτον διὰ τέλους τίμα, μόνον
Ἀγαθῶν τοσούτων εὑρετήν, καὶ κτίστορα.

§. XIII. Ex sapientia cum bonitate conjuncta oritur justitia; ergò quia *Deus* est sapiens (§. XI.), atque bonus (§. XII.), *est* quoque *justus*, benefacta compensat, malefacta punit. Supremus gradus justitiæ est *Sanctitas*, quæ versatur circa bonum malumque morale. Quia autem *Deus* Summum sapientiæ & bonitatis gradum possidet, etiam *est justissimus*; hinc non potest non malas actiones abhorrere, odiumque suum pœnis testatum facere, non potest non harmoniam rerum, quæ per peccatum violata est, expiatoriâ pœnâ compensare; id sibi ipsi debet. Quis non inde perspicit, justitiam ultricem non esse arbitrariam, sed Deo quam maximè naturalem? Haud malè de justitia Dei Gentiles; hinc MENANDER apud EUSEB. l. c.

Ὁ γὰρ θεὸς γέργοις δικαίοις ἥδεται,
Καὶ οὐκ ἀδίκοις.

§. XIV.

§. XIV. Deus, quandoquidem sapientissimus est (§. XI.), in operibus suis nonnisi optimum sibi proponere finem potuit; quum autem simùl sit infinitus, adeòque perfectionibus ejus nil novi accedere queat (§. IV.), *nil aliud nisi manifestationem gloriæ suæ potuit intendere.* Atque is igitur est Supremus & generalis Dei finis, ut per Opera infinitas suas perfectiones & virtutes extra se exhibeat; gloriam itaque suam, quæ perfectionum Divinarum veluti Summa & pondus est, mirè illustret. Supremo autem isti fini innumerabiles alii particulares fines ceu totidem media per continuam & artificiosissimam seriem subordinantur.

§. XV. Tot admirandis perfectionibus *physicis* & *moralibus* cùm Deus fulgeat, cùm etiam in operibus suis velit glorificari (§. XIV.), non possumus non propter illas veneratione, propter has autem amore erga Deum accendi. Atque *inde oritur Cultus Illius*, qui consistit in actionibus, quarum motiva sunt perfectiones Divinæ. Accedit specialius consideratio justitiæ Divinæ benefacta remunerantis, malefacta punientis ceu præcipuum motivum ad actiones patrandas Deo gloriosas.

§. XVI. Actiones hæ bonæ, quoniam naturaliter Dei virtutibus conformes sunt, ita ut contrarium earum contra Dei sanctitatem pugnet (§. XIII.), quoniam etiam per naturam & essentiam suam hominem felicem, è contrario autem malæ itidem per essentiam suam eum in-

felicem reddunt, adeòque tales jam in ſtatu ideali, antequàm Deus mundi hujus exiſtentiam decreverit, fuerunt, decretum Dei non poteſt eſſe cauſa bonitatis aut vitioſitatis earum, adeòque tales ſunt antecedenter ad voluntatem ejus. *Moralitas* proinde *actionum eſt intrinſeca, nec arbitraria.* Vel an Deus ter Optimus potuiſſet præcipere odium Summi boni, quod ſumme amabile eſt, ingraditudinem erga benefactorem, &c.?

§. XVII. Cum igitur *actiones morales* rationem honeſtatis & turpitudinis habeant in ſe ipſis & non extra ſe (§. XVI.), *neceſſariò tales ſunt* (§. II.), proinde *tales ab æterno* (§. V.); & quoniam illarum norma nominatur *lex naturæ*, *oportet* etiam *ſit æterna*, *indiſpenſabilis. Juſtitiam* quoque *Dei remuneratoriam ac punitivam*, quia in obſervatione legis hujus indiſpenſabilis verſatur, *non poſſe diſpenſare tam quoad præmia quàm pœnas* luculenter inde ſequitur.

§. XVIII. Inde etiam elucet, Deum præcipiendo actiones bonas antecedenter ad voluntatem ſuam, non agere nobiſcum Summi Regis ad inſtar pro lubitu leges ſtatuentis, ut eminentiam tantummodò ſuam authoritatemque oſtendat, apud quem ſtet pro ratione voluntas; ſed potiùs juxta bonitatem ſuam (§. XII.) Scheſin benigni Domini atque Patris induere, ea inducando media, quibus nos perfectiores felicioresque reddi queamus; adeòque ſi ſaperemus, idem nobis, quod lex, imperaremus.

§. XIX.

§. XIX. Quandoquidem Deus justitiam suam dispensare tam quoad præmia erga bonos, quàm quoad pœnas erga malos non potest (§. XVII.), & tamen experientia docet, bonis in hac vita sæpè malè, malis autem benè esse, inde *pro certo concluditur*, *aliam vitam post hanc exspectandam esse*, *in qua compensatio bonarum malarumque actionum juxta rigorem justitiæ Divinæ fiat*; quod etiam aliquo saltem modò Gentiles perspexêre, hinc antiquus Comicus apud EUSEBIUM l. cit.

Καὶ γὰρ καθ' ἅδην δύο τρίβους νομίζομεν,
Μίαν δικαίων ἑτέραν δ' ἀσεβῶν εἰν ὄρον.

§. XX. Quòd si post hanc vitam præmia pœnasque distribuet Deus (§. XIX.), *anima post mortem superstes sit oportet*, per consequens *immortalis*, ita ut non modò indestructibilis sit, sed & rationem personalitatis retineat. *Spiritualitas* etiam animæ & *immortalitas* ex operationibus ipsius clarè ostendi potest: quid enim? An vel subtilissima materia posset sibi repræsentare objecta, eorum differentiam à se dignoscere? num judicare, judicium suspendere, ratiocinia inter se connectere posset? Non crediderim. Inter Gentiles Plato præcipuè animæ immortalitatem agnovit, hinc de eo ATTICUS Philosophus apud EUSEB. *Lib.* 15. *Cap.* 9. Δῆλα γὰρ ταῦτα - - ὅτι Πλάτων μὲν ἀθάνατον τὴν ψυχὴν ἀπολείπει - - ποικίλως καὶ παντοίως ἀποδεικνὺς, ὅτι ἀθανάτῳ ἐστὶν ἡ ψυχή.

§. XXI. *Homo* ad actiones suas attendens illicô convincitur, se legem illam æternam (§. XVII.), quam Deus tanquam benignus Pater è motivo propriæ felicitatis proponit (§. XVIII.), sæpissimè ac multis modis protervè transgredi; propterea *non potest non cum tremore severam Dei justitiam pœnas necessariò exigentem* (§. XVII.) *extimescere:* pœnitentiam certè non sufficere ad Deum placandum, vel Gentiles per sacrificia sua agnovêre. Hinc quô se vertat homo, nescit, quærit solatium, medium placandi Deum anxiè scrutatur.

§. XXII. At incassum verum placamentum Ratio apud se ipsam quærit. Dei quidem summa bonitas aliquam spem indere videtur (§. XII.), at spem destruit severa ejus justitia (§. XIII.), admiranda autem atque amica misericordiæ & justitiæ Divinæ combinatio Rationi humanæ planè impervia est, quamdiu Deus ipse sapientiæ suæ thesauros nondum aperit. Deus itaque interveniat, *Deus ipse medium expiationis* præbeat & *revelet necesse est.* Quid mirum, si Gentilium etiam cordatiores anxii vixerint & dubii mortui sint? Omnis itaque cognitionis naturalis insufficientia, atque revelationis Divinæ necessitas in aprico posita est.

§. XXIII. Equidem hoc suspicatur Ratio, dari revelationem: quando enim summam Dei bonitatem considerat (§. XII.), quando etiam perpendit, quòd Deus miserum ac indignum genus humanum providâ suâ curâ adhuc

adhuc foveat, colligit inde, Deum propositum gratiæ in animo habere, ipsumque hominibus *placamentum* parare, idque lumine supernaturali *vel jam revelasse, vel adhuc esse revelaturum.* Sic Socrates de omni Philosophia desperans conjecturavit, fore ut aliquis quondam ex cœlô descendat, hominesque veram ad Deum viam edoceat.

§. XXIV. Quòd si nunc talis revelatio occurrat, quæ certissimis Divinitatis characteribus sese commendet, quæ scil. sanæ Rationis notitionibus non contrarietur, sed eas perficiat, Rationis defectus suppleat, tale liberationis medium, ubi summa Dei misericordia, justitia atque sapientia amicissimè conspirent (§. XXII.), detegat, miserum itaque hominem soletur, erigat atquè sanctificet; Ratio sanè monet, suadet, urget, ut ejusmodi revelatio ceu pretiosissimum Dei miserantis donum avidâ gratâque mente recipiatur.

§. XXV. *Omnium* autem, *quæ in Mundo jactantur, revelationum supernaturalium solam eam, quæ in Christianorum Bibliis continetur, veris characteribus Divinitatis dotatam esse, tantò firmius creditur, quanto res altiùs & exploratiùs expenditur:* hìc doctrina est Deo digna, miseri peccatoris impotentiæ accommodata; præcepta sunt sancta, præstantissimis promissionibus munita; vaticinia omniscium loquentem demonstrant; stylus majestatem cum simplicitate prodit; testes experientiâ & candore se commendant fide dignos; miracula innumera

mera Deum Authorem clamant. Ut taceam testimonia Authorum profanorum de Mose ac multis historiæ sacræ factis collecta à GROTIO, HUETIO; nonne tot habes argumenta, quot rei indoles patitur? Nonne plenissima evidentia moralis adest?

§. XXVI. Naturaliter inde sequitur, finem Dei hanc revelationem dantis esse, homines per eam ad salutem perducantur. Joh. 5: 39. 2. Tim. 3: 15 -- 17.

§. XXVII. Quia *Christianorum revelatio* Sacrâ Scripturâ comprehensa ob inditos caracteres Divinam sui originem certò prodit (§. XXV.), *pro unico fidei principio agnosci debet, nec* proinde *locus dandus privatis revelationibus aut traditionibus :* vel enim cum Scriptura consentiunt, vel non: si posterius, manifesto falsæ sunt, si prius autem, non opus est iis, Deut. 4: 2. Gal. 1: 8. Apoc. 22: 18. 19.

§. XXVIII. Cùm finis revelationis sit salus hominis (§. XXVI.), sequitur inde, *quemlibet hominem privatum non tantùm posse, sed & debere eam legere, etiam pro se interpretari*, Esaj. 8: 20. Actor. 17: 11. 2. Petr. 1: 19. Apoc. 1: 3. Unde iniquum non minùs quàm Rationi contrarium est Pontificiorum Postulatum, contendentium contra Naturalistas, Revelationem equidem hominibus summopere fuisse necessariam, ac Deum eam dedisse, ut viam ad salutem inde discant, interim tamen non

ab

ab omnibus, quibus innotuit, esse legendam, nec examinandam.

§. XXIX. *Si privata Sacræ Scripturæ interpretatio noo admittitur, Ecclesiæ infallibilitas non potest probari:* absurdum enim foret asserere: hic locus infallibilitatem Ecclesiæ indicat, quia infallibilis Ecclesia vult, ut ita intelligatur.

§. XXX. Siquidem Scriptura interpretanda est (§ XXVIII.), id ad certas fieri regulas debet. Quum autem revelatio Rationi sanæ non adversetur, sed suppetias ferat (§. XXIV.) [utraque enim ceu donum à Deo provenit, proinde mutuam contradictionem non patitur, uti neque lumen lumini contrarium est] ita *nullus in interpretatione Scripturæ sensus admittendus est, qui evidente Rationis notiones destruit.* Ut autem tutô eatur pede, benè dispiciendum est, num aliquid reverâ sit contra Rationem, ita ut veritates æternas manifestò evertat; an verò saltem sit supra Rationem, seu ei ignotum [dum Ratio equidem nec ejus nexum cum aliis veritatibus per Naturam cognoscendis perspicit, interim nec distinctè illius impossibilitatem] & nonnisi veritatibus contingentibus, mutabilibus adversetur. Quod examinare omnino Rationis debet esse: quippe per hancce facultatem & homines sumus, Deum ejusque Revelationem ac ipsam Rationis insufficientiam agnoscimus. Inde patet, *quammaximè Rationis usum esse in Scriptura interpretanda:* necessarium est organum

num ad dijudicandum veritatem. Qui Rationem igitur planè vult abdicatam, idem facit, ac si oculos sibi effoderet, ut luminis radios eò meliùs possit videre.

§. XXXI. Quum præterea quilibet proprii sermonis optimus sit interpres, Scriptura erit Scripturæ interpretandæ norma, eoque magis, quòd in ea tanquam in verbo Dei nil nisi veritas esse possit. *Semper* igitur *respicienda attentè est Analogia fidei*, monente Apostolô Rom. 12: 6. per quam intelligimus nexum veritatum revelatarum, quatenus firmè cohærent, unaque sine altera esse nequit; adeoque cùm Rationem definimus per *connexionem veritatum*, Analogia fidei nil aliud nobis erit nisi *Ratio sacra*, seu *illuminata*.

§. XXXII. Pontificii, qui infallibilitem controversiarum decisionem in Ecclesia sua quæri volunt, conveniant primùm inter se, ubinam supremum illud forum quærendum sit? An apud Papam, an apud Concilium, an apud utrumque?

§. XXXIII. Quæcunque recta Ratio de Deo docet, ea roborat Scriptura, præterea autem nobis revelat, quæ Ratio nunquam suspicari potuisset (§. VII. XXIV.), scil. *Deum esse Triunum*, eoque admirandum salutis arcanum aperit. Quomodo autem tres personæ in unica & simplicissima essentia Divina ab æterno existere possint, hoc est quod nescimus, atque in abscondita Divinæ infinitatis profunditate

ditate latet, Prov. 30: 4. Neque ideò minùs credendum, cum expreſſis Scripturæ verbis firmatum ſit, Matth. 28: 19. Joh. 14: 16. 26. 2. Cor. 13: 13. 1. Petr. 1: 2. 3.

§. XXXIV. Locum illum 1. Joh. 5: 7. quô Trinitatis myſterium luculentiſſimè declaratur, non obſtante quorundam Codicum diſſenſu, genuinum eſſe firmiter tenemus.

§. XXXV. Quoniam ſolatio & ſaluti peccatoris conducit, ut noſcat genuinum expiationis medium (§. XXII.), aliàs illud apprehendere non poſſet, illud autem medium in Trinitatis dogmate pateat; inde clarum eſt, *doctrinam hanc de Trinitate ad ſalutem eſſe neceſſariam*, Joh. 17: 3. 1. Tim. 3: 16.

§. XXXVI. Cùm itaque myſterium hocce ad ſalutem neceſſarium ſit (§. XXXV.), *oportet* etiam *fidelibus Vet. Teſtam. revelatum fuerit:* id quod non tantum ex diverſis foliorum Propheticorum locis patet, Pſal. 33: 6. Jeſ. 48: 16. 61: 1. ſed & ex doctrina Cabbaliſtica Judæorum concluditur: ubi tres Superiores ספירות quæ ſunt חכמה בתר & בינה, non tantummodò tria attributa, ſed tres hypoſtaſes Divinas indigitare videntur. Uti & alia hujus doctrinæ clara indicia in genuina Cabbala, apud Doctores midraſchicos, præſertim in libro *Sohar* occurrunt; qualia produxerunt MEYERUS, NORRELIUS Suecus &c. Gentilium verò Trinitas, qualis v. gr. in Oraculis Zo-

ROASTRIS dictis, & doctrina PLATONIS, cautè hùc advocanda est.

§. XXXVII. Quia Deus infinitus est (§. IV.), nulla in ipso nova cogitatio aut volitio locum habere potest, hinc rectè infertur, *Deum jam ab æterno Universum istud* tùm quoad regnum naturæ, tùm quoad regnum gratiæ *cum omni causarum & effectuum, eventuumque determinata serie concepisse, voluisse*, definivisse, & *ad statum futuritionis decrevisse*; ita ut *Deo decreta temporaria vel decretorum pro circumstantiarum ratione mutationem tribuere idem sit, ac Deum facere hominem.*

§. XXXVIII. Iterùm quoniam perfectiones Dei sunt infinitæ (§. IV.), indicant, Deum unicô & simplicissimô nutu omnia decrevisse. Distinctio decretorum inde realis non est, sed oritur tantum à diversitate objectorum. Nihilominùs tamen non planè est absonum, de *ordine decretorum* aliquid investigare, modò id sobriè ac placide fiat; per ordinem autem non intelligimus successionem temporis, qualis non datur in unico actu, sed connexionem rerum decretarum, quatenus una rationem alterius in se continet.

§. XXXIX. Si decretum Dei tantùm circa *conditiones* salutis, non verò circa *ipsas personas* versatur, tunc rogo: An Deus novit, quænam personæ credituræ sint, nec ne? Novit omninò, quia scientia ejus est infinita (§. IV.)? sed unde novit? An ex decreto suo, an

an verò ex scientia simplicis intelligentiæ, quâ omnia possibilia comprehenduntur ? Si posterius porrò rogo: unde fides hujus vel illius hominis ex statu possibilitatis in statum futuritionis pervenit? an per se? nemo id dicet, nam hoc fieret independenter à Deo. An per intellectum Dei? nec hoc: nam intellectum ejus non dare existentiam, constans est omnium sententia. Ergò unicum hoc restat, factum id esse per voluntatem Dei, inde autem inferimus, quòd, uti Deus omnia possibilia novit scientia simplicis intelligentiæ, ita futura aliter scire non possit nisi scientia visionis per decretum suum, quoniam omnis futuritio nonnisi ex voluntate ejus fluit. Ergò *omnia seu conditiones, seu salus, seu ipsæ quoquæ personæ, absolutô Dei decretô definita sunt.* Rom. 9: 21. 22. Eph. 1: 4. 5.

§. XL. Ne autem dicas: si omnia decreta sunt *absolutô decretô*, ergò preces & labores inutiles sunt, fiet semper id, quod Deus decrevit; incidimus in fatalem necessitatem, in *sophisma ignavum* λόγον ἀργον, ùt Veteres appellabant &c. Nam si finis decretus est, media etiam decreta sunt; si Deus vult effectum, vult quoque causam; si verbi gratia moriendum est, causa etiam mortis adsit necesse est. Omnia in hocce mundo arctè inter se colligata sunt; ergò nexus causarum & effectuum tollit necessitatem fatalem & sophisma ignavum.

§. XLI. Quòd mundus existentiam suam

Deo debeat, atque ideò immediatè ab eo fuerit creatus, recta Ratio docet (§. III. VIII.).

De mundi autem conditi tempore etsi nil præcisè definire Ratio possit, tamen ex novitate artium ac aliis argumentis satis clarè colligit, antiquitatem mundi non posse esse multò majorem, quam descripsit MOSES. Quæ Gentiles, uti SANCHONIATON, HESIODUS, aliique de formatione mundi narrarunt, non ita statim, ùt quæ cosmogoniam Mosaicam prorsùs referant, sunt habenda; quamvis vestigia adsint, quæ ostendunt traditionem antiquissimam corruptam.

§. XLII. *Ex nihilo nihil fieri*, axioma quidem est sanæ Rationis; *metaphysicè* sumtum denotat, nil fieri sine *ratione sufficiente* (§. 1.); *physicè* autem, significat: ex nihilo nihil produci; priori sensu axioma istud omninò verum est; sed posteriori sensu applicatio ejus non ampliùs quadrat, quando causa productrix omnipotens adest. Ergò dictum hocce nihil facit contra creationem mundi; nobis potiùs arma præbet adversùs eos, qui rerum formationem *mero casui* tribuunt, eôque modô ex nihilo aliquid produci docent, nam *casus* excludit *rationem sufficientem*, ideòque est merum nihilum.

§. XLIII. Quandoquidem Mundus omnipotenti Dei voluntate è nihilo est productus (§. VIII.), hinc Deus æque eum in nihilum redigere posset, sequitur, quòd, quàmdiu existit, Deus velit eum existere, & per Dei voluntatem

tem perduret, quod dicitur *conservatio;* proinde *Deus Mundum* etiam *conservat.*

§. XLIV. Cùm etiam determinata causarum & effectuum series jam in decreto Divino ab æterno concepta fuerit (§. XXXVII.) omnia fiunt juxta & per voluntatem Dei, ergò *Deus mundum gubernat.* Etiam mundi ordo id demonstrat: quis enim Rempublicam prudenter ordinatam & administratam cernens non suspicatur sapientem rectorem? quidni igitur ex sapientissima mundi gubernatione sapientissimus omnium moderator certò colligeretur?

§. XLV. Rursus, cùm Deus sit omnipræsens (§. VI.), totamque omnium eventuum seriem ab æterno definiverit (§. XXXVII.). *Ipsius providentiæ omnes eventus quantumvis parvuli subsunt.* Imò si Deus de quantulacunque re incurius esset, futurum mundi statum non completè, & posteà semper incompletiùs prævideret, quoniam omnes eventus ita cohærent, ut singuli eorum fœcundissimè sese in futurum dilatent. Proinde ij, qui Providentiæ Dei vel minimum subtrahunt eventum, non inspexerunt fœcundissimam causarum & eventuum concatenationem. Matth. 6: 26. 30. 10: 29. 30. Hebr. 1: 3.

§. XLVI. Si daretur Princeps ita vasto ingenio dotatus, ut non modo negotia tractare publica, sed & omnes suos cognoscere subditos, singularum familiarum statum perspectum

habere, & quorumlibet particularium curam gerere posset, nonne talis admiratione & laude dignus censeretur? quare ergò Deo inglorium duceretur, etiam minutissima quæque curare? quin potiùs infinita Dei potentia, sapientia & benignitas inde elucet?

§. XLVII. Cùm Deus sit omnipotens (§. VIII.), & bonus (§. XII.), adeòque malum & possit & velit impedire, mirum videri potest, in mundo malum existere; hinc vetus quæstio: *Si Deus, unde malum?* de quo mentem nostram modestè aperire liceat: Deus optimum mundi systema elegit, hoc autem optimum est, in quo singulæ ejus virtutes se demonstrare possunt; id verò fieri non potuisset, si mala in illud non fuissent ingressa: etenim misericordia non habuisset locum, ubi non fuisset miser, atque exercitio caruisset summa Dei justitia, si deforet materia ad præmia & pœnas; ut jam nil dicam de sapientia, potentia ac omniscientia Divina, quæ in dirigendo & corrigendo malo excellentem virtutem exerit. Item ex parte hominis maximæ virtutes uti patientia, mansuetudo &c. absque malo se manifestare non potuissent. *Quod si* igitur *quædam videantur in se incommoda, ad generalem tamen Universi perfectionem conferunt.* Manichæorum itaque objectiones contra principium unicum, quas recentiori ætate magnô ingenii ac eruditionis apparatu ursit P. Bælius, satis feliciter solvi possunt.

§. XLVIII. Si infinitam illam causarum & effectuum

effectuum seriem planè perlustrare, si totum mundi systema completè perspicere, atque omnes omnium rerum relationes in tanto opere colligere possemus, nullum amplius de Providentia dubium relinqueretur, stupendam omnium harmoniam & pleniſſimam perfectionem laudaremus. Sed videmus tantum aliquot operis fragmenta; totum nexum, unde tamen elegantia & perfectio pendet, non perspicimus; quid mirum, si aliquod imperfectiones videre nobis videamur, atque in solvendis difficultatibus de malo aliquatenus hæreamus?

§. XLIX. Deus sanctiſſimus, qui se naturaliter amat, atque in operibus suis potiſſimum suam gloriam & perfectionum manifestationem intendit (§. XIV.), creaturas rationales conditurus, *eas talibus intellectus & voluntatis dotibus non potuit non instruere, quibus Creatori glorificando idoneæ essent.* Deus etiam, qui bonus est & bonitatem communicat (§. XII.), *ea Creaturæ bona impertiri debuit, quæ ad perfectionem & felicitatem ducunt.* Hinc Deus hominem ad *imaginem suam* creavit, Gen. 1: 27. id est, sapientia, justitia & sanctitate eum exornavit, ut posset cognitione & amore Deum glorificare, Ephes. 4: 24.

§. L. Exinde quàm clariſſimè sequitur, homini integro legem datam officiumque impositum fuisse, omnes animæ & corporis dotes in Creatoris gloriam impendendi, eum itaque intellectu cognoscendi, voluntate supra omnia amandi, corpore utendi ad exequenda

ejus mandata, eumque plenaria obedientia colendi. Atque ut homini foret dependentiæ ſuæ à Creatore teſtimonium, & externæ obedientiæ materia, ideò mandatum de non comedendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali accepit, quod non ſine ratione ſufficiente datum eſſe, palam hinc eſt.

§. LI. Cùm autem lex præmia & pœnas naturaliter ſecum trahat (§. XVII.), ideò *lex primo homini data neceſſariò præmiis & pœnis ſancita fuit, & quidem æternis.* Quando igitur Deus legem ſuam comminatione mortis munit, non modo temporalem ſed & ſpiritualem atque æternam mortem ibi eſſe intelligendam, inde pateſcit. Ex adverſo autem homo integer, abſoluto obedientiæ curriculo, tum ex Dei bonitate (§. XII.), tum ex legis indole (§. XVII.), majorem ſibi promittere felicitatem potuit.

§. LII. Quia nihil fit ſine ratione ſufficiente (§. I.), etiam *libertas in electione non poteſt agere ſine ratione*, illam propterea definimus per facultatem mentis ex pluribus poſſibilibus eligendi, quod lubet, convenienter rationibus propoſitis. Hinc à libertate procul abeſt omnis *coactio*, quà homini ab extra vis infertur, tunc enim ipſe non eligit; longè abeſt *neceſſitas metaphyſica*, ubi tantùm unicum objectum poſſibile eſt, & proinde electio ceſſat; abeſt etiam *neceſſitas phyſica*, ubi nulla cognitio objectorum locum habet; ſed adeſt duntaxat *neceſſitas moralis*, quæ nil eſt niſi certi-

tudo

tudo, ita ut homo per hæc aut illa motiva ad hoc aut illud ſuaviter atque libenter inclinetur, quia ſcil. meliora videt.

§. LIII. Hinc quoniam *libertas indifferentiæ* adverſatur principio rationis ſufficientis, impoſſibilis eſt, eſt chimæra, nil eſt niſi inactio voluntatis. Præterea qui indifferentiam æquilibri in libertate tuentur, reſpondeant nobis, num Deus, Angeli, beati cœlites non ſint liberrimi? an autem ad bonum & malum indifferenter ſe habeant?

§. LIV. Quandoquidem Deus omnia decrevit (§. XXXVII.), ejuſque Providentiæ omnes eventus ſubſunt (§. XLV.), etiam *lapſus Protoplaſtorum per voluntatem ac providentiam Dei evenit.* Interim tamen Deus non voluit ipſum *lapſum*, ſed potiùs *bonum*, quod ex lapſu elicere novit; atque cum Deus decreverit actiones, uti ſunt, neceſſarias ùt neceſſarias, liberas ùt liberas, decretum Divinum libertatem hominis non infringit, quin potiùs ſupponit. Lapſus itaque Adami fuit quammaximè voluntarius.

§. LV. Protoplaſti peccatô ſuô minutulum fructum Deo, ſummo bono, anteponentes, ingratos ſe pro acceptis beneficiis exhibuêre, obſequium dependentiæ denegarunt, ideòque non modo legem poſitivam ſed & naturalem violarunt, eamque ob cauſam *peccatum eorum ſanè fuit graviſſimum*; ut malè increduli illud derideant ob levitatem materiæ.

§. LVI. Cùm lex amoris & obedientiæ æterna sit atque indispensabilis (§. XVII), & proinde penes hominem non stet eam abrogare, sequitur, *fœdus operum per peccatum antiquatum* vel abrogatum *dici non posse, nisi respectu juris restipulandi vitam æternam.*

§. LVII. *Hominem Legis naturalis frequentem transgressorem*, ideòque *miserum esse*, experientiâ loquitur, & cujusvis conscientia arguit (§. XXI.); idem etiam Scriptura confirmat, quæ præterea mali hujus originem atque gravitatem innuit, scil. hominem jam ab incunabulis corruptum & peccatis immersum esse, Gen. 6: 5. Psal. 51. 7. intellectu obtenebratum, 2. Cor. 3: 5. Eph. 4: 18. voluntate perversum, 1. Petr. 4: 3. pravis affectibus, qui ex motibus perversis corporis in mente oriuntur, agitatum, Rom. 6: 6. 12. neque ex totô hominum genere esse ullum, quem miseranda ista labes non inquinaverit, Job. 14: 4. Joh. 3: 6. Quæ misera non ex carentia primævæ imaginis Divinæ tantum, sed & ex concupiscentiis pravis ingenitis provenit; ubi etiam observare pronum est, quòd tanta non esset corruptio, nec tantus intellectûs & voluntatis morbus, si per imitationem duntaxat & non per propagationem naturalem in posteros descenderet.

§. LVIII. Quantumvis autem magna sit corruptio, irregenitus tamen cum ratione nunquam causari potest, se non lubenter sed coactè peccare. Equidem cogunt eum pravi affectus.

fectus. Quid verò hoc est, nisi cogi à se ipso? nonne lubenter ejusmodi habitus pravos sibi contraxit? nonne voluntario dominationem istam suscepit? nonne sæpiùs contra conscientiæ lumen agens cum Medea semet accusare debet? *Video meliora, proboque, deteriora sequor.*

§. LIX. Quum igitur homo immersus sit peccatis (§. LVII.), lex autem Dei utpote indispensabilis (§. XVII.) ad pœnas obliget, *actum est de salute hominis, nisi satisfactio interveniat.* Aliâs si peccata gratis remitterentur sine ulla sanctitatis & justitiæ Divinæ compensatione, magnus in mundo foret hiatus Deo maximè indignus. Atqui peccator aliter satisfacere non potest nisi æterna sua damnatione (§. LI.), ideòque propria satisfactione se salvare nequit. Ergò *restat, ut satisfactio plenaria ab alio proveniat*, & quidem à tali, qui voluntario sese vadem sistat ad subeundas pœnas peccatori intentatas, qui non minus jus vitæ à se ipso habeat, atque ad hiatum infinitum tollendum infinita polleat dignitate & potentia.

§. LX. Quoniam itaque *sponsor* ipsius peccatoris vices subire, ideòque *pœnas sufferre & legem completa obedientiâ servare debuit*; hunc in finem oportuit, ut sit *homo.* Cùm autem à se ipso vitæ jure gaudere, atque lytrum suum infinito dignitatis valore condecorare debuerit, non minùs necesse erat, ut simùl fuerit *Deus.* Ergò *necessariò mediator debuit esse*

&

& *Deus* & *homo*, & quidem *in personæ unitate*.

§. LXI. Jesus Nazarenus in Evangelio nobis proponitur ceu verè homo, Gal. 4:4. 1. Tim. 2:5. nec minùs evidentissimis testimoniis & signis tanquam Deus celebratur, Rom. 9:5. 1. Joh. 5:20. Hebr. 1:3. Phil. 2:6. imò ceu homo & Deus simùl declaratur, Joh. 1:14. 1. Tim. 3:16. Cùm igitur necessarias mediatoris proprietates habeat (§. LX.), nulli dubitamus, *quin ipse sit verus mundi mediator*.

Præterea quoniam caracteres omnes, queis Prophetæ Vet. Testam. futurum Messiam delinearunt, in solum Jesum quadrant, inde contra Judæos evincimus, ipsum verum esse Messiam; nec ineptissimas illorum calumnias moramur, v.gr. de miraculis virtute nominis Tetragrammati patratis, ac nonnullorum blasphemias, uti Authoris libri תולדות ישו, quæ uti desperatæ causæ indicia sunt, ita nos in fide nostra magis confirmant.

§. LXII. Sed dubium hîc oriri posset; quare Jesus nonnisi rarissimè, uti apud Samaritanos Joh. 4:26. & coram discipulis, addito simùl mandato, ut nondum id divulgarent, Matth. 16:20. Se esse Messiam, declaraverit? id sine ratione prægnante factum non fuit: Judæi nempe Regem splendore mundano insignem exspectantes, ejusmodi publica professione facilè eò fuissent adducti, ut Jesum proclamassent Regem, quæ conjectura maximopere roboratur ex Joh. 6:14.15. quòd si autem Christus

Christus eô modô Rex proclamatus, atque in seditione tali captus mortique traditus fuisset, tunc occubuisset sub schesi hominis rebellis & seditiosi. Quantum autem inde fidei nostræ fuisset derogatum, quivis animadvertit. Interim Christus, se esse Messiam, doctrina sua & miraculis satis comprobatum fecit, id quod perspicere Judæis facilè fuisset, si habuissent oculos ad videndum, & mentes ad intelligendum.

§. LXIII. Christus debuit esse Deus & homo in unitate personæ (§. LX.) & talis verè fuit (§. LXI.). Grande hoc est pietatis arcanum à toto Christianorum cœtu adorandum, amandum, amplectendum. Quod autem de hac *unione personali*, stante semper Divinæ Majestatis decore & humanæ naturæ essentia, dicere possumus, huc redit: secundam Sanctissimæ Trinitatis personam, juxta æternum pacis consilium, naturam sibi humanam in unitatem personæ assumsisse, quatenus corpus humanum, ex sanguine Mariæ formatum, sociatamque cum eô mentem voluerit reputari suam, quatenus etiam naturam istam humanam extraordinario planè divinæ gratiæ ubere perfuderit, motusque ejus ad nutum Divinæ voluntatis direxerit; ex quo sequitur, actiones atque passiones humanitatis ipsi etiam Divinitati tribuendas, & eapropter infinitô pretii pondere exornandas esse, Act. 20: 28.

Clarum inde est, *unionem istam non modò parastaticam*, qualis fuerit in Prophetis, *sed vere hypostaticam fuisse*, quam Patres Chalcedonenses

donenſes hiſce locutionibus accuratè munierunt, ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρίστως contra Neſtorium, ἀσυγχύτως καὶ ἀτρέπτως contra Eutychen.

§. LXIV. Chriſtus pœnas, quas peccatis ſuis homo promeritus erat, debuit ſuſtinere (§. LIX.). Id eum feciſſe Evangelica hiſtoria, additis notatu dignioribus circumſtantiis, narrat, quæ quippe Chriſtum per totam vitam variis preſſum calamitatibus, ſub finem vitæ autem intenſiſſimos animi angores & dolores corporis acerbiſſimos patientem, quin & ſuper maledicto crucis ligno ſanctiſſimè morientem, & tandem in loca ſubterranea, ſepulchrum puta, deſcendentem graphicè depingit.

§. LXV. Sed quemadmodum Deus juſtiſſimus eſt (§. XIII.), ut ultra debitum non expoſcat, ita *Mediator*, *præſtita plenaria ſatisfactione*, non diutius in ſtatu humiliationis detineri, ſed *pro laborum ſuorum præmio in ſtatum gloriæ & exaltationis evehi debuit*, Luc. 24:26. Phil. 2:9. 10. Id etiam peccatoris indigentia exegit, ut ſalus impetrata ei applicaretur, Joh. 16:7. Sic & hiſtoria Evangelica Chriſtum gloriosè exaltatum ob oculos ponit. Adſunt *teſtes* probatiſſimi, qui reſurrectionem Chriſti ejusque aſcenſionem referunt; non unus tantùm, ſed plures conſtantiſſimo conſenſu idem omnes declarantes; *teſtes*, quos deceptos eſſe nulla ratione aſſeres, viderunt enim non ſemel at ſæpiùs, audierunt, palparunt quæ narrant, ipſi antea dubitantes & nonniſi re benè comprobata credituri, Joh. 20:24.

20: 24. *teſtes* fallere neſcii, contra propria præjudicia, contra omnia commoda loquentes, nullosque in his terris teſtimonii ſui fructus niſi odia, perſecutiones, tormenta & tandem diriſſimam mortem præ ſe videntes. Si hæc ad ſtabiliendam veritatem nondum ſufficiunt, tota hiſtoria nil niſi Pyrrhoniſmus erit.

§. LXVI. Cùm tanquam peccatis immerſi (§. LVII.) non audeamus ad Deum accedere, indigemus *Sacerdote*, qui ſanguine ſuo nobis aditum ad ſolium gratiæ paret. Cùm ſimus intellectu obtenebrati (ib.), indigemus *Prophetâ*, doctore nos ſalutari doctrinâ illuminante. Cum perverſis voluntatis cupiditatibus regamur (ib.), *Rege* opus habemus, qui nos ducat ac gubernet. Ergò *Mediator noſter debuit eſſe Sacerdos, Propheta & Rex*, Pſal. 110: 4. Deut. 18: 18. Pſal. 2: 6.

§. LXVII. Siquidem in decreto Dei finis & media cohærent (§. XXXIX. XL.), *nulli à Chriſto ſalus impetrata eſt, nullique ſalutaris gratia applicatur, niſi quem Deus in æterno ſuo conſilio ad vitam cæleſtem prædeſinivit.* Deus enim omnia juxta decretum ſuum exequitur: (per §. XXXVII.), ſicùt ſapiens artifex Opus ſuum juxta præfiguratam ſibi idem componit.

§. LXVIII. Fruſtrà impetrata fuiſſet ſalus, niſi etiam applicaretur. Deus autem, qui ſapiens (§. XI.) atque bonus (XII.) eſt, non modò incipit ſed & perficit opus ſuum, ergò

ergò & ſalutem impetratam applicat. Hoc autem duplici facit modò, *externa* atque *interna gratia*. Primò quidem per verbum revelationis homines ad ſalutem invitantur (§. XXVI.), ſed cùm homo natura ita corruptus ſit (§. LVII.), ut verbum iſtud ſine omnipotente Dei cooperantis virtute ſalutares effectus producere nequeat, *neceſſe eſt*, *ut interna ſimùl accedat gratia*, id eſt, *immediata Spiritus S. operatio*, 1. Cor. 3: 6. 7. Joh. 6: 44. Epheſ. 1: 19. Quæ operatio quando ſeſe exerit per verbum & in verbo, patrat quidem miraculum, ſed reſpectu ordinis naturæ, & non reſpectu œconomiæ gratiæ, in qua miraculum eſt extraordinarius gratiæ effectus ſine externis mediis, qualis fuit inſpiratio Prophetarum & Apoſtolorum.

§. LXIX. Nominamus igitur *ordinariam gratiæ ſalutaris operationem*, quando Spiritus S. cum verbo concurrit, & per verbum Divinam Suam virtutem demonſtrat; *extraordinariam* autem, quando Spiritus ſine verbo agit. Quoniam autem Deus ſapiens eſt (§. XI.), ideòque via breviſſima procedit, & quod ordinariè facere poteſt, extraordinariè id non facit, atque ita miracula, ubi neceſſaria non ſunt, reſpuit, ideò *ſalutem homini applicat per ordinariam gratiæ operationem*, id eſt, *per concurſum verbi & Spiritus*, Eſaj. 59: 21. ſcil. Spiritus Sanctus hominis mentem ad veritates in verbo propoſitas ſalutariter perſpiciendas atque recipiendas diſponit, attentionem ac deſiderium excitat, ſicque verbum ſalutare cordi impri-

imprimit, vim etiam affectuum valde minuit, ut convictio veritatis & motiva ejus non modò æquilibrium cum affectibus carnalibus sed & superpondium efficiant, & voluntatem suaviter flectant, quæ tùm demum *convictio salutaris* est. Hoc dicitur *aperire oculos mentis*, Psal. 119:18. *Cor aperire*, Actor. 16: 14. *Illuminatos mentis oculos dare*, Eph. 1: 18. Atque ita quidem evitandæ sunt duæ sibi oppositæ Pelagianismi & Enthusiasmi Syrtes, quarum prior gratiam internam enervat, posterior autem externam repudiat.

§. LXX. Quia Deus est omnipotens (§. VIII.), nutum voluntatis ipsius frustraneum esse non posse, clarum est, ergò *salutaris gratia semper est victrix:* aut enim Deus gratia sua hominem vult perducere ad salutem, aut non vult; si posterius, ea gratia non est salutaris, quam Deus non vult ad salutem esse sufficientem; si prius autem, fiet id, quod Deus vult, aliter non esset omnipotens, Eph. 1: 19.

§. LXXI. *Ne ducas, libertatem hominis eô modô infringi:* gratia enim interna, quæ attentionem mentis excitat, & affectus componit (§. LXIX.), perficiendæ magis quam imminuendæ libertati inservit, quia libertas, quæ utpotè rationibus oblatis semper convenienter agit (§. LII.), supponit intelligentiam atque judicium, adeòque perfectior redditur, si intellectui lumen affunditur, & affectuum simùl violentia domatur. Quum hominis oculi

fasciis obvoluti, manusque vinculis ligatæ solvuntur, an ei ista ratione libertas adimitur? nonne potiùs affertur?

§. LXXII. Naturæ & gratiæ limites definire, hoc quidem in exploratione sui ipsius atque in conscientia salutis optimè expedit, sed difficile est. Nos aliquid tentabimus: *Natura*, quatenus tota depravata est, malis affectibus in transvorsum agitur, atque jugiter tendit ad id, quod malum est (§. LVII.).

Natura, quatenus Ratione sana & residuis imaginis Divinæ scintillis ducitur, Deum quidem ceu Creatorem & Conservatorem aliquô saltem modô suspicere, pro conservanda societate hominum justitiæ studere, & ex motivo proprii commodi & tranquillitatis officia exterioris honestatis præstare potest, sed cùm hæc omnia ex fonte proprii amoris profluant, deest adhuc interna honestas. *Natura*, quando gratia externa atque communi excitatur, potest quidem gratiam in Evangelio oblatam ceu rem novam atque inauditam admirari, jucunditate boni hujus nuntii in aliquod saltem desiderium rapi, terrore vindictæ Divinæ percelli, ideòque ad quoddam pietatis propositum obiter adduci; hîc autem homo non gloriam Dei, sed proprium respicit commodum; itaque cùm tumultuantes irruunt affectus, resistere nequit, omniaque mox evanescunt, Matth. 13: 20. 21. 22. Marc. 6: 20. Heb. 6: 4. 5.

§. LXXIII.

§. LXXIII. Gratia autem salutaris atque interna, cùm affectus probè componat (§. LXIX.), mentem ex proprii amoris perversi Sphærula ad Deitatis respectum evehit, studiumque illustrandæ Dei gloriæ ei suaviter instillat. Incumbit tunc homo officiis, virtutemque colit, non ideò tantùm, quia commodum & utile ei est, sed ista potissimum ratione, ut optimo Deo, qui tenerrimum prior amorem exhibuit, gratum animum reddat; ut amantissimo Servatori pro exantlatis crucis passionibus debitas retribuat laudes, ut etiam Spiritûs S. gratiosa inhabitatione sese indignum non reddat. *Quando* igitur *Sanctum istud Deum in Christo glorificandi motivum* atque propositum *animam occupat*, regit, urget, in eò punctum saliens vitæ spiritualis, quæ per conversionem ingeneratur, consistere tenendum, atque *illô naturam à gratia terminari credimus.*

§. LXXIV. Ut Deus possit nobis peccata remittere, satisfactionem plenariam justitia ipsius exigit (§. LIX.), hæc satisfactio autem nobis prodesse non potest, nisi nobis imputetur, seu nostra fiat; *Non potest* autem *nostra fieri nisi per fidem*, quâ testimonium Dei avidè recipimus, Joh. 3: 33. & Jesum Christum ceu unicum liberationis nostræ medium anhelô mentis affectu & quidem totum amplectimur, Joh. 1: 12. adstipulamur inde & consensum damus in ea, quæ Christus præstitit ac eorum imputationem. Hinc tum necessitas tum natura fidei patescit.

§. LXXV. *Fides* ergò *naturalis*, quæ ex recto Rationis usu elici potest, quia expressam Dei declarationem non habet, *propriè & verè fides non est*, sed tantùm suspicatio de Dei benignitate.

§. LXXVI. Quòd si satisfactionem vicariam Christi, quæ in toleratione pœnæ & legis servatione consistit (§. LX.), fide verâ nostram facimus, tunc Deus salva Sua justitia nobis peccata remittit, ac jure vitæ æternæ donat.

Atque ita fit nostra *Justificatio*, ut per fidem justitia Christi nostra fiat, nobisque à Deo ceu propria imputetur, Rom. 3: 28. Gal. 2: 16.

Equidem *Deus fidem nostram locô perfectæ justitiæ non acceptat:* ita enim justitiam suam abnegaret (§. XVII.), *sed fides organum est merita Christi amplectens*, seu vinculum nos cum sponsore arctè uniens. Doctrina hæc de justificatione sanctissimum est Religionis nostræ κειμήλιον, conscientiæ reddens pacem, mortis & judicii terrores pellens, Deo soli omnem referens gloriam, nosque ad fervidissimum Dei Patris & Christi amorem excitans.

§. LXXVII. Deus ob eximias perfectiones & collata beneficia colendus ab homine est (§. XV.). Cum autem Deus infinitas Suas virtutes in opere redemptionis maximè demonstrarit, ac nos eousque amarit, ut Filium Suum unigenitum pro nobis tradiderit morti, nunc vero ex mera gratia propter Christi meritum nobis peccata remittat, & jus vitæ æternæ largiatur, quis non videt, talem *Deum*

esse

esse ardentissimè amandum, omni obsequio colendum, & *pro tantis benefactis grata mente prosequendum?* Studium edendi actiones Deo ac Christo gloriosas præcipuè ex consideratione ac motivo magni illius operis redemtionis nominamus *sanctitatem.*

§. LXXVIII. Actiones istæ constituunt *Cultum* Dei, qui vel internus vel externus est: namque toti quanti Deo obstricti eum, quocunque possumus modo, honorare debemus.

Interne mens pia Deum suspicit, veneratur, adorat, amat, ei confidit, &c. *Externè* ejusmodi actiones corporis suscipiuntur, quæ internam mentis devotionem produnt, aliisque ad Deum colendum incitamenta præbent. Huc potissimum conventus publici pertinent, & destinatio temporis certi pro cultu publico, uti fuit Sabbathum Judaicum, in quò quædam juris perpetui ac naturalis, quædam etiam ceremonialis sunt; ad posterius genus referimus præcisè diem septimum, rigidamque omnis laboris intermissionem; ad prius autem, quòd aliquod tempus soli Deo destinandum sit. Gentilibus hoc non plane ignotum fuit, hinc illorum dies Festi.

§. LXXIX. Quando Deus aliquid *instituit*, actionem quandam definit & determinat; igitur omnis institutio Divina meritò pro lege & norma habenda est; quapropter ex primæva conjugii institutione rectè infertur, omnem Polygamiam simultaneam, concubitus incestuosos, adulteria, scortationes, libidines

vagas atque divortia esse illicita. Benedictionem verò Sacerdotalem seu novorum conjugum consecrationem coram Ecclesia à Ministro administrandam exemplo Dei consentaneam esse, & si non ad essentiam conjugii qua talis, saltem ad essentiam conjugii honesti & Christiani pertinere tenemus.

§. LXXX. Quia Cultus Dei consistit in actionibus, quas ex intuitu ac motivo Divinarum perfectionum patramus (§. XV.), & præsertim apud Christianos ex motivo liberationis per Christum factæ (§. LXXVII.), intuitus autem & motivum supponunt intellectum & voluntatem, *Cultus externus ab interno separatus parùm aut nihil prodest*, imò *ne quidem potest nominari Cultus*, Esaj. 1 : 11. Matth. 15 : 8. 9. 1. Tim. 4 : 8. Quid respondebunt ij, qui potissimam Cultus Divini partem in actionibus externis, opere operato, collocant?

§. LXXXI. Deus est infinitè perfectus (§. IV.), ergò per actiones, quibus illum colimus, non potest felicior reddi; obligamur ad actiones hasce, quia fundantur in lege æterna ac felicitate nostra (§. XVI. XVII.), ergò non licet eas intermittere; tandem propriis viribus eas præstare nequimus, quia toti corrupti indigemus gratia (§. LXVIII.); proinde *actionibus nostris nihil mereri possumus*: nam *meritum* rigidè sumtum est jus postulandi compensationem debitam operi, quod citra obligationem propriisque viribus patratum est, &

ex

ex quo in alterum aliquid commodi redundat. Quòd si autem vox *meriti* nil aliud nisi nexum inter opera & præmium debeat exprimere, in eo convenimus, ob favorem remunerantis talem esse nexum; sed tunc vox *meriti* sensu maximè improprio & debili sumitur.

Omnia quæso in totum gratiæ tribuamus, nec obstinatè ejusmodi dictionibus inhæreamus, quæ imperitis falsas excitare notiones possunt.

§. LXXXII. Loquuntur experientia & Scriptura, sanctitatem nostram in hac vita esse imperfectam, & continuò per peccata interrumpi, Jac. 3: 2. 1. Ioh. 1: 8. ergò *renovatione & pœnitentia quotidiana opùs habeamus*; pœnitentia autem præter alia includit etiam confessionem peccati, quæ quidem præprimis Deo ipsi in precibus peragenda est, at etiam in gravioribus peccatis ad quærendam oneratæ conscientiæ medelam Ministro Ecclesiæ fieri potest & debet. Vetus Ecclesia ἐξομολόγησιν publicam præsertim ab iis, qui ad Sacra Gentilium iterùm transierunt, exegit. Confessio verò, qualis hodie apud Romanenses obtinet, & Scripturæ & puriori antiquitati ignota est.

§ LXXXIII. Cùm nostri officii sit passiones Christi ac beneficia ejus semper gratò recolere animò (§ LXXVII.), eaque ideò sibi in memoriam revocare, *signa externa* vel *cæremonias habeamus oportet*, quibus memoria eorum excieretur, simulque fides roboretur. Hæ si excitant cogitationes, quas juxta institutum

 debent,

debent, bonæ ſunt; ſi verò earum ope mens non ducitur, quò deberet, ſunt ſteriles.

§. LXXXIV. *Sacramenta* cùm ſint tales ceremoniæ à Deo inſtitutæ, memoriam mortis Chriſti in animum revocantes, fidelibuſque promiſſiones Dei obſignantes, patet ea, *tanquam Elementa actusque externos nonniſi vim moralem ad ſignificandum, atque obſignandum*, interna autem bona ſignificata *efficaciam phyſicam* ad producendum regenerationem & ſanctificationem *in ſe continere*. Hæc itaque eſt Sacramentorum indoles, quòd internum & externum actum arctè quidem pignorando conſocient, ſed non confundant.

§. LXXXV. *Talia Sacramenta ſub Novo Teſtamento duo ſunt, ſcil. Baptiſmus & Sacra Cœna*; nec pluribus opùs eſt: ſiquidem ad ſalutem conſequendam vita primùm ſpiritualis eſt producenda, & deinde conſervanda. Externos horum Sacramentorum ritus non tam de novo inſtituit Chriſtus, quàm ex Judaiſmo cum aliqua immutatione in diſciplinam ſuam aſſumſit, Baptiſmum nempe ex Baptiſmo Proſelytorum, Sacram Cœnam verò ex ritibus Paſchalibus, idque eô fine ſapientiſſimo, ut Judæorum animi ad amplectendum Chriſtianiſmum eô magis allicerentur. Ex ritu eo, quô Judæi agnum Paſchalem appellabant גוף של פסח, ſolidè peti poteſt ſenſus verborum Chriſti: τȣ̃το ἐςι τὸ σῶμα μȣ.

§. LXXXVI.

§. LXXXVI. Cùm itaque Sacramentorum vis nonnisi moralis sit, eamque habeant ab institutione Christi (§. LXXXIV.), *non potest eorum valor ex proba administrantis intentione pendere.* Pontificii hoc statuentes certi esse nequeunt, se esse verè baptizatos & Christianos, esse hodierno adhuc die legitimum Papam, Episcopum, Sacerdotem, imò dubii esse debent, annon jam interieris Christianismus.

Atque cùm de nullius Sacerdotis genuina ordinatione & proba intentione certam habere queant persuasionem, semper eos ex propriis principiis hærere oportet, num in Eucharistia horrendam committant idololatriam.

§. LXXXVII. Sacramentorum natura consistit in significando & confirmando (§. LXXXIV.), ergò *non convertuntur in ipsam rem significatam*, proinde *dogma Transsubstantiationis naturam eorum tollit:* præterea veritates æternas destruit, Rationi contrariatur, Sensus facit mendaces, solvit analogiam fidei, Religionis fundamenta diruit, proniſſima via ad Pyrrhonismum pergit, & triumphus Atheorum est; adeò ut Christianæ Religioni nihil unquam tanto fuerit dedecori, mirùmque sit, monstrosissimam hypothesin plurimisque contradictionibus scatentem inter homines rationales, ne dicam, in orbem Christianum irrepsisse; sed infausta ejus origo seculis sequioribus & barbaris debetur.

§. LXXXVIII. Deus jam ab æterno quasdam personas ad salutem elegit (§. XXXIX.), iisque in tempore gratiam applicat, & quidem tùm externè tùm internè (§. LXVIII.). Quòd si jam junctim spectentur electi isti, prout per omnia tempora & per terram hinc inde dispersi tamen per fidem tùm inter se tùm cum Christo uniti sunt, oritur inde consideratio *Ecclesiæ* & quidem *internæ* ac *invisibilis*. Si autem spectentur, quatenùs cum aliis promiscuè verbum Dei audiunt, eundemque Cultum externum habent, enascitur inde *Ecclesia externa* & *visibilis*. Itaque *Ecclesia interna* est cœtus electorum & fidelium, qui non modò per verbum sed & per Spiritum vocati sunt; atque hæc est *Una*, *Sancta* & *Catholica*. *Ecclesia* autem *externa* est Societas eorum, qui verbo vocati, eandem doctrinam eundemque Cultum profitentur; indeque pro temporum locorumque differentiis multæ particulares Ecclesiæ enascuntur.

§. LXXXIX. Homo aliter non potest in gratiam cum Deo redire nisi per Mediatorem (§. LIX. LX), & nonnisi per fidem justitiæ sponsoris particeps fieri (§. LXXIV.); neque fidem & conversionem recipere, nisi accedente Spiritus S. gratia (§. LXVIII.); *oportet* igitur, *fideles præcedentium œconomiarum* ceu membra veræ Ecclesiæ *per solum Christum cum Deo reconciliati*, *per fidem justificati*, & *gratia Spiritus S. regenerati & sanctificati fuerint*: Actor. 15: 11. Hebr. 13: 8. Gen. 15: 6. Psal. 143: 10. Quanquam pro varia œconomiarum ratione

ratione mox parcior, mox uberior gratiæ mensura esse potuerit.

§. XC. Porrò cùm ad continuam repræsentationem Christi mortisque illius signis externis ceremoniisque opùs sit (§. LXXXIII.), ita & *fidelibus sub Promissione & Lege ejusmodi signa necessaria erant. Talia* autem *fuêre Sacramenta & sacrificia præsertim cruenta :* quibus tanquam repræsentaminibus futurum sibi Messiam fide objicere poterant; quorum igitur originem ex institutione Divina derivandam esse non dubitamus. Disputant Eruditi de differentia inter חטאה & אשם ; videtur nobis, prius fuisse oblatum pro peccato, cujus per testes aliquis convictus erat, posterius pro peccato, quod aliquis sponte fatebatur, nec per testes poterat convinci.

§. XCI. Cùm Ecclesia ex verbo Dei generetur (§. LXXXVIII.), *ea erit vera Ecclesia, in qua præconium verbi Divini purè auditur, Deusque juxta normam in Scriptura datam decenti modo colitur.* Quapropter alia Ecclesiæ veræ *nota* necessaria non est præter conformitatem cum Scriptura in doctrina atque Cultu Divino. Quas allegant Pontificii Notas plures, illæ ita comparatæ sunt, ut partim ipsi Romanæ Ecclesiæ nequeant tribui, partim autem spuriæ palliationes potiùs dicendæ sint.

§. XCII. Si Ecclesia quædam particularis eô gradu sit depravata, ut ob doctrinæ in essentialibus corruptionem & cultûs idololatriam non

non ampliùs vera Ecclesia dici possit (§. XCI.), atque in ea periculum sit salutis, tunc sanè iis, qui veritatis & salutis suæ avidi sunt, ratio sufficiens adest, ex talis cœtus communione exeundi, atque resecandi id, quod ignorantia, superstitio & dominandi lubido adduxerant, Religionem ad pristinum puritatis statum reformandi. Id quum fecerint beati nostri Reformatores, eos ducente Deo id feciſſe arbitramur, adeòque convitium est, si hanc ob rem pro schismaticis traducantur.

§. XCIII. Ecclesia est Societas (§. LXXXVIII.), ergò *adsit ibi ordo necesse est.* Ordo autem requirit regimen & Moderatores. Regimen quidem principale soli Christo competit, qui Summus Ecclesiæ Rex & Caput est, Eph. 1: 22. Col. 1: 17. At cum Ecclesia etiam sit externa & visibilis, externò ac ministeriali regimine seu directione indiget, quale Christus post Apostolos & Evangelistas Pastoribus atque Doctoribus demandavit, Eph. 4: 11. Qui igitur sub prætextu libertatis Christianæ ejusmodi Ecclesiæ regimini sese subtrahunt. Ecclesiæ paci & securitati ingens afferunt discrimen, & merito ceu ἀταξίας fautores culpantur.

§. XCIV. Ex adverso autem, qui Ecclesiam in regnum velut mundanum convertunt, qui se potestati Seculari subtrahentes Imperium in Imperio locant, qui regimen Ecclesiæ externum Monarchicum Divina auctoritate præditum constituunt, ij sanè Ecclesiæ saluti parùm consulunt, agunt etiam contra Summi Imperantis

rantis decreta, Matth. 20: 26. Luc. 22: 25. 26. & contra priscæ Ecclesiæ statum, quæ nempe usque ad impium Phocam ejusmodi Regimen Monarchicum planè ignoravit.

§. XCV. Forsan Papismi fata non malè ita delineantur: genuit eum invalescens in ritibus superstitio, obstetricante pomposa & hyperbolica Patrum Oratione; nutrivit ac educavit eum crescens in dies ambitio atque regiminis Ecclesiæ degeneratio; ad Summum ætatis & virium culmen evexit ignorantia & barbaries. Sed per Dei gratiam redeuntia studia & verbi Divini lumina eum ad ætatem decrepitam perduxerunt.

§. XCVI. *Animam immortalem esse, atque post hanc vitam compensationem bonarum malarumque actionum juxta rigorem justitiæ Divinæ futuram*, id & Rationi compertum est (§. XIX. XX), Scriptura egregiè confirmat, Eccles. 12: 7. Matth. 10: 28. Cùm itaque non modo præmiis sed & pœnis futurus sit locus, *magnum errant errorem, qui impiorum animas planè annihilandas esse dicunt.* Neque sapientiæ Dei conveniens est, ut Opus suum planè annihilet.

§. XCVII. Si anima electi hominis perfectissimam Christi justitiam per fidem amplectens suam fecit (§. LXXIV.), si Deus illi hanc justitiam etiam imputavit, ideòque ei omnia peccata remisit, & jus vitæ æternæ donavit (§. LXXVI.), *quare anima post mortem aliquas adhuc*

adhuc peccati pœnas lueret? quare jamjam per justificationem planè purgata ulteriori purgatione indigeret? Meliorem ex Scriptura spem fovemus, Luc. 23: 43. 2. Cor. 5: 1. Error de *statu medio* animarum ex incauto Philosophiæ Paganicæ usu in Ecclesiam irrepsisse videtur.

Purgationem animæ post mortem statuerat PLATO, veræ Justificationis notitia carens.

Patres autem Philosophiæ Platonicæ cultores, hypothesin istam facilè admisêre, uti ORIGENES, LACTANTIUS &c. excellentem justificationis gratiam non satis perpendentes.

Auxit hunc errorem concepta de satisfactionum publicarum necessitate & de precibus pro mortuis superstitio. Cùm denique ingens lucri commodum inde perciperetur, constructum fuit *Purgatorium*; quod, ne forte extingueretur, à Concilio Florentino & Tridentino anathematibus munitum fuit.

§. XCVIII. Corporis resurrectio aliquo saltem modo ex Summa Dei Sapientia (§. XI.), atque justitia conjecturari potest, quatenus sapientiam non decet Opus suum annihilationi tradere, ac justitia exigere videtur, ut organum peccati sit etiam organum pœnæ. Sed *resurrectio hæcce solidùs ex Sanctis Theologiæ Christianæ dogmatibus elicitur*: quia scil. Christus corpore acerbos dolores & tandem mortem perpessus est (§. LXIV.), ut corpora redimeret, quoniam etiam Spiritus S. corpora fidelium reddit templa Dei, 1. Cor. 6: 14. 15. 19. Rom. 8: 11. Expressis itaque verbis in Scriptura asseritur, Job. 19: 26. Joh. 5: 28. 29. 1. Cor. 15: 54.

15: 54. Quæ contra istam *ejusdem numero* corporis resurrectionem moveri solent difficultates ab Anthropophagis vel à continuo particularum effluvio desumtæ, haud difficulter juxta hypothesin *stemmatis originalis*, quod experimentis factis incorruptibile deprehenderunt Physici, dilui possunt.

§. XCIX. Cùm Deus Creaturam imprimis rationalem ad gloriæ suæ illustrationem creaverit, ideòque homini tales primitus indiderit animi & corporis dotes, quibus ad glorificandum Deum aptus esset (§. XLIX.); deindè verò per peccatum homo ad hoc ineptus factus (§. LVII.), at jam per meritum Christi (§. LX.), & per Spiritus S. operationem (§. LXXIII.) restitutus sit, hæc autem restitutio in terris nondum sit omni numerò vel gradu completa (§. LXXXII.), *restat, ut Deus Opus suum in cœlis perficiat, electosque suos perfectissimis Eum glorificandi facultatibus exornet.* Quandoquidem autem ex cognitione perfectionis intuitiva oritur voluptas, *futuram beatitudinem cœlestem in continua è sensu perfectionis*, quanta quidem in Creaturam cadere potest, *voluptate spirituali ponendam esse credimus.* Expectamus itaque cum omnibus fidelibus distinctam ac completam intellectus nostri collustrationem in contemplanda Dei facie & admirandis ejus perfectionibus atque operibus; sanctissimam item voluntatis & affectuum mentalium pro Deo ardorem; speramus dulcissimam conscientiæ in Dei communione requiem & oblectationem, adeòque suavissimam omnium facultatum

tatum in celebranda Summi Numinis gloria harmoniam, Psal. 16: 11. Joh. 17: 24. 1. Cor. 13: 12.

§. C. Quoniam justitia Dei nexum inter benefacta & præmium, inter malefacta & pœnam sapientissimè observat (§. XIII.), ei maximè conveniens videtur, *ut sint aliquando diversi gloriæ, diversi etiam pœnarum gradus.* Neque tamen inde quædam beatitatis imperfectio timenda est: vas enim quodlibet juxta capacitatem gloriâ implebitur, nec ulli quid deerit in æternum.

FINIS.

PRÆ-

PRÆLECTIO INAUGURALIS

DE IIS,

QUÆ OBSERVANDA SUNT

CIRCA

THEOLOGIAM ET DOGMATICAM

ET

ELENCHTICAM

DOCENDAM,

Habita 17. *Novemb.* 1746.

Cùm Author Professionem elenchticam auspicaretur.

PRÆLECTIO INAUGURALIS.

CIRCUMSPICIENTI MIHI AC sollicito de themate quodam, ad muneris novi auspicium pertractando, seligendo observabatur, in talibus circumstantiis positos dicere solere de ipso sui muneris objecto, seu circa quod versatur, idque haud sine ratione: incumbit enim muneris demandati scopo satisfacere, spartam nactam pro virili ornare; inde & haud dedecet muneris collati objectum, seu disciplinam aliis tradendam commendare, modò ne excedatur in laudando, nec aliis disciplinis debitus detrahatur honos, pretiumque imminuatur.

Quum verò quilibet ferè sua maximis extollere laudibus soleat, rationibus undiquaque conquisitis commendare ùt scientiam, quæ sola digna esset, quæ adolescentibus, juvenibus, omni studiò instilletur, hinc eâpropter quibusdam non probentur inaugurationes de disciplinæ tradendæ objecto, præstantia, dubius fiebam, num hos an illos priores imitari ac sequi vellem; tantò magis, quòd sint, qui Theologiæ polemicæ studium non adeò necessarium statuant; satis putantes esse, si veritas noscatur, si distinctè ac solidè teneatur,

falsum & aliorum aberrationes nosse non putantes veræ sapientiæ partem esse, saltem iis, qui Ministrorum Ecclesiæ munere aliquando fungi velint, & huic dirigendæ operam impendere, vix prodesse opiniones Sectarum nosse ac erronum, quibuscum non multum rei.

Verùm hæc ipsa fuêre, quæ permoverunt, ut impræsentiarum de hacce materia verba facerem: cùm interfit ac necesse sit momentum rerum & disciplinæ cujusdam nosse, proùt scopus eorum, quibus tradenda, functiones futuræ requirunt, etiam justum rebus ac disciplinæ cuidam pretium statuere oporteat, tantò magis permoverunt, quia Theologia dogmatica est præmittenda, ac sine hac præmissa polemica benè tradi vix potest: uti idonei horum Judices & ore fatentur & Scriptis ostendunt. Hujus verò dogmaticæ necessitas ac momentum faciunt, ut justissimè auspicii locô commendari possit, & quidem ita, ut verendum non sit, ne laudibus excedatur: an non enim indigentia nostra, cui medetur, an non virtutum omne genus exercitium, quò tendit, an non felicitas sempiterna, ad quam ducit, ejus necessitatem loquuntur? adeò ut opùs non sit eam commendare, ejus præstantiam eloqui velle, è contrà multò magis oporteat sollicitum esse ac inquirere, quomodo sit tradenda, ut scopus obtineatur, quem homines sibi præfixum habere debent, ut cedat in Usum eorum, qui aliquando Religionem Christianis publicè & privatim instillare cogitant.

Itaque

Itaque argumentum hujus noſtri ſermonis erit: *quænam obſervanda ſint circa Theologiam & dogmaticam & elenchticam docendam.*

Fœcunditas materiæ ſumma tantùm Capita nos legere jubebit, ne prolixitate Vobis A. H. ſimus moleſti, & ne verbosâ loquacitate Veſtrâ in audiendo benignitate abuti dici poſſimus.

Adſit Summum Numen! in cujus nomine auſpicamur, dirigat mentem ac linguam! Jehovah lucere fac Faciem tuam gratioſam in nos, ut non alium in finem Theologiam tradere, eam noſcere ſumamus, niſi ad Te in Filio noſcendum, & ad ter beatam Tui communionem impetrandam; ſic fiat!

I.

1. *Scriptura tradenda Theologia.*

QUæ quoad Theologiam tradendam obſervanda, fontem ante omnia, unde haurienda ac hauritur, ſpectant; dogmata ſcil. proponenda ſunt verbis Scripturæ, Dicta Biblica, & quidem è Textu originali, proferenda, ſenſus verborum eſt eruendus, conſideratis antecedentibus & conſequentibus, collatis aliis locis; ubi illuſtratione ex Antiquitate opùs, illuſtranda, alluſiones detegendæ; ponderandæ præterea Voces, emphaſis earum conſideranda, atque ita Hermeneutica in ſubſidium advocanda, regulæ ejus applicandæ.

Unô verbô Theologus è Scriptura ſapiat, ſtudium Biblicum urgeat, inculcet, & quidem in linguis originalibus; loquatur cum

Prophetis, cum Christo, cum Apostolis, adeòque cum Spir. S.; Dicta classica seu palmaria familiariter teneat, familiaria reddat.

Præcipuè è sanctissimis N. Test. paginis Epistolas Paulinas volvat, revolvat assiduè: utpote in quibus, præprimis illa ad Romanos, pretiosissimo N. Test. κειμήλιω, dogmata Religionis Christianæ plenâ manu effunduntur.

2. Per veritates distinctas.

At quomodo ulteriùs Theologia vel Religio è Scriptura & juxta eam tradenda? sane quum in ea agatur, ac id negotii sibi datum habeant, qui eam aliis, plebejis, suo tempore instillare cogitant, ut veritas noscatur, inde ut benè ac solidè noscatur, allaborandum esse quis negaverit? verùm an τὸ benè nosse sibi quis tribuere potest, qui nescit, quid præcisè noscat; vel an futuro Ministro ac Doctori non necesse est, ut aliis possit præcisè indicare, quid credere debeant, quid hoc vel illud in Religione sibi velit &c.? Id verò est distinctè res tradere; itaque notiones distinctæ tradendæ sunt, ubicunque scil. subjecta materia id admittit, ubi non superat Captum, ut τὸ πῶς comprehendere non detur. Igitur si quis scrupulosè nolit in Religione requiri notiones distinctas, largire id ei, dummodo admittat, oportere tamen nosse ac scire indicare, quid per id, quid per aliud intelligatur.

Ubicunque

Ubicunque autem de veritate sermo, ibi simùl propositio vel propositiones innuuntur, ubi quid prædicatur, aliquid vel affirmatur vel negatur, & quibus adeò momentosa veritas revelata continetur; hæ ipsæ verò è Scriptura tanquam principio cognoscendi hauriuntur vel totidem verbis vel locis ejus collatis, ex quorum collatione conficitur propositio, quâ determinatur, qui de hoc vel illo teneatur; ac ita dum de aliquo quid prædicatur, prædicatum subjecto vel jungitur, vel ab eo removetur. Eòdem & modô formantur principia generalia, quæ analogiam fidei fundant; principia adeò inconcussa stabiliuntur, quæ si cum veritatibus per Rationem cognitis coincidunt, veritates sunt mixtæ, de quarum tùnc certitudine eò minùs est dubium. 1. *Propositiones sufficienter probatas.*

Ex talibus principiis sequuntur veritates, quæ Corollarium vicem præstant; quæ & ipsæ in Scriptura sæpè vel totidem verbis continentur, vel hinc inde per collationem locorum determinantur, dum sensus eorum per Exegeticam ac Hermeneuticam in apricum producitur. Per consequentias igitur non minùs ac è totidem Scripturæ verbis deduci possunt ac debent veritates: ex vero enim nonnisi verum sequitur, & consequentiarum Usum contra Pontificios omnes defendunt Protestantes.

Quid verò est illud per consequentiam aliquid aut è Scriptura aut alias è prioribus veritatibus deducere? an 4. *Et concatenatas.*

non est veritates connectere, an non est è præmissis conclusionem inferre? tali verò modò probantur veritates, probandas autem esse & quidem sufficienter num aliquis negare potest? tantò magis probandæ sunt, quò magis sunt momentosæ. Veritates itaque non solùm è Scriptura probandæ, sed & ex antecedentibus veritatibus: siquidem ex his deducendæ; faciliores proin & præmittendæ, quæstiones simpliciores priùs lustrandæ ac tractandæ.

Tali jam modò in Scientiis fit ac instituitur, ut per notiones distinctas, propositiones determatas ac sufficienter probatas sequentes è prioribus facilioribus deducantur, & sic inter se connectantur; an non igitur & in Theologia fieri debet? si quis proinde ferre nollet Religionem vel Theologiam scientificè tractandam esse, largire id ipsi, dummodo admittat, veritates Religionis è Scriptura probandas ac ordine naturali disponendas esse.

5. Ut voluptas percipiatur. An non è veritate tali modò cognita voluptas oritur? certè perceptio perfectionis parit voluptatem; innuo voluptatem talem, quæ & inter spirituales referenda, ac hominem Christianum decere nemo cum ratione dubitaverit; voluptas mentalis uti homine in genere, ùt creaturâ rationali, est digna, ita magis adhùc Christianô. Requiritur etiam voluptas ad felicitatem, & vera voluptas veram parit felicitatem; Deus quoque intendit felicitatem creaturarum. Veritatis certa cognitio uti

uti in genere parit voluptatem, ita tantò magis revelatæ. ob varias rationes; v. gr. ob momentum earum, nexum inter se, convenientiam cum Ratione ac attributis Numinis, influxum in voluntatem, & alias rationes, de quibus mox; pios hinc & repræsentat Scriptura ùt voluptatem percipientes è cognitione contemplationeque rerum Divinarum Pſ. 1: 2.

Audemus ergò inter ea, quæ in tradenda Theologia obſervanda, etiam referre, ut voluptas inde percipiatur; hinc & ut eò major reddatur; eò autem facit, ubi nexus ac harmonia omnium animo intimatur; hinc nexus non ſolùm particularis unius alicujus veritatis cum priori, vel aliquarum cum antecedentibus inveſtigandus ac oſtendendus, ſed univerſalis, ut univerſæ cohærentes ſiſtantur, & continuus manifeſtetur nexus.

6. *Ac ad eam afferendam perſpiciatur ſubordinatio mediorum finibus.*

Augetur voluptas illa, quum per talem nexum poſteriorum cum anterioribus ſiſtatur ſubordinatio mediorum finibus: finis nimirum in qualibet re ſemper eſt attendendus: eò quòd ſine fine nulla ſapientia, ſine aptitudine mediorum ad finem nulla θεοπρέπεια. Finis Theologiæ revelatæ, ſeu mediorum ſalutis omnium (quæ conſtituunt veritates revelatas, quatenus in propoſitiones rediguntur) eſt imaginis Divinæ amiſſæ reſtauratio; jam voluptate perfunditur animus, ubi perſpicitur ac oſtenditur, ad immaginem hancce reſtaurandam omnia in revelatione pulchrè conſpirare.

7. *Præterea veritas non per unam solùm viam derivetur.* Porrò augetur voluptas dicta, dum non per unam solùm viam vel ex una derivatur veritas ejusve cognitio : ubi quippe per duplicem viam veritas noscitur, ac ad eam pervenitur, ibi cognitio perfectior est, quàm ubi per unam solùm viam ; perfectionis jam ulterior gradus semper etiam fert voluptatis ulteriorem gradum. Veritatis nimirùm aliàs in genere cognitio est vel à priori, seu per viam deductionis è principiis certis ; vel à posteriori, seu per viam experientiæ. Veritates revelatæ equidem à priori non cognoscuntur ; cùm aliàs revelatione vel testimoniò Dei ipsius immediatò opùs non fuisset, nisi ad confirmationem (de articulis nempe puris loquimur) ; scil. dantur in veritatibus revelatis principia, quæ ùt axiomata assumenda, ac demonstrari nequeunt, sed ipsius Dei revelantis auctoritate nituntur, præter illa nimirum Facta, quibus Religio innititur ; at quæ ex iis datis sequuntur, ea à priori etiam cognosci dici possunt, dum ratio talium veritatum etiam per priores redditur.

Tantò magis id valet de articulis seu veritatibus mixtis, quæ ipsæ magnam Theologiæ partem constituunt, ac ad voluptatis augmentum faciunt ; dum conformitas talium veritatum revelatione traditarum cum Ratione consensusque se prodit, ac ita Pater utriusque luminis agnoscitur ; hinc consensus is in Theologia tradenda ostendendus.

At quid dicam de momento ac desiderabilitate veritatum revelatarum? clarum est, quo magis res momentosa, exoptanda, desiderabilis, eò majorem inde, si simùl sit certa, percipi voluptatem; quid jam magis desiderabile veritatibus revelatis? quid homini magis exoptandum, quàm ut sit ens optimum omnibus in Mundo sapienter, omnipotenter, providens? quid ad sensum miseriæ è peccato contractæ leniendum suavius, salubrius cognitione Liberatoris? quid ad consolationes animo in variis hujus vitæ calamitatibus ingenerandas, ad mentem elevandam, ad solidiora revocandam accommodatius, quid efficacius firmâ persuasione de futuro glorioſæ felicitatis statu? An non igitur in Sancta hacce Scientia tradenda etiam observandum, ut desiderabilitas veritatum hujus Scientiæ consideretur ac ostendatur? 8. *Consideretur ac ostendatur desiderabilitas veritatum revelatarum.*

Verùm nondum hæc omnia A. H., uti Summus Dei finis est perfectionum Ipsius manifestatio, & hæ in Religione ac per eam manifestantur, quin natura Religionis, si sit vera, id fert, inde in Theologiæ studio finis iste præ animo habendus; id sibi datum sciat Theologus, ut ipse huic fini subministret; ideò ut finis ille perspiciatur, in Theologia tradenda observandum. Constituit autem is convenientiam cum attributis Numinis, quæ convenientia & ipsa inter characteres veræ 9. *Ut gloria Dei manifestatio, hinc convenientia cum attributis Divinis perspiciatur.*

veræ revelationis locum tuetur, ac jam quodammodo se prodit ex iis, quæ modò memorata de mediis salutis omnibus (seu veritatibus revelatis) ad finem quendam pulchrè conspirantibus, hinc Sapientiam Dei manifestantibus.

Veritates revelatæ equidem ùt media salutis ex attributis Divinis demonstrari nequeunt: cùm alias hasce veritates seu media oporteret esse absolutæ necessitatis; quod verò neutiquàm dici potest: siquidem decretum liberationis, hinc Oeconomia salutis, liberò Dei decretò nititur; interim tamen requiritur, ut harmonia saltem cum iis ostendatur.

Quòd si ita consensus perspiciatur ac ostendatur veritatum purarum cum mixtis ac Ratione, item & cum attributis Dei, stimulus inde animo additur, de veritate propositionum revelatarum confirmatur, dubia & scrupuli animo eximuntur, assensus firmior redditur; qui etsi per convictionem internam Spir. S. demum satis ac efficaciter corroboretur, tamen nec media externa sunt posthabenda.

10. *Ut perfectio Oeconomiæ salutis manifesta fiat.*

Hæc ipsa autem ubi omnia pulchrè conspirant, ubi amicè consentiunt, ac harmonia cum perfectionibus Divinis se manifestat, simùl & constituunt perfectionem Oeconomiæ salutis; per quam & gloria Dei illustratur: cùm Opus gratiæ ab Ipso veniat.

Oportet proin & in perlustranda Theologia observari, ut perfectio Oeconomiæ salutis oculis se ingerat, manifesta fiat.

Num

Num verò gloria Dei illustratur sine determinatione actionum liberarum convenienter attributis Numinis? minimè; veritates Divinæ ideò ita considerandæ ùt influentes in determinationem actionum liberarum, lustrandæ ùt principia, è quibus consectaria ad agendum, ad pietatem, deduci possint ac fluant. 11. *Usus practicè veritatibus deducendi.*

In pertractione vel Cursu Theologiæ igitur ne omittantur porismata practica, subjungantur veritatibus probatis Usus practici; consocientur ita pulchrô nexu duæ Theologiæ species: *theoretica* & *practica*, speculativa & activa; fiat ita Theologia ἐπίγνωσις ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν. Occasione ferente materiæ quædam Theologiæ moralis tangantur, interspergantur, v. gr. de Conscientia, de officiis &c. quum & aliàs Theologiæ moralis studium multis locis inter Protestantes non satis curæ habeatur, quod & Pontificii nobis exprobrant.

Habuimus hactenus A. H. monita ac præcepta, quæ in se sublimia, observatu necessaria, ex hominis ad Deum relatione resultantia, sub gratitudinis erga Redemtorem debitæ titulo observanda; at sunt alia adhuc circa Theologiam in genere tradendam observanda, non minùs gravia, ad quæ nos praxis illa, seu Usus ad praxin ducunt; praxin innuo eorum, qui Theologiam perlustrant, ejus studio incumbunt, ut Ecclesiæ quondam utiles esse possint, praxin Ministerii. 12. *Itaque tradenda Theologia, ut usui esse possit futuro Ministro.*

Ministerii. In tota Theologiæ tractatione semper præ animo habendum, semper altâ mente repostum manere debet, quinam sint ij, quibus Theologia tradenda, cuinam muneri se destinent; omnia ad vitæ genus ac Institutum referenda, in quo quis Societati, Reipublicæ aut Ecclesiæ vult utilis esse, hinc & in tradendis Scientiis; non omnia omnes æque nosse oportet: eadem Scientia, si diversis tradatur, diversum vitæ genus seligentibus, etiam diversimodè tradenda, quæ huic prolixius, illi succinctiùs, quæ huic extremis nonnisi labiis gustanda dari possunt, alteri animo altè imprimenda. In tota Theologiæ perlustratione propterea semper perpendendum, semper de longinquo Visus trajiciendus, quòd, qui Studio Theologico incumbunt, se destinent muneri aliquando functiones ecclesiasticas feliciter ad bonum Ecclesiæ obeundi, plebejis doctrinam salutis instillandi, officia Christianismi injungendi, peccatores adhortandi contumaces terrefaciendi, ægrotos visitandi, afflictos consolandi, ordinem in Ecclesia diligenter observandi, quòd sibi sumant partes gregem Christi fideliter pascendi, ut ne aliquando coram ἀρχιποίμενε, rationes exigente, ùt servos ignavos obmutescere oporteat.

13. *Eam in rem definitionem ac propositionum theologicarum* Veritatis cognitio certè ad exercitium comparata esse debet, seu ut casu obveniente in Usum converti queat: uti id v. gr. in Philosophia obtinere debet, si pote ad vitam, tùm

tùm privatam tùm publicam, apta & utilis dicenda, hinc *pragmatica* esse debet; id & vel maximè in Theologia & quoad eam obtinere debet. *Applicatio requiritur.*

Inde cùm Philosophia ita fiat per applicationem in obviis casibus, ita & Theologia per applicationem veritatum suarum sic fiat oportet; at quid applicari potest ac debet? in Scientiis seu veritatum theoria non occurrunt nisi notiones ac enunciationes, è quibus dein constat ratiocinia, uti hæc constituunt tres mentis operationes; ratiocinia autem sunt composita ex enunciationibus seu propositionibus per diversam combinationem, hinc inter propositiones referenda. Itaque notiones rerum, de quibus in Theologia, item propositiones seu veritates ipsæ revelatæ ut applicari justè possint in obviis casibus, allaborandum; allaborandum, qui studio huic incumbit, ut applicare benè discat, proinde Theologia ita est tradenda. Non solùm scil. generaliter Ministrum oportet veritatem Religionis applicare, verùm & in individuo, huic vel illi homini ac personis.

Definitiones dant notionem rei, ac per suas Notas, mediantibus quibus rem constanter ab aliis distinguere docent, notitiam suppeditant, num talis res de quodam prædicari possit nec ne: sumatur definitio vel notio veræ fidei, sanctitatis & talium, definitiones earum continent Notas, quæ si perpendantur, & dein in praxi Ministerii, ubi res est cum Christianis, attendatur, num Notæ hæ in personis deprehendantur, inde applicatio fieri potest, si

subje-

ſubjectum ſatis noſcatur; & ut applicatio juſtè fiat, diſpiciendum ac allaborandum; ſimùl reſpicienda ideò, quæ cum ente conjuncta, vel ex eo proveniunt, ſive abſolutè, ſive ſub quibuſdam circumſtantiis, id eſt, quæ effectus ejus ſunt.

Eòdem modò & applicandæ propoſitiones Theologicæ: cùm in ſe contineant definitum; quod num inſit ſubjecto intelligenti huic vel illi, è Notis perſpicitur.

Juncta cum experientia propria.

At verò cùm notiones multò melùs habeat, qui eas ipſe experitur, in ſe percipit, hæ demum veri nominis ſunt notiones, quæ cognitioni diſtinctæ jungunt experientiam domeſticam; hæc præſtantiſſima cognitio, ubi ſymbolica per verba, definitiones, ac intuitiva per proprias perceptiones amicò nexu ſunt ſociatæ.

Notiones adeò de rebus Theologicis tùm demum juſtas habet, tùm demum propoſitiones S. Scientiæ verè intelligit, qui mutationes ipſe ſubiit, quæ per notiones ſeu definitiones in cognitione ſymbolica indigitantur, item & per enunciationes ſeu propoſitiones.

Inde ſequitur, eam definitiones ac propoſitiones Theologicas in caſibus obviis applicandi genuinam ac juſtam rationem tùm demum habiturum quendam, ubi ipſe ita fuerit affectus, qualiter definitiones ac propoſitiones Theologicæ indicant; veriſſimè ſcil. & genuinæ Logicæ conformiter dictum jamdudum eſt, irregenitum Scripturam intelligere non poſſe: quoniam nempe notiones non in ſe-

ipſo

ipſo experitur, tantùm verbis exprimere ſcit ſine propria experientia; item veriſſimè dictum ſemper, fidem ſenſu conſtare.

14. *In Theologia docenda ſtudendum, ut practica fiat cordis Senſu.*

Quid igitur ex hiſce concludendum, quid inde inculcandum A. H.? id ſequitur, id quilibet teneat, id Doctor inculcare debet, Theologiam non abſolvi ſolâ theoriâ, non conſtare meris ſpeculationibus, etſi vel maximè *theoretica* ac *ſpeculativa* audiat: quid enim, num Deus revelatione ſuâ miſeris, obtenebratis Adami poſteris propterea ſolùm ſubvenire gratioſè voluit? num Chriſtus, lux Mundi, Summus ac Divinus Doctor propterea tantùm in luce poſuit τὸ μυστήριον τὸ ἀποκεκρυμμένον ἀπὸ τῶν αἰώνων, ut homines, quorum vitæ genus contemplativum eſt, ac in ſpeculatione occupatur, quorum eſt veritates rimari, ùt aliis proponere poſſint ac inculcent, ſtudium ſuum conſiſtere faciant nonniſi in cognitione terminorum technicorum, in definitionum & propoſitionum compage? num ſumus imitatores Chriſti, Summi Theologi, quando egregiè præſtitiſſe ac officio ſatisfeciſſe putamus, ubi quæ in Syſtematibus, aſſiduè inculcaverimus, ac ut promtè teneantur, efficere potuerimus?

Prorsùs non ita ſentiunt genuini Theologi: volunt omnia ſua tendere ad verum ſolidumque ſolatium in vita & morte comparandum ac id promovere debere, volunt veritatum theoriam, quæ αἴσθησιν animi ſecum ferat, volunt, ut veritatum Divinarum contemplatio

inde nos reddat θείας κοινωνὸς φύσεως; in hunc finem commendant veritatum scrutationem iis, qui aliquando alios publicè privatimque docere cogitant.

Altius itaque assurgendum: datur nimirum Theologiæ species, quæ sublimior cæteris dici potest, quæ dici potest cum quibusdam, nec id malè, *Theologia cordis*, eò quòd mutationibus animi, hujus sensu constet; aliis, iisque recentioribus dicitur *Theologia experimentalis*, ob experientiam propriam, internam, quâ dogmatum veritatem quis in seipso experitur; hæc pretiosa, hæc expetenda est, hæc quærenda, huic studendum est; hæc auget insigniter voluptatem è cognitione veritatis percipiendam: quum duplici experientiæ viâ tunc veritas noscatur, scil. tùm testimoniô Dei in Scriptura, tùm ipso cordis affectu; ac inde & veritas confirmatur, animusque in ea.

Theologia theoretica debet januæ vicem præstare ad ingrediendum in illam cordis Theologiam: termini ac definitiones in Theologia theoretica occurrentes debent solùm distinctè exprimere mutationes ipsas ac ea, quæ in Theologia cordis obveniunt; exinde habent suum valorem ac pretium; & termini technici propterea requiruntur, ne obscurè confusèque cum plebejis aliquid teneatur; adhibentur, ad ea, quæ Scriptura hinc inde aliis verbis enunciat, rotundè, breviter ac determinatè enuncianda exprimendave: cùm in ipsis verbis Religio non consistat sed in rebus, hinc Theologia in ideis ac conceptibus de rebus Sacris vel revelatis; ut inde res eadem per alia

alia liceat exprimere verba, si commodiùs id fieri possit.

Volunt ideò genuini Theologi utrumque conjungi: accuratam solidamque theorematum cognitionem, & internam perceptionem; neutrum alteri nocet, è contrà unum alteri opem fert: per prius, qui Theologiæ operam dant, distinguuntur à plebejis, per posterius cavetur, ut ne Theologia in meram convertatur theoriam, & Christianismus in contemplationibus solùm constituatur; profectò consideret quilibet in ipsa Fide vera ac ejus actibus ea simùl esse, dum applicatio in fide fit per legitimam conclusionem, quæ deducitur tùm è Majori, quam Scriptura, hinc theoria, suppeditat; tum è Minori, quæ experientiæ propriæ est.

15. Hinc ut salutaris fiat, ad quod Spir. S. auxilium implorandum Doctori.

E dictis perspicitur, in tradenda Theologia annitendum ac allaborandum esse, ut cognitio *salutaris* fiat: talis enim est ac dicitur, ubi dogmata proposita, quæ motiva agendi in se continent, ipsa dein actu fiunt motiva, in facultatem appetitivam, voluntatem, influunt, affectus movent, ut non solùm exurgat γνῶσις, sed talis σύνεσις, quæ gustum (γεύσασθαι) Sensum, perceptionem secum ferat.

At id nonnisi per Spir. S. gratiam internam effici ac obtineri ipsa Theologia theoretica è Scriptura docet, externò docendi negotiò ut mediò quòdam (ex quo tamen effe-

ctus per se non resultet) adhibitô consideratôque. Inde incumbit ei, qui S. Scientiam aliis tradere vult, ac officii locô id facit, preces ad Deum, bonis omnis Auctorem fundere ardentes, ut ob Filium suum per Spir. S. velit efficax reddere, quod aliis tradit ac proponit, quò cognitio ad Sensum perducatur; ut velit è mente caliginem dispellere, voluntatem afficere, animum movere. Exigit momentum muneris, benedictionem à Deo, benedictionis omnis fonte, humiliter exorare.

16. Is & discentes ad meditationem perducere allaboret; quum ea cognitionem distinctam & solidam, vivam ac efficacem, notiones adæquatas reddat, memoriam quoque adjuvet.

Ipsa illa verò notitia rerum, tàm distincta, quàm viva & efficax, seu Sensus de dogmatibus ac perceptio, tùm comparatur tùm juvatur mentis intentione ad aliquid aliquandiu sibi præsens sistendum, continuòque objiciendum; *meditationem* dicunt, quæ & impropriô nomine *ruminatio* audit, quâ analogicè ad cibos objecta benè ac minutim dividendo, macerando, in varias Formas vertendo in succum & sanguinem convertuntur. Quô sanè nil magis cognitionem perficit, eam intuitivam reddit, ut ne symbolicæ cum veritatis cognitionisque præjudicio inhæreatur; ut ne pro rebus verba sumantur, neve pro Junone, ùt dicitur, nubem amplectamur. Quæ hinc ad scientias quasvis pertinet, & sine qua sit, vix scientiam ipsam tenere quis dici potest, etsi aliis videatur: dùm, etsi verba quidem promtè

promtè proferat, tamen res ipsas mente recondere ac eas sibi repræsentare dici nequit.

Meditatione plura addiscuntur quàm multiplici lectione, immo multiplex lectio, nisi ordinata sit, ac per regulam generalem determinetur, ut, quæ hinc inde colliguntur, locô suô referantur, Intellectum obruit, obtundit; ope meditationis varia, quæ rei insunt, deprehenduntur: dum mens defigitur in objecto quodam, veritate quadam contemplanda, ut hinc perspiciatur, quomodo unum & quodvis in ea re ab altero differat, hinc acumen comparetur, quod verò lectio suppeditare nequit. Præsertim circa notiones fœcundas fructum fert amplum, imò fiunt hæ fœcundæ per meditationem: dum introspicitur, quænam omnia notionem vel veritatem talem ingrediantur, quònam quâquaversum, ut ita dicam, radices, ramos extendat; quô verò modô notiones adæquatæ fiunt; nexus rerum, veritatum, inde & se pandit. Illô mediô adeò res, veritates, objecta ita in varias reduci ac mutari possunt Formas, non aliter ac massa farinacea; unde & judicium, seu judicandi de rebus Vis, quæ exinde exurgit ac perficitur, per analogiam benè dici potest *subactum*. Inde &, quæ quis didicit, ad quemlibet Casum obvium ac Usum ita parata habet, ita iis potitur, ut quandocunque libet, velùt pecuniam præsentem depromere possit; quod quàm sit præstans, quàm necessarium in Ministerii praxi, in publicis & privatis Officii ecclesiastici functionibus, facilè perspicitur.

Quærat igitur, cui studium S. Scientiæ

curæ est, non tàm multiplici lectione quàm acri meditatione, proficere, jungat hanc brevi ac nervosæ lectioni; quærat non tàm semper libros quàm notiones rerum multiplicare; studeat & Doctor non tàm librorum suppellectili quàm idearum penu ac distincta & profundâ rerum cognitione dives esse.

Veritates ergo theologicas ita tradi debere, ut ad meditationem manuducantur auditores, asserere haud dubiè licet: tantò magis quòd meditatio & memoriam adjuvet, per illam res firmiùs retineantur, quod sanè etiam magni faciendum; porro quòd ipsa meditatio non parum juvet ad cognitionem vivam efficiendam; dùm enim veritates assiduâ mentis contemplatione teruntur quasi & atteruntur, amor inde nascitur erga res ipsas veritatibus illis repræsentatas; dùm ad modum ciborum macerantur veluti veritates, inde & gustantur; quàm sint gratæ, perspiciuntur, imo & gratæ fiunt.

Sanè pii nobis sistuntur ùt ita contemplabundi ac meditabundi in Verbo Dei, Ps. 1:2.

Semper igitur, semper maneat illud vetus; μελέτη τὸ πᾶν.

17. *In sua tandem & genera ac species res dividat.* Ipsa verò hæcce retentio, ad quam ducit meditatio, adjuvatur multùm, ubi generales ideæ injunguntur, ac generalis divisio materiarum instituitur: tùm enim incipiens ac auditor scit ad genera & species res referre; quod sanè quàm egregii in omni cognitionis ac rerum genere sit Usûs, nemo nescit, qui cognitionis universalis rationem perspectam

ſpectam habet, qui noſcit, qualem genera & ſpecies habeant Uſum, genera item ſuperiora, & quomodo ea in re Intellectus, facultas cognoſcitiva ſuperior, ſuam prodat præſtantiam præ inferiori vel ſenſitiva.

E generibus ac ſpeciebus reſultat tabularum mnemonicarum ratio & conſtructio, quibus retinendi facultas adjuvatur.

Etſi quoque illa materiam Theologicarum vel Locorum Theologiæ in ſuos articulos & partes diviſio aliquantum ſapiat methodum Scholæ, ubi, quæ ad eandem pertinent materiam, ſimpliciter congeruntur; tamen prorſus non ideò rejicienda ac vilipendenda: nil enim inde ordo naturæ detrimenti pati debet.

II.

INdicavimus hactenus A. H., quæ circa Theologiam in genere tradendam vel docendam obſervanda, ſuperficiariè tantùm & præcipua; reſtant, quæ circa Theologiam elenchticam tradendam tantùm obſervanda, utpote quæ Penſum noſtrum conſtituit, & circa quam Mundus demandatum occupatur; de dogmatica vel Theologia in genere dicendum prius fuit, quià ſine ea præmiſſa elenchtica tradi explicarique nequit.

Omittimus, ad prolixitatem evitandam, quæſtionem, num Theologiæ elenchticæ ſtudium neceſſarium vel utile ſit; præſupponimus facilè quemvis conceſſurum, oportere, qui Doctoris in Eccleſia & apud plebejos munere quondam fungi vult, noſſe etiam, num

aliqui ſententias foveant dogmatibus ſanctis & ſanæ doctrinæ contrarias, & quinam ij ſint; quinam ſint, qui articulos Religionis naturalis, Divinitatem revelationis tollant; facilè quivis conceſſerit, oportere noſſe Capita controverſa, quæ jam olim in Eccleſia ab Apoſtolis plantanda inter ipſos ac Judæos, quorum propago moderni, agitata fuêre; oportere noſſe, quare Majores noſtri ab Eccleſia Romana ſeceſſerint; oportere noſſe noxias eorum hypotheſes, qui Religionem communem introducere, dogmata fundamentalia de redemtione enervare ſibi ſumunt: oportere præcipuè noſcere malèſanas eorum opiniones, qui in ipſo Eccleſiæ Reformatæ gremio eam turbant, & quibuſcum Miniſtro ſæpè res eſt, oportet ſanè Miniſter polleat facultate, quâ valeat τὸς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν & ἐπισομίζειν.

Prima hîc ſe offert quæſtio, utrùm magis conveniat Theologiam elenchticam juxta Sectarum ordinem tradere, ita ut Sectarum errorumque ſyſtemata condantur, an verò juxta ſeriem ac ordinem dogmatum, ut errores indicentur ac notentur, proùt quodlibet dogma id fert; equidem concedimus facilè ac largimur, perfectiorem eſſe eam cognitionem de adverſariorum hypotheſibus, quâ hæ in nexu integro ac ſyſtematicè exhibentur, & ita ratio redditur errorum; verùm ipſa controverſiarum talis pertractatio ad prolixitatem duceret nimiam: cuilibet Sectæ ad minimum anni ſpatium eſſet impendendum; languor ac tædium ita pleroſque caperet, ubi curſui Theologiæ elenchticæ octo

octo & ampliùs annorum periodum impendere oporteret; temporis sanè, quô nil pretiosiùs, ratio habenda, ac ejus, quantum pote, compendium semper est faciendum. Et num dici potest, omnes quoscunque errores & eorum rationes accuratè nosse, discussiones talium usque ad minuta tenere necesse esse futuro Ministro? cum majori errorum & errantium parte nunquam per totam vitam ipsi res est ac occasio subnascitur agendi. Semper major adhuc opera est impendenda Theologiæ dogmaticæ, studium Theologiæ magis ponendum in veritate noscenda, quàm in deviationibus; magis semper necesse est nosse, quid credere, quàm verò quid refutare debeas, & quid ipse credas, quàm quid alii credant; in praxi Ministerii veritas nonnisi ferè est instillanda, clarè, distincte, nervosè ea proponenda, tentandum ac annitendum, ut ad cognitionem vivam plebeji perducantur; errores refutare etsi etiam contingat, tamen non ita crebrò ac ordinariè; diu sepultas verò aut plebejis ignotas hæreses vel hypotheses in apricum producere parùm prodesset. Credimus accuratâ controversiarum reductione ad Systema didacticum Ordinis S. Virum satis instructum fore, ut possit deviantibus occurrere, sanè illa cum cura & solidè factâ intimiùs penetratur, quam quis sibi persuaserit; accedit, quòd eâdem operâ juxta dictum modum dogmatica & polemica Theologia simùl addiscatur, item quod discentes ita assuefiant systemati & intellectum acquirant systematicum, quod profecto semper præstans ac præferendum.

Anteponenda sanè semper ferè Scientiarum compendia, & quod Veterum nonnemo dixit; *magnus Liber*, *magnum malum*, id respectu prolixæ tractationis aliquô modô dici potest; prolixitas talis, quâ ad quævis specialia descenditur, obruit Intellectum, obruit memoriam, mentem confundit; qui in Scientiis ita ad prolixitates deducitur, similis est ei, qui v.g. in sylvam amplam, magnam deducitur, ubi nil noscit, nulla scit distinguere loca, nescit, ubinam sit Oriens, Occidens &c. ita in prolixa Scientiarum pertractatione nescit mens, ubinam versetur, perit Intellectus systematicus; prætereà & voluptas in discendo perit, quæ tamen ut excitetur, semper refert. E contrà si intra justum temporis spatium pertractatio fiat, omnia meliùs sibi constant, si tunc & nervus rerum tantò magis tangatur, ac meditationi auditorum res commendentur: tùnc sanè & facultatem acquirunt specialium notitiam de seipsis addendi, ex Auctoribus supplendi, aliquando & è propria mentis vi; profectò si Doctor efficere potuerit, ut discentes veritates solùm præcipuas distinctè ac in ordine suo noscant, menti imprimant, non parùm præstitisse dicendus erit; perpendatur multum detrimenti in Scientias redundare ac damni in Ecclesiam, quod veritates generales non distinctè, solidè ac familiariter noscantur &c.

Hisce præliminariter indicatis ad rem ipsam deveniamus: cùm nimirum Theologia elenchtica versetur in refutandis erroribus, qui circa

circa dogmata theolog. & theologiam theoreticam committuntur, ac eò tendat, ut errantes errorum convincantur, quædam omnino, ut hæc refutatio benè sibi constet ac debitò peragatur modò, probè semper sunt observanda, quæ & *cautelas* in studio elenchtico constituunt: requiritur scil., ut Status controversiæ rectè formetur, seu quæstio determinetur; quod tùnc facilè fit, ubi dogma vel sententia orthodoxa juxta dicta in superioribus (No. 1 - - 4.) fuerit sufficienter stabilita, distinctè proposita: tùnc enim opùs non est, nisi ut propositio in quæstionem convertatur, & quæstionis in modum, ùt veritas inquirenda proponatur; indicandum inde, quinam aliter sentiant, & consequentiæ in modum deducendum, quòd igitur errent, dum veritati stabilitæ, sufficienter probatæ, contradicant.

Status quæstionis in Theologia elenchtica tradenda rectè est formandus.

Probè verò ante omnia dispiciendum, num dissensus tantùm sit in terminis, concipiendi modo, num tangat veritatem totam vel doctrinam, an verò tantùm partem ejus; requiruntur ideò accuratæ dissensuum discussiones, ubi successu temporis deprehenditur logomachia nonnisi fuisse, de quo anteà diu & acriter disceptatum fuit: sic olim nemo tam facilè, aut saltem non ita firmiter, sibi persuasisset, logomachias esse, quæ quoad arduum prædestinationis dogma diversimodè inter Protestantes

Dispiciendum, num dissensus sit in re, num verò nonnisi in verbis, num sit totalis an solùm ex parte.

tes dicuntur, minùs, quæ quoad gratiæ operationes inter eosdem; hodiedum autem dubium non est iis, qui interiora scrutantur.

Fons erroris est detegendus ac obstruendus.

Quum & ratio semper sit afferenda, unde quid intelligi potest, quare ita sit ac fiat, inde etiam quoad quodvis Adversariorum assertum ratio est afferenda, quare ita sentiant nec aliter; & sic tùm fontem seu principium erroris ac hypotheseos illorum indicare oportet, tùm scopum, quò tendant; quorum illud appellatur, licèt invidiosè ferè, πρῶτον ψεῦδος, Adversariis est prior veritas, vel prior propositio asserta & stabilita.

Quærenti proinde, quare πρῶτον ψεῦδος sit indicandum, respondendum, quià ratio est afferenda, & sine ratione nil admittendum. Hic fons erroris seu ita dictum πρῶτον ψεῦδος tunc præprimis est detegendum ac inquirendum, ubi constituit primariam generalemque Adversariorum hypothesin, vel præjudicium eorum, quod fortiter tùnc impugnandum ac destruendum, ejus falsitas ostendenda; hæc exigit bona methodus ac soliditas, quæ requiritur, & de qua pòst, etiam aliâs omnis cum Adversariis disputatio frustrà instituitur, effectu careret; ita frustrà cum Pontificio disputabitur, nisi adimatur ei augusta, quam de Ecclesia sua habet, ejus antiquitate, amplitudine, opinio; frustrà cum Judæo disceptaverit quis, nisi destruxerit præjudicium de Rege terreno &c.

Ubi

Ubi autem occasione dogmatis indicatur, quinam in diversa abeant ac errent, ita simùl indicandum, quinam præiverint; inde recensendi fautores præcipuè celebres & in Historiis noti. *Historica commemoranda.*

Historia hæresium hinc paulatim tangenda, ut historica dogmaticis interspergantur, ac mens in sublimibus dogmatibus considerandis defixa paulùm sublevetur; simùl eâdem occasione historia dogmatis commemorari potest, seu veræ sententiæ patroni.

Hisce, uti debet, peractis, assertum Adversariorum est impugnandum, refutandum, quod tùnc faciliùs fit, fonte præclusò: principiò quippe eversò ac subrutò principiatum per se cadit, dum ostenditur, è falso principio necessariò sequi, hinc falsum non posse non esse; aut & aliquando ostendi potest, quòd Adversarii è veris principiis malè concludant. Argumenta porrò Adversariorum, quibus hi sententiam suam fulciunt, vel & objectiones, quibus nostram sententiam premunt, enervari, refelli debent; tale scil. argumentum uti & objectio omnis non est nisi conclusio è præmissiis quibusdam deducta, quæ pugnat cum dogmate orthdoxo, seu huic contradicit; argumenta hæc & objectiones sunt tùm priores hypotheses fundamentum præbentes sequentibus, tùm loca Scripturæ, tùm & consectaria falsa è sententia orthodoxa deducta, item consequentiæ è sua sententia malè deductæ; in priori casu corruunt principiis subrutis, in isto loca *Refutatio ipsa instituenda, & quomodo.*

loca Scripturæ ope Hermeneutices vindicanda, in posteriori utroque casu consequentiæ falsitas tùm à priori tùm à posteriori ostendenda; item quòd argumenta quandoque in se vera malè applicentur, universaliter non valeant.

Differentia errorum considerandæ. At uti errores non sunt ejusdem momenti, verùm alii aliis longè graviores, ùt nexus cum fundamento per attentam analogiæ fidei considerationem ostendit, inde in Theologia polemica tradenda etiam & potissimum id observandum ac agendum, ut insistatur semper magis erroribus gravioribus; ita v. gr. Pontificiorum error, quô Scripturæ adjungunt traditiones, multò gravior est eô de Scientia media aut purorum naturalium ita dicto statu, hinc error ille majori multò vi est adoriendus; sic Sociniano-rum errores graviores sunt iis reliquarum Sectarum. Quàm sæpè autem non contra hancce regulam peccatum fuit? an non sæpè contra errores leviores, etiam fratrum, æque fervidô zelô pugnatum fuit, ac si de Religionis omnis fundamento aut de Scripturæ Divinitate ageretur.

In refutandis erroribus Soliditas est servanda. Soliditas verò in cognitione uti ubivis requiritur, ita & in refutatione Adversariorum; inde ne quis è longinquo & è profundis quasi depromere quærat argumenta, quibus vel sententiam suam veritatemque adstruat, vel Adversarios refutet, ut ne vel solùm acumen vel doctrinæ apparatum vel ingenii vim lectionisque

que amplitudinem ostendat. Ne inde vetera, si sint solida, etsi trita communiaque, spernat, novaque in eorum locum substituere tentet: vetera aliquando possunt esse solidiora, uti & Philosophi recentiores multa Veterum magno cum detrimento abjecerunt, quæ inde recentissimi postliminiò revocare necesse habuerunt &c. Argumenta propterea ne numerentur unquàm sed ponderentur semper, (quod necessarium & optimum Monitum est) ne quis putet, ubi juxta literas Alphabeti hebraici vel græci rationes apposuerit, & paginam, aut plures, compleverit, inde rationibus vincere itidem sibi videri posse ac debere; adversarii inde ansam arripient infirma seligendi, ac ad ea respondendi, prætermissis solidis, & tamen tùm vicisse videri volent.

Candor prodere se debet.

Verùm uti agitur de veritate defendenda, inde uti veritatis studium atque amor locum habere debet ac se conspicuum facere, ideo & candor, qui sanè in omni litium materia vel genere requiritur ac exoptandus esset, hinc etiam quàm maximè circa lites de Religione cum Adversariis: sunt enim aliàs Adversarii suspicaces, & partem adversam non aliter aspiciunt quàm callidos & versutos hostes. Candor adesse debet tùm in exponenda sententia nostra tùm in ea Adversariorum; causam inde nostram non ita exornare ac transformare studebimus, ut alii nos non agnoscant &c. si etiam candidè semper Adversariorum doctrina dictaque fuissent exposita jam in Veteri Ecclesia, catalogi hæreticorum,

ticorum, quos quidam nobis reliquerunt, minùs essent spissi; uti ergo talia nolumus nobis fieri & conquerimur de injuria illata, ita nec alteri id fecerimus: ne falsi testimonii genus perhibeamus; vel num forsan existimaverimus, id licere erga hæreticos?

Inde & proprii systematis defectum confiteri oportet.

Idem Candor secum fert ac vult, ut aliquando ignorantiam nostram ingenuè fateamur, nec putemus, nos omnia solvere posse ita, ut plana fiant, nos ex omnibus nosmet extricare posse; magis conducit ad τὸ βάθος confugere, quàm verò levi responsione & insufficienti solutione ita gloriari, ac si in systemate nostro omnia paterent ac lucida essent: causam enim nostram inde & suspectam reddimus, Adversariique videbunt & clamabunt, nos non pro veritate sed pro victoria nonnisi pugnare, ne saltem nil regessisse, vel nil regerere posse videamur.

Propterea nec authoritate solùm aliorum acquiescendum.

Veritatis amor vult quoque ac facit, ut non semper ita mordicùs adhæreatur omnibus Patrum, Majorum receptis Sententiis, explicationibus, methodis; nullam auctoritatem agnoscunt Protestantes, agnoscunt Spiritum S. in Scriptura loquentem, Luthero, Calvino & aliis magnis Theologis assentiuntur ob consensum cum Scriptura, quem illi perspiciunt, nec verò solùm credunt, quià alii dicunt: ita enim aliâs præjudicium authoritatis inveheretur & obtruderetur; amicus quidem hic

hic & ille Magnus Theologus, sed magis amica semper veritas ac regula melioris.

Interim nec ex altera parte nimium Adversariis concedere oportet, & quidem ita, ut veritas prodatur, adsit id! esset id contra fidelitatem in Oeconomo mysteriorum Dei requisitam; sanè veritas semper est emenda, nunquàm autem vendenda.

Placidè cum adversariis & mansuetè est agendum.

At verò ulteriùs, quam Theologiæ elenchticæ scopus sit convictio eorum, qui circa dogmata errant, an non ideò modus cum errantibus agendi huic scopo ita est accommodandus, ut facilius obtineri possit? haud dubie: prudentia id vult; probè cavendum inde, ne alterum exacerbemus: tunc enim locò convictionis, & quòd adduci se pateretur, magis abalienaretur. Præsertim erga fratres id observandum; dum pro fratribus agnoscuntur, blandè cum iis agere decet. Sanè illi haud benè de Orthodoxia merentur, & malè veritati consulunt, qui in dissentientes, erga Adversarios acerbè se gerunt: quanta non inde in Ecclesiam mala redundarunt! quàm sæpè non vulnus sanatum fuisset, si amicè ac blandè in talibus actum esset? sanè bilioſi illi Theologi, quibus bilem effundere volupe est, & fini Scientiæ hujus, & Legi amoris, quæ commiserationem eorum injungit, qui veritate frustrantur, & exemplo Christi, Summi Doctoris, contrariantur.

Placidè igitur ac moderatè, seu cum mansuetudine cum Adversariis disputare, cum iis

agere oportet; quàm necessarium id Monitum ob philautiam, affectus, Sectæ studium, quæ sub zeli veri ac genuini specie se ingerunt! scil. etsi zelus pro Dei gloria, pro salute Ecclesiæ, pro veræ doctrinæ conservatione ac propagatione neutiquàm remissus languidusve esse debeat, ipse tamen hicce zelus aptissima, gloriæ Dei convenientissima seligat media, talia, quæ charitatem comitem & fontem habeant: quid enim, num Sacræ ac Theologicæ oriuntur disputationes, ubi convitiis, scommatibus res agitur? ubi ita Adversariis locô oris obturandi (juxta monitum Apostoli) è contrà os aperitur, dum ad convitia provocantur, lacessuntur; certè non solùm causa bona, sed & ipsa hæcce causa benè est agenda. Oportet suos munire, oportet præmunire solidâ de veritate cognitione, demonstratione ad conscientiam, non cœcum sectæ odium, qui Pontificiorum mos, inspirando.

Graviter ac reverenter in docendo agere oportet.

Piè tandem ac religiosè in hoce veritatis defendendæ negotio versandum esse, uti & in veritate stabilienda, per se patet: sanè res Religionis an non Religiosè sunt tractandæ? & quæ doctrinæ pietatis sunt, an non oportet ac decet piè circa ea agere? Deum oportet ad tale institutum orare, mentem velit illuminare, ut veritatem perspicere possimus, ut veritatis amore ducamur, ut errantes velit in rectam reducere viam; profectò ubi talia traduntur & docentur, sive dogmata sive controversiæ Religionis, semper omnia verba, gestus,

ſtus, ſpirare ac præ ſe ferre debent gravitatem, moderationem, reverentiam præcipuè &c.

Hæc, quæ ſuperficiariè nonniſi dicta de iis, quæ circa Theologiam elenchticam tradendam vel docendam obſervanda, non recedunt etiam ab iis, quæ alii docti Theologi monuêre de modo, quô controverſiæ theologicæ tractari debeant; qualia ſunt, quæ Clar. WERENFELSIUS *Diſſ. de controverſ. theolog. ritè tractandis* eleganter non minùs quàm ſolidè propoſuit, quænam ad hancce Theologiæ ſpeciem bene & cum fructu tradendam obſervare ac agere oprteat: ſcil. ut id fiat 1. piè ſeu religiosè; 2. candidè & ſincerè; 3. ſolidè; & 4. placidè vel moderatè; ſic quæ Cl. noſter STAPFERUS in nuperi ſui Orbi erudito expoſiti Operis polemici *Tom.* 1. poſuit ùt cautelas egregias ac ſollicitè obſervandas, & quidem ei, qui elenchum ſuſcipit: ut ſeipſum exploret, num veritatis amore ducatur, an verò ambitione; ut ſepoſitis opinionibus, præjudiciis, per convictionem ac quiſiverit certitudinem; ut pravi voluntatis affectus, odium theologicum, Sectæ ſtudium, priùs deponantur; quoad elenchum ipſum, & quidem veritatis demonſtrationem: ut nec propriæ nec alienæ quid deferatur auctoritati; ut talis obſervetur ordo, unde convictio enaſci poſſit; ut item omnis evitetur obſcuritas; quoad autem errorum refutationem: ut totum Sectæ ſyſtema, idque in nexu, noſcatur; ut prudenter ſeligantur errores, ne aut refutentur, qui nullius momenti, aut parca-

tur pernicioſis, aut pro errore habeatur, quod veritatis pars eſt; ut ne vi in alterum agatur ſed nonniſi rationibus; ut nil errantibus affingatur, hinc à periculoſis conſequentiis abſtineatur; ut ab argumentis ab invidiâ ductis abſtineatur; ut ne quis errantium perſonas, verùm ſententias nonniſi aggrediatur; ut à ſatyrico dicendi genere, ſcommatibus abſtineatur: cùm hæc omnia alterum non convincant, nec etiam concilient, & cum veritatis amore pugnent. Hæc inquam Monita continentur iis, quæ antea memorata, & quædam magis ad ſcribendum quàm ad docendum pertinent.

Nunc igitur A. H. præcepta & regulas circa Theologiam tradendam obſervandas rudi poſuimus Minervâ; faciliùs autem eſt præſcribere quàm præſtare; neutiquam ſpondeo, me pro mea tenuitate illa præcepta exequi ac obſervare poſſe; eſſet id nimiùm ſibi arrogare. Officii mei eſt ſaltem tentare, ſaltem pro virili facere, Deum autem orare neceſſe eſt, ut det vires, ut ducat in omnem veritatem, ut non ſine fructu in munere tali verſari contingat; bonum animi motum ac ſincerum mentis affectum & propoſitum Deus gratiâ ſuâ juvabit, laboremque benedictione.

Sincerum animi propoſitum, quocum adeò diligentia non poteſt non eſſe conjuncta, in quovis munere præcipuum ac maximè expetendum eſt: quid enim aliâs prodeſſet cognitio, quâ quis in munere quodam conſtitutus polleret, quid habitus in rebus agendis? quid

quid aliæ animi dotes : cùm ejusmodi tùm non in Usum impenderentur ? si tepidus, si languidus, si remissus sit in munere gerendo, si tempus, horas rerum gerendarum non attendat, si non attendat semper & mente reponat tè dic cur hîc, ut aut demandata negligeret, aut & adhùc aliena tractaret ; è tali animi remissione plurima in Societatem redundare mala experientia, proh dolor ! plus satis comprobat ; id inde & vel maximè valet de Munere Doctoris. Illud sincerum animi propositum fidelitatem aut habet comitem, aut ipsam constituit, quam & in Doctore præprimis requiri res ipsa loquitur, scopus eorum, cum quibus agendum, temporis ratio, quò nil carius ; inde tempora, horas utiliter impendere debet, quæ non adeò usui esse possunt, relinquere.

Hæc fidelitas ac diligentia cùm circa veritates tradendas, hinc res, occupetur : & ut hæ percipiantur, inde non adeò verba sua consecrare debet Doctor in tradenda Theologia, quasi omnes aliæ expressiones nil valerent, & non sufficeret, ubi discentes res ac conceptus tenent ; esset hic nimius rigor ac superstitio ferè. Quod si verba quædam locutionesque consecrare velit, ac ijs semper stare, consecret eas Spiritûs S., seu verba Scripturæ ; hæc imprimat, hæc cum omni nervo ac in suâ emphasi valere faciat.

Quod reſtat, hicce dies, quo ſub Summi Numinis auſpiciis Munus hocce meum publicum inchoavi, me monet, ut prolixam in me Ampliſſimi noſtri Clementiſſimique Magiſtratûs benevolentiam gratiſſimâ mente humiliter agnoſcam, quâ mihi Sanctam hancce Scientiam docendi provinciam demandare voluit; utinam poſſem tenuibus viribus meis finem, quem Summus Magiſtratus intendit, promovere! pro ſalute Reipublicæ, incolumitate Procerum & Academiæ flore vota jugiter ingeminabo.

Vobis Ampliſſimi ac plurimum Reverendi Academiæ Curatores pro Veſtro in me collato favore grates debeo maximas: Veſtra erat benevolentia, quòd intra breve tempus me ſecundâ vice ad ſpecimina docimaſtica elegeritis &c. favorem Veſtrum ut in me perpetuum eſſe velitis, etiam atque etiam rogo, & ut mihi rerum Uſu nondum ſatis exercitato Conſiliò atque Operâ Veſtrâ, quin auctoritate adeſſe velitis, enixe peto; ego interim omni ſtudiò annitar, quicquid in tenuibus meis viribus poſitum, Veſtri hujus Lycæi dignitati, ſplendori ac incremento, Studioſorum profectui in cognitione ac pietate, & Veſtris juſſis effectui dandis, impendere & conſecrare, meque hiſce addictum commonſtrare.

Vos autem Viri Venerandi, bonarum artium ac Scientiarum Profeſſores Clar., eruditiſſimi! in quorum ordinem me adſcriptum lætor, ut benevolè me ſuſcipere, Veſtrô favore,

vore, amicitiâ, familiaritate non indignum judicare, consiliô Vestrô prudenti ac auxiliô me juvare velitis, enixè rogo. Recipite talem, qui, quantum doctrinâ, prudentiâ, docendi facilitate rerumque Usu deficit & concedit, compensare allaborabit de Vobis totaque Academia benè merendi voluntate; qui provectiores ætate ùt Patres venerabitur, æquales ùt fratres diliget, qui sanctum unitatis vinculum integrum, sartum tectumque servare, concordiæ, sine qua parùm proficitur, studere semper amabit; qui commune studium solidam rerum cognitionem, virtutem & bonos mores apud studiosam juventutem promovendi supremam sibi legem sincerô mentis affectu habebit.

Tandem ad Vos me converto Juvenes, S. Scientiæ Studiosos, Auditores futuros gratissimos, Theologiæ Cultores, quorum profectibus, utilitati, futuro muneri me totum consecro; exoptatissima hæc mihi tempora ac serena vitæ periodus, quâ sublimia illa S. Scientiæ mysteria edisserere, cum juvenibus judicii gravitatem, mores ad honestatem compositos ostendentibus, cum iis, qui jam doctrinâ instructi, agere obtigit. Quodcunque Vobis proficuum, nec tenues meas vires superat, præstare tentabo; sacratissimæ Religionis nostrius scita conabor Vobis tradere, ùt & contra pernicioses errores Vos fideliter præmunire allaborabo; tentabo publicos meos labores eò dirigere, ut veritatis cognitio voluptatem Vobis afferat; motiva ad virtutem,

tem, pietatem, quâ datâ occasione suggeram. Ut veritatum sacrarum promum & Condum assiduâ lectione velitis terere, loca classica, textûs originalis emphasin considerare, Vobis familiaria reddere, etiam atque etiam rogo. Qui talibus, cognitioni inquam rerum sacrarum ac virtuti simùl studebunt, ij mihi charissimi æstumatissimique erunt. Vestro me commendo amori; polliceor me Vobis Doctorem non morosum, non supercilioſum, non ignavum, sed facilem & studiis Vestris accensum, qui quantum quid comperiet cum Regula melioris convenire, Vobisque exoptatum & utile esse, tantum in docendo ac agendo id Deô adjuvante sectari studebit.

DIXI.

FINIS TOTIUS OPERIS.

W 18-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-837144-p0855-6

TENTAMEN THEOLOGIÆ DOGMATICÆ, METHODO SCIENTIFICA PERTRACTATÆ.

TOMUS III.

CUI
PRÆTER INDICES IN OMNES TRES TOMOS
ACCEDUNT:
THESES THEOLOGICÆ
ET
PRÆLECTIO INAUGURALIS.

1747.

1749

Farbkarte #13
B.I.G.
Inches
Centimetres
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-837144-p0857-7